


BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B J
C
38539
I



CONTROVERSIÆ ORIENTALIS & OCCIDENTALIS *ECCLESIÆ* De SVBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE. & Inerrabili Ecclesiæ Regimine.

Auctore M. F. IOANNE LAURENTIO CZEPANSKI Augustiniano S. T. Doctore. M. Martini Oflinski. 1700

VARSAVIÆ,
Typis Collegij Scholarum Piarum A. D. 1699.





Obſecro vos Fratres: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

1. Corinth. Cap. 1.

Miſeri dum in Petro Petram non intelligunt.

Auguſtinus de Agone Chriſti. Cap. 31.



CONTROVERSIÆ
ORIENTALIS & OCCIDENTALIS
ECCLESIÆ
Priſcis poſt Chriſtum ſœculis,

occaſione Diſſidentium circa fidem & diſciplinam Eccleſiaſticam

ORTÆ

In Concilio Conſtantienſi, ex caſu diuturni ſchiſmatis ventilatæ. A Baſileenſibus, iterum prætextu reformandæ Eccleſiæ renovatæ. Et noviſſimè ſpecie defendendæ libertatis Eccleſiaſticæ reſuſcitatæ.

De

Subjecto Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Inerrabili Eccleſiæ Regimine.

Pontificum Romanorum, & Conciliorũ Generalium cum ijsdem Pontificibus comparatorum, Iurisdictionis & auctoritatis diſparitate.

Necnon Eccleſiarum Particularium, & Epiſcoporum Orthodoxorum omnium cum Cathedra Petri perpetua communicatione & unione.


Per ſæculorum ſeries, hiſtoricè & compendioſè deſcriptæ, ex Concilijs Patribus coætaneis, Regulis Eccleſiaſticis

&

Eccleſiæ Gallicanæ Factis

Adversûs Auctorem Anonymum in Monarchicum Eccleſiæ regimen irruentem.

In Arma POBOGIORUM
ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS.



CRVX Soleæ conjuncta Domum designat Avitam,
Vtraq; DŁUZEVIJS omnia magna refert :
Fortè Domum Vestram Primas honor advenit , illum
CRVX notat atq; prius officiosa præit.
Aut quia Diva fides per mundi lubrica currens
In Soleâ Vestrâ firmior esse potest.

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. IOANNI
In DŁUZEW
DŁUZEWSKI,
EPISCOPO GRATIANOPOLITANO,
SVFFRAGANEO, PRÆPOSITO CHEŁMENSI,
ARCHIDIACONO CAMENECENSI,
& Sede vacante ejusdem Episcopatûs
ADMINISTRATORI GENERALI.
Bełzensi, Ratnensi, Łucoviensi &c.
PRÆPOSITO.
Domino Patrono Colendissimo.

E Lucubratæ à me *Controversiæ Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ de subjecto Potestatis Ecclesiasticæ*, vt luci traderentur, & Patrocinio promoverentur, non multùm nec diu mihi laborandum fuit, postquam Nominis *Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Tuæ* animum meum subiit recordatio, quòd mihi quidem accidisse, inter præcipuas felicitatis partes duxero, vt eximiam *Illustrissimæ Dominationis Tuæ* conservatam in me propensionem, hoc Operis munere, quoquo modo compensare studeam, in quo etsi gratitudinis metam non attigero, tamen vt vel primos ad eam faciam passus, lucrum censebo. Movent & Gentilitia Tua POBOGIORVM Arma, vt sub Avita CRVCE Tua (quæ à Romano Pontifice exempto è solea gladio

POBOGIIS donata eſt) dum de Pontificia tracto áuctoritate, firmum præſidium habeatur. Si enim Stirpem POBOGIORVM ſpectare velim, plura retro ad Caſimirum Magnum revolvere deberem ſæcula, victorioſos repetere annos, quid Antenati Tui, pro Eccleſiæ bono, & ſubſidio Patriæ, egerint, quot ex præliari campo duxerint in triumpho hoſtes, quot ædificaverint Regularium & Sanctimonialium Clauſtra, quot reportatas numeraverint Victorias, immortalis, non tam annalium perennitate, quàm poſthumâ memoriâ teſtatur fama. STEPHANVS POBOGIVS, primus ex Polonis poſt Italos, Epiſcopus Płocenſis, (vt prætermittam alios ex Stirpe Tua, tam ejuſdem Płocenſis, quàm Chełmenſis Eccleſiæ Antiſtites) libertatis Nobilium promotor & auctor, primus obtinuit, vt Senatores majores, & minores, vltra Epiſcopos, jus in Provincijs dicerent, & Regi judicanti, ne omnia ſuo arbitrio faceret, tanquam cuſtodes libertatis adhiberentur: hæc ex Sirpe Tua, Polonæ libertatis initia. Non commemoro PREDBORIOS KONIECPOLSCIOS, ex eadem POBOGIORVM procedentes linea, generis ſplendore, dignitatum omnium excellentiâ celeberrimos, quorum acta, triumphi, atq; tot & tanta reportata ex hoſte trophæa, æternam loquuntur memoriam. Prætereo ROKSZYCIOS, meritorum excellentiâ antiquiſſimos, & præmiorum gloriâ præſtantiſſimos, ZAPOLSCIOS, POLANOWSCIOS, BVRZYNSCIOS, KONARZEWSCIOS, SCZVCCIOS, BROMIRSCIOS, TRZYNSCIOS, WILKOWSCIOS, CZYZOWSCIOS, MALINOWSCIOS, vt ſileam ducentos alios ex Pobogiorum fonte deſcendentes, viros tàm Minervæ laureis, quàm Bello-

næ trophæis, omnibus commendatos, pietate eximia in Ecclesiam, & meritis in Rempublicam commendatissimos. Sed venio, quò me meum ducit officium. In viris Illustribus, publico bono, Ecclesiæ & Reipubl: natis, omnium virtutum suffragio, principem locum tenet Religio: Hanc Tu *Illustrissime & Reverendissime Præsul* summo studio complexus es, illiq; tamquam cælesti magistræ Te ipsum tradidisti, in qua Antenatorum Tuorum, & Præsulum pietatem, & magnanimitatem Heroum compendiosè expressisti, & facto declarasti, quòd pondus addit Illustrissimæ DŁVZEWSCIORVM ex POBOGIIS Familiæ, & Pontificiæ dignitati Tuæ. In Administratione Episcopatûs Chełmensis Sede vacante, pro Officij Pastoralis munere, non solùm Cleri, sed & fidelium gregis prospiciens rationibus, hoc diligenter providebas, ne quid in eis lateret, quòd Divinis adversaretur mandatis; si verò in aliquo vel leviter lædi, aut diminui Ecclesiæ libertatem ac Sanctimoniam rerum Sacrarum advertisti, quid non egisti? vt debitus honor Ecclesiæ, & illius Ministris tribueretur. Aliud immortale Religionis, & Magnanimitatis, omni posteritatis memoriâ dignissimum (raro Præsulum exemplo) monimentum præstitisti in Administratione Episcopatûs Camenecensis; suscepto namq; à Serenissimo Rege, & Republica Commissionis munere ad repetendas in Podolia Ecclesias, jam inito cum Porta Othomanica pacis fædere, Coryphæum in partibus nostris Schismaticorum, Schismatis promovendi cupiditate incensum, ac prope jam jam spe potiundi & radicandi Cameneci, & in Podolia inveterati ante, ejusdem

Shiſmatis , inflatum, ſagaci Tua dexteritate , & mirâ pru-dentiâ , datis ad Eminentiſſimum Regni Primatem & Rempublicam literis, activitate Tua, ad hoc Tibi ex alto conceſſa , validè repreſſiſti, & jam in Vnionis Catholicæ pace , receptis Schiſmaticorum templis , feliciſſimè conſtituiſti , quod heroicum opus , ſignis mirificis in reconciliatione Eccleſiæ Cathedralis illius, Dominus clarificavit : Speramus profectò favente DEO , deducendam ad obedientiam Romani Pontificis per Te Podoliam , jam enim vipera caput , tortuoſus coluber latebras quærit , jam Sybillantia Hydræ ora conticeſcunt , jam omnia ſtratagemmata , omnes doli, inſidiæ, quibus infeſtare , circumvenire , circumdare conabatur ovile Chriſti, concidit ; omnia conſilia peſſima ſuccinduntur , ſpes deniq; ipſa illi corruit , poſtquam auditum eſt , talem Virum iſti Diæceſi in Adminiſtratorem datum ; vtinam vtinam iam in Paſtorem perpetuum datus fuiſſes. Agis, vt illibatus honor DEO in templis jam à Te ſtabilitis , & benedictis , illorumq; Miniſtris debita à Te providerentur ſtipendia : & hic incorruptus Religionis amor , multorum Tibi laborum tolerandorum , & ſumptuum faciendorum, o quam frequentes occaſiones præbet ? in reſarciendis , plantandis , & reſtaurandis , hactenus ſub jugo Othomanico funditùs collapſis Eccleſijs. O Te felicem *Illuſtriſſime Antiſtes*, quem hic zelus vrget, & gloriæ Divinæ vindicem , ac cuſtodem conſtituit. Quid enim obſecro Te Adminiſtratore illi Cathedræ deeſſe videtur ? quid deſideratur ? num vigilantiæ in excubijs ? quas pervigil & pernox ſubijſti in Caſtris ſolertiſſimè : num in defenſione ? quam

con-

contra Rebelles Schiſmaticos providiſti acutiſſimè : num in bonis repetendis Eccleſiæ ? num in Religione ? nihil certè ; omnia facis , omnia ſuſtines. Hanc zeli pietatem in minori Tua ætate jam excolere cæpiſti , dum ad latus Sanc: mem: Sereniſſ: IOANNIS III. exiſtens , non ſine Spirituali animarum lucro, & memorabili Tui Nominis gloria , coram Majeſtatibus Præconem Verbi Dei egiſti frequentiùs. Exſtant in Te alia verè magnarum virtutum , & publicis commodis conſulentium archetypa , quarum expreſſa eaq; continua in Regno reſplendent exempla : ſummam illam dicendi vim , quâ dubia promptè reſolvis ; ſapientiam , quâ obſtruſa facilè penetras ; ſpectatam prudentiam , quâ perplexa dextrè colligis, mirabantur Lublinenſia & Petricovienſia Regni Tribunalia, in quibus toties Judex Deputatus exſtitiſti ; & Magni Nominis viri , mirabilem Tuam in rebus gerendis ſtupent dexteritatem. Nec mirùm ; ſi hoc innatum DŁVZEWSCIORVM ex POBOGIIS Familiæ , vt poſt Deum & cum Deo (ſic enim Arma ſonant) ſemper ambulent, ex qua continuô ad noſtra vſq; tempora prodeunt rerum geſtarum gloria celebres , virtute bellica illuſtres Heròés, qui omnes fermè *Bellonæ* & *Martis* ſtudijs bono Eccleſiæ, & ſubſidio Patriæ ſeſe mancipârunt : videres in campo Pyrrhos , in bellis fulmina , in Curia Cathones , Oracula in Conſilijs. Et vt antiquiores , quorum cum vetuſtate gloria viva manet , taceam ; recentiſſimos produco Scipiones. Nonne Illuſtr: THOMAS DŁVZEWSKI Dapifer Dobrinenſis, Vice-Præfectus Cohortis Loricatæ, germanus Frater Tuus, in coronamentum heroicæ virtutis poſthumâ

 humâ

humâ memoriâ promeruit famam? qui majorum ſuorum facta, & nobilem dexteritatem in exemplum propoſitam, mori potius pro Patria, quam vivere in anguſtia illius propoſuerat, exauditumq; ex alto deſiderium, nam in expeditione vltima Podhaycica anno elapſo contra potentiam Tartaricam cum Cohorte ſua ſemel, & iterum ſtrenuè decertando, & inimici impetus reprimendo, tertiò hoſtem aggreſſus eſt validiſſimè, & glorioſo accepto ſagittæ vulnere, vitam ſanguine conſecravit, atq; ita Antenatorum ſuorum merita, proprijs ipſe ſuperavit, & maximum decus Domui & Familiæ reliquit. Nonne & FRANCISCVS Patruus Tuus eadem in Sago reddidit obſequia Eccleſiæ, dum in Caſtris Viennæ Auſtriæ, ſub Parkano fortitudine Achillea cum Othomanico milite acriùs dimicando, glorioſiſſimè occubuit, vt immortalem ſibi gloriam conciliaverit. Non prætermitto ſilentio Illuſtriſſ: STANISLAVM STAWSKI Iudicem Terreſtrem Chełmenſem, ex Matre Tibi Avum, Eccleſiæ amatorem & Patriæ, ac fideliſſimum juſtitiæ protectorem, qui Tribunalia Regni æquanimi prudentia, non minùs quàm auctoritate, munere Vice-Mareſchalci non ſemel functus, decoravit. Reſtat ſuperſtes Domus Tuæ Illuſtriſſ: CASIMIRVS DŁVZEWSKI Capitaneus Ayſinenſis, Pocillator Terræ Chełmenſis, & Vice-Præfectus Cohortis Loricatæ, germanus Frater Tuus, ex innata generis dignitate, Religionis Orthodoxæ defenſor acerrimus, verus libertatis tutor, Patriæ & Familiæ inæſtimabile ornamentum (abſq; captatæ gratiæ ſuſpicione loquor) quid enim in theatro Patriæ vniverſæ, in Comitijs Generalibus Varſavienſibus vltimis

timis, pro Juribus Ecclesiæ, & Patrijs legibus egerit? quomodo inexpugnabilem se reddiderit? omnibus est exploratissimum: ob rarum ingenij sui specimen, multotiesCommissarius factus, & toties ad Comitia Regalia liberis Nobilium suffragijs Nuncius declaratus: post condignam observationem animi sui in Patriam, & debitam in Castris dexteritatem, à Serenissimo Rege AVGVSTO II. Capitaneatu justè donatus est. Non præterire fas Illustriss: Avunculum Tuum bono Reipublicæ adhuc superstitem PAVLVM RYSZKOWSKI Castellanum Mściślavienſem, qui Familiam Tuam heroicis actibus suis, & dignitate exornat Senatoria, Vir de Republica meritissimus, ex bellica fortitudine multa meretur encomia, quippe triginta annorum Vice-Præfectum Hussarorum, & ipse principem militem agens, quot belli incommoda pro Patriæ integritate, & reportatas, in tam cruentorum præliorum laboribus, quot numeraverit victorias, publica testatur fama. Iam facescant Pompeij, Marcelli, exterminentur Scevolæ, procul Valerij, Fabricij, illi bellicæ laudis avidi, pro Patria libertate spatium vitæ direxerunt, isti DŁVZEVIANÆ Stirpis Heròés pro aris & focis veri honoris DEI fortiter dimicârunt. Hæc omnia *Illustrissime Præsul* compendio in Te exarata sunt, qui non iam materialibus, sed Spiritualibus armis indutus, totius Podoliæ & Russiæ, quid dico? DEI & Ecclesiæ longè acriorem hostem aggredi, & Avitâ CRVCE Tuâ lacessere non formidas, vt Fidem Catholicam augeas, auctam conserves, templa & ptochodochia ædifices & plantes. Quocirca pro excelsa hac animi Tui magnitudine, exquisitissimi decernentur ho-

nores

nores, invsitataq́ ad æternitatem extruentur monumenta, vivus volitabis per ora virorum magnorum; literisq́ ac scriptis gravissimis celebraberis, neq́ tam insignem virtutem Tuam, vlla vmquam obruet vetustas, nulla delebit oblivio. Suscipe igitur hunc libellum meum, non minus rerum & historiarum varietate, quàm earum antiquitate refertum, quem diu à me destinatum, re ipsa nunc offero, eoq́ quo soles affectu lege, & promove.

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ,

Devotissimus Servus

M. F. L. C. A.

PRÆFATIO
in
ORIENTALES & OCCIDENTALES CONTROVERSIAS.

TRedecem leguntur elapſa poſt Chriſtum ſæcula ante Concilium Conſtantienſe, quibus Romanæ Sedis Præſules Eccleſiaſtici regimīs & jurisdictionis auctoritatem, ſuper univerſas mundi Eccleſias, & adversùs hæreſes omnes, pleno jure & libertate exercuerunt, cunctiq́ per orbem fideles, & Eccleſiarum Antiſtites, in cauſis fidei, judicia illorum ſemper requiſiverunt: nulla tamen præfatis ſæculis oborta quæſtio de ſubjecto poteſtatis Eccleſiaſticæ *nec ulla legitur mentio* de poteſtate coactiva Conciliorum, *licet interdum diſſidentium Schiſmaticorum, vel Hæreticorum Romanæ Sedi refragantium occaſione, variæ intervenerint Controverſiæ. Hæc quippe à primordijs Catholicæ Eccleſiæ ab omnibus obſervata, credita, & retenta fuit regula, nimirum: ſupremam poteſtatis Eccleſiaſticæ auctoritatem Divinitùs inſtitutam, quæ oves Chriſti regat, veritates Orthodoxas componat, & lites dirimat fidei, ad Sedem Apoſtolicam ſpectare, profitentibus ipſius Gallicanæ Eccleſiæ Patri: ad Innocentium X. ſynodaliter de Pelagio ſcribentibus:* Vetuſtæ illius ætatis Eccleſia habetur Contr. 17. Sæculi.

a Catho-

Catholica, solâ Petri Cathedræ communione & auctoritate fulta. *Idipsum professa omnium maxima*
a 1. part. *Chalcedonensis Synodus :* [a] Beatis. Romanæ Civitatis Episcopus, locum habet de fide, & sacerdotio
b act. 4. judicandi : *& iterum :* [b] in omnibus expectamus sententiam Beatis. nostri Archiepiscopi Romani.
c act. 4. [c] *Et sexta Synodus palam testificata: judicium* Apostolorum omnium Principis, omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesq; Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi ; *quia è vetere fidei deposito, ejus custodia Petri Cathedræ concredita est.*

Nondum enim Oecumenici Concilij nomen Ecclesiæ innotuerat & jam Apostolicæ Sedis gladium, in plectendis hæreticis, in dirimendis & terminandis fidei controversijs, Romani Pontifices passim exercuerant. Primò Petrus ea auctoritate usus adversûs Simonem Magnum primum Hæresiarcham. Secundo Sæculo, Polycarpus super Paschatis quæstione, Romam ad Anicetum, ad ejus eâ de re explorandam sententiam venit, qui debitæ Asianorum consvetudini noluit refragari : Festinavit eâ de causa & Montanus. Pius primus Euseb. lib. 5. Hist. Eccles. *postea, contra eosdem Asiæ Episcopos sententiam condidit, totiq; Ecclesiæ observandum tradidit die Dominica Resurrectionis Domini mysterium; sed renitentibus, & reclamantibus Asiaticis, eos Victor mucrone perculsit*

Apo-

Apoſtolico, & à fœdere Eccleſiaſtico ſegregavit. Tertio Sæculo, Cornelius, Novatum & Novatianum proſcripſit. Et Stephanus, Africanos de rebaptiſandis hæreticis peſtifera dogmata propinantes, ſententialiter compeſcuit. Eodem Sæculo Baſilides Epiſcopus licet hæreticus Romam ſe contulit cum querelis, ut ſedi ſuæ à qua dejectus fuerat reſtitueretur. Quarto Sæculo, Melchiades lacus contrivit Donatiſtarum ad aliud tribunal à Pontifice appellantium, cujus ſententiam Auguſtinus ſanctam proclamat, ultimam, integram, & innocentem, improbos verò Donatiſtas, inſanos, malos litigatores, ad aliud judicium provocantes. Hæc ante Generalia Concilia. Cyprian. Epiſt. 68. Epiſt. 162.

Iam verò incipientibus in Eccleſia Oecumenicis Concilijs, quorum conſvetudo Domini exemplo, & Apoſtolorum uſu, quarto ſæculo manſit ſtabilita, atq; firmata in Eccleſia, quanti ab ipſis habita, & æſtimata fuerit, Romani Pontificis auctoritas: primò occurrit Generale primum Nicænum, cujus Canones pro auctoritate Romanæ Sedis militantes licet ſubrepti ſint ab Orientalibus, reſtat tamen teſtimonium in tabulis nunquam perituris expreſſum Athanaſij Patriarchæ, cum univerſis Ægypti, Thebaidæ, & Lybiæ Epiſcopis ad Felicem Papam ſcribentis: [a] Scimus in magna Nicæna Synodo 318 Epiſcoporum, ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſq; Romani Pontificis ſententia, Concilia celebrari, nec Epiſco-

[a] Epiſt. Syn. Alexandri.

b lib. 2. Cap. 13. scopos damnari. *Idem refert Socrates :* [b] *prohibere Ecclesiasticum Canonem (utiq; Nicæni primi) ne decreta absq; Romani Pont. sententia in Ecclesia sancirentur. Et Sozomenus* [c] *pariter attestatur. Concilium Constantinopolitanum primum, eodem quoq; sæculo celebratum, non ne ex Epistola Damasi* [d] *elicit doctrinam de Spiritu Sancto? quæ in volumine Occidentalium eidem exhibito continebatur, cum professione fidei ad Paulinum Episcopum Antiochenum, ab eodem Pontifice scripta, in qua & anathemata dicuntur adversùs omnes hæreses, tunc temporis Orientalem Ecclesiam potissimùm infestantes. Non ne & nomen Oecumenicum ab eodem sortitum est Pontifice? in sui ab eo confirmatione; ut videlicet mobiles illos Orientis Episcopos in officio contineret, stabiliretq;, huic Synodo magnam impartitus est auctoritatem, ut sic ijdem suis ipsorum vinculis firmiùs stringerentur, & post hac nefas ducerent, quòd summo consensu fuerat institutum, & ab Occidentalibus receptum, ac sublimi loco repositum, solita levitate convellere; quod quidem consilium Damasi, ex decoro Oecumenici titulo, magno fuisse Catholicæ Ecclesiæ æmolumento, eventus docuit. Nonne istius ejusdem Concilij rejecti sunt Canones ab Apostolica Sede? & illi tantùm recepti, qui Divinis scripturis probati & ex volumine Damasi in Occidente à Synodo recitati sunt. Quinto Sæculo, causa Nestorij Romæ auctoritate Apostolica fuerat priùs terminata cum adjectis duodecem anathematismis,*

c lib. 3. Cap. 9.

d tom. 1. Concil.

ſmis, conceſſo Auctori ad reſipiſcendum decem dierum ſpatio, [a] *antequam ad Alexandrinam & Epheſinam Synodum perduceretur: ipſa autem Alexandrina & Epheſina Synodus in negotio Hæreſiarchæ mandatis & ſcriptis Cæleſtini dirigitur:* [b] Coacti per Sacros Canones, & Epiſtolam Sanctiſ. Patris noſtri Cæleſtini; *ſententiam in omnibus requirunt Patres:* [c] Digneris igitur quid hîc ſentias præſcribere, quò liquidò nobis conſtet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò eidem liberè denunciare, neminem cum illo communicare. *In eodem Concilio Iuvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus, univerſam pene Synodum ad ſua perduxit vota, ut primatus Syriæ & Palæſtinæ ſibi adjudicaretur, reſtitit Synodo Cyrillus Apoſtolica fretus auctoritate: & cùm Iuvenalis in poſteriori Synodo idipſum perficere conatus fuerit, irritavit omnia Leo. In cauſa Eutychetis & Concilij Chalcedonenſis, illud ipſum comperiet Lector, S. Leonem Auctorem damnationis, & Legislatorem tanti Concilij exſtitiſſe, ad ejus nutum Patres Concilij in proſcribendo Eutychete, cuncta egiſſe, omnibus viva voce acclamantibus.* [d] Anathema ei, qui ita non credit, Petrus per Leonem locutus eſt: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credunt: Catholici ita ſapimus: *Dioſcorus* [e] *verò pœnâ plectitur, quia Epiſtolam Leonis ad Synodum directam recitari prohibuit Epiſcopis Epheſi congregatis, & quia adversùs Apoſtolicam Sedem latravit,*

a Iſod. Pelt. tom. 1. Cap. 14.

b part. 2. Con. Epheſi. act. 1.

c part. 1. Cap. 14.

Leo Epiſt. 61.

d 1. part. Cōc. Chal.

e act. 3. Concil. Chalced.

travit, & literas excommunicationis contra S. Leonem facere conatus est. [f] Condita fuit hoc in Concilio quædam definitio Epistolæ Leonis, non minùs quàm fidei dissona, quam nisi Patres revocassent, & rursus consensissent Epistolæ Leonis, fuisset haud dubio condemnata, & Synodus dissoluta [g] Eutyches ipse jam damnatus, non est veritus interpellare Romanum Pontificem, sperans, in eandem partem universam Ecclesiam ituram, in quam ipse esset propensior. Hæc quinto sæculo.

f act. 6. Concil. Chalced.

g Epist. 1. S. Leon.

Sexto Sæculo, sola viguit Apostolicæ Sedis auctoritas in exuflandis tribus Capitulis, & motibus in Oriente sepeliendis, atq; comprimenda temeritate Iustiniani legem Sacerdotibus præscribentis: Vigilius namq; audacter restitit Edicto Imperatoris, auctoritatem de dogmatibus judicandi sibi arrogantis; & correctionem tumultuariæ transgressionis Episcopis Orientalibus præfato Edicto subscribentibus, indixit, & nisi quòd malè futurum erat auferretur, etiam vindicaturum se esse prædixit· Ipsa Quinta Synodus facto declaravit sui à Romano Pontifice in ferendis judicijs dependentiam, damnato namq; Synodaliter Mopsuestene, sententiam haud ratam judicarunt Patres, sine Apostolicæ Sedis conveniente assensu; ideoq; eum cum singulis personam Theodoreti concernentibus gestis, Vigilio, (licet eum hâc in parte difficilem sciêrant) omni cum submissione denunciant, consensum suum pro roborando in eum judicio requirendo.

Facund. lib. 12. Defen. Capit.

Coll. 5. quint. Syn.

Septi-

Septimo Sæculo, auctoritas Romani Pontificis in sexta Synodo fuit illustrata, dum universi Concilij Patres relegi petierunt Agathonis Epistolam, (quâ fidei definitio continebatur) ut eâ tamquám fidei regulâ instructi, judicium quoq; Apostolicæ Sedis in condendis Synodicis decisionibus sequerentur: quâ perlectâ, omnium vox intonuit: ita profiteor, ita credo, quemadmodum habent suggestiones Sanctissimi Patris Agathonis: Charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. *Legatur & editio definitionis Sacræ hujus Synodi, & digitis labella compescánt Adversarij, quâ profitentur Patres, non aliam conditam ab eis doctrinæ regulam Catholicæ, quàm quæ Epistolâ Agathonis tradita est:* Præsens Sancta & Vniversalis Synodus, fideliter suscipit, & expansis manibus amplectitur: suggestionem quæ à Sanctissimo ac Beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est.

act. 4. 6tæ Syn.

act. 18. 6tæ Syn.

eâdem act.

Octavo Sæculo, quis juratos Ecclesiæ hostes Iconoclastas profligavit in Oriente? & plantata jam hæreseos germina, quis exstirpavit in Occidente? non ne Adrianus Pontifex insultus contrivit hæreticorum, cujus formidabilior erat Iconomachis auctoritas, quam septimæ Synodi, & totius in ea Congregatæ Ecclesiæ majestas. Legat qui dubitat Orthodoxi Constantini ad eundem Adrianum literas: Rogamus vestram Paternam beatitudinem, ut ascendat huc, in stabilitatem

in præamb. 7mæ Syn.

tem & firmitatem antiquæ traditionis ſuper Venerabilibus imaginibus, debitum enim illi hoc facere. *Septima autem Synodus ſupereminentem Romanæ Sedis auctoritatem palam recognovit, dum præſcriptam ab Adriano ſententiam ad amuſſim ſervavit, & rebelles à conſortio fidelium ſegregavit, in unum ſenſum omnibus proclamantibus:* Tota Sacratiſſima Synodus, ita credit, ita ſapit, ita dogmatiſat: & qui ita non credit anathemati ſubmitto. *Iterum autem requirentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, an literas Adriani admittant, iterum repoſuêre Patres:* Sequimur, ſuſcipimus, & admittimus.

act. 2. 7mæ Synod.

ibid.

In cauſa Photij Nono Sæculo agitata, Petri Sedem & ejus Succeſſorum, ad Concilium generale comparatam, præcellentiorem demonſtrat Octava Synodus, cùm recognoſcat ipſum Romanum Pontificem ſupremum eſſe in terris judicem, in legibus ferendis, in Epiſcopis adversûs tyrannos protegendis, in graviſſimis fidei quæſtionibus decidendis, in Synodis confirmandis, & corrigendis ſæcularibus Principibus poteſtate ſuâ abutentibus. Et nobis viſum *(inquiunt Patres)* Beatiſſimi Papæ Nicolai decretis omni ex parte ſtandum, ab omnibus & parendum eſſe. Quicunq; igitur poſt cognita B. Papæ Nicolai præcepta contumax perſtiterit, aut contumaces receperit, quicunq; ille ſit anathema eſto. *Ratio ſubditur ab Apoſtolicæ Sedis Legatis: quia* non licet reſcindere judicium Sacrorum

act. 1. 8væ Synodi.

act. 4. 8væ Synod.

rum Romanorum Pontificum, hoc enim contrarium est Canonicis institutis. *Petit hæc Synodus, ut adversùs Photium, & Episcopos schisma tuentes judicium à Pontifice feratur. Nihil quoq; agit auctoritate propria in causis incidentibus*: non per potestatem nostram, potestas enim hæc, vestra est, *alloquuntur Patres, Apostolicæ Sedis Legatos.* act. 3. act. 4.

Decimo, Vndecimo, Duodecimo, & Decimotertio Sæculo, Romana Sedes Regulá fidei extitit, & Magistra, ut quæ dixerit ipsa ad fidem, vel mores spectantia, mox ut Sacrum Divinitûs allatum symbolum reciperetur, ut in Concilijs Lateranensi Maximo, sub Innocentio 3tio. Sueonensi [a] *sub Hireveo. Rhemensi* [b] *sub Seguino Sononensi Archiepiscopo Lemovicensi* [c] *de S. Martiale. Stampensi sub Innocentio 2do Viennesi sub Clemente 5to; & ex alijs passim hábitis Synodis in Occidente, facilè colliget Lector, Romanos Pontifices universam Ecclesiam tam Dispersam, quàm Congregatam, cum plenitudine potestatis propriâ auctoritate direxisse, eorumq; intuitu doctrinæ, præcepta omnia acceptata, & ut Sacrosancta retenta fuisse. Nulla autem tredecem illis Sæculis de subjecto potestatis Ecclesiasticæ, vel Coactivæ, ad Concilij Constantiensis tempora legitur Controversia; si quidem in Apostolica Sede primarium erectum credebatur stare tribunal, ad quod principaliores causæ è remotioribus etiam orbis partibus deferebantur, audiebanturq; dictis omnibus sæ-*

a Conc. Sueon. C.4.
b Conc. Rhem. C a. 28.
c Lemovi. act. 1. 2.

culis à Romanis Pontificibus fidei sententiæ.

Concilij ergo Constantiensis 14to sæculo habiti tempore, hæc prima prodijt quæstio: sed unde originem hauserit? jam omnibus exploratum est: schisma PseudoPontificum de Papatu contendentium, hujusmodi quæstionis causam dedisse. Sed miror, quâ ratione hoc nostro cadente sæculo ab Auctore Anonymo, eadem quæstio resuscitata, & decreta duo Sessionis 4tæ & 5tæ Constantiensis Synodi renovata, tantoq; cum zelo ab illo propugnata pro auctoritate Conciliorum Generalium, ut detrahat Pontificiæ: cùm aliàs decreta illa Constantiensia auctoritate Romanorum Pontificum, [a] *& ipsorummet Conciliorum Generalium* [b] *improbata sunt, ut pote contra schismaticos tantùm, non pro indubitatis Pontificibus condita, & ad hæc usq; tempora, legitimos Romanæ Sedis Præsules nusquam ligantia. Et in Regno Galliæ præfata Decreta, licet fuerint à Carolo VII. pragmatica Sanctione stabilita, Leonis tamen X. & Francisci primi auctoritate, cum dicta Pragmatica, ita annullata & abominata sunt decimo sexto sæculo, quòd nulla de eis mentio ampliùs in Regno habenda foret. Sanè mirùm, quo pacto Decreta illa in quæstionem veniunt, quæ in Regibus Christianissimis in facie Romani Pontificis, & Concilij Lateranensis Gallia ejuraverat: Immo hoc nostro sæculo factis probaverat ex occasione Ianseniane hæresis, dum in Summo Pontifice, ejusq; sede, non in Generali Concilio, literis Synodali-*

Turrecre. lib 2. de Eccl.

a Martin. 5. Eugen. 4. Apolog.
b Concil. Lateran. Conc. Florent.

Ioan. Doujat. in specimine juris Gallici.

Epast. Innocen. X. & Alexan. 7.

dalibus recognovit Gallicana Ecclesia, Orthodoxorum omnium refugium, & ultimum fidei resolutorium. Vnde autem hæc mutatio? Eruditi jam notaverunt, qui super Regalia tomos confecerunt. Concilium præponere volunt, ut nolint Pontificem posse aliquid super Canones, sed illis sit ipse subjectus; sed quomodo ista? si ejus decreto indicuntur Synodi, & sanciti in eis Canones confirmantur, ut robur in Ecclesia consequantur, alioquin nullus stat Canon, nisi vim subsistendi à Sede Petri accipiat: supra Canones ergo ille censeri debet, qui vim & auctoritatem Canonibus impartitur. Subjectum volunt Canonibus, adeoq; Concilio inferiorem, ut appellationibus via, à sententia Romani Pontificis ad futurum Concilium aperiatur. Et ubi est hoc futurum Concilium? ubi residet? ubi tribunal ejus? Is judex appellabitur qui actu non reperitur. Et quis quæso erit Religionis Catholicæ ordo? quis Episcopus? quis judex suo satisfaciet officio? quæ manebit obedientia? quæ executio sententiæ habebitur? si licebit appellare ad illum Iudicem, qui actu non est, sed à voluntate tantùm dependet Pontificis. Hæc erat prima Donatistarum inventio, ut impunita sint scelera, ut liceret sine metu judicij sapere quæ mundi sunt, non quæ IESV Christi. Indignum sanè sentire, ut quòd Deus tribuit Cathedræ Moysi, negaverit Cathedræ Petri, cùm ipse IESVS sedentibus super Cathedram Moysi, licet longè virtutibus degeneres essent,

ſent, parendum tamen eſſe præcepit: illi ſolùm profeſſi contrarium, qui ab Eccleſiæ Capite Chriſti divulſi, ſe eſſe corporis ejus, nempe Eccleſiæ membrum, impia rebellione negarunt.

Novimus equidem, Concilia non tam ab Apoſtolis, quam à Chriſto duxiſſe principium, atq; ſumpſisſe auctoritatem, quando ſcilicet ſummam fidei agens, interrogavit ſuos; quem dicunt homines eſſe filium hominis: *At illud congregare, vel quicquam de fide definire, haud fuiſſe liberum abſq; Romano Pontifice: vel ſi quid definiiſſent, illius probari auctoritate, ſolemne ſemper in Eccleſia fuit. Cujus quidem veteris obſervantiæ probatum antiquitûs uſum liberâ voce teſtatus eſt in Chalcedonen. Concilio Luculentius;* [a] *de quo & Patrum inſtituta Paſchaſinus Legatus addidit: teſtatur & ipſe Damaſus,* [b] *nullius eſſe momenti decreta Synodi, cui ipſe per ſe, vel per Legatos aſſenſum non præbuiſſet. Officium namq; Conciliij Generalis eſt, Sanctiones dogmaticas Romani Pontificis cum reverentia acceptare, ſuffragio unanimi comprobare, rebelles & inobedientes eidem, decretaliter coërcere, non verò in Chriſti Vicarium quicqnam attentare. Vnde Auguſtinus duobus argumentis eludit Concilium Cyrcenſe Donatiſtarum, primò quòd in eo Iulius Romanus Pontifex legeretur eſſe damnatus; ſecundò quòd literæ Synodales ab eo Concilio, datæ eſſent ad Epiſcopum Carthaginenſem, non ad Romanum*

a act. 3.

b Epiſt. ad Epiſc. Iliric.

lib. 3. con. Creſc. Cap. 34.

num

num Pontificem: quibus intelligas, malè audisse apud antiquos, quidquid contra Pontificem dictum audiretur factumve à Concilio. *Nunc autem* obijciunt nobis Canones cùm non sciant quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ sedi sana, rectaq; svadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ, ad hujus sedis examen volvêre deferri: ab ipso verò nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius comeáre judicium. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamq; illius constituerunt, non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda mandarunt. *Gelasius, de obstinato Græcorum animo. Hucusq; de Controversijs Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ.* Gelas. Ep. ad Faustum.

Facultas Reverendiſſimi Patris GENERALIS.

Mag. Fr. ANTONIVS PACINVS Ravennas totius Ordinis FF. Erem. S. P. AVGVSTINI Prior Generalis.

CUm Opus cui titulus eſt, *Controverſiæ Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, de ſubjecto poteſtatis Eccleſiaſticæ*, à Reveren. P. Magiſtro Czepanſki Polono, Noſtri Ordinis Religioſo elucubratum, Reviſores à Nobis deputati dignum publica luce approbaverint; harum ſerie, Noſtriq; muneris auctoritate, ut Typis mandetut, licentiam concedimus, ſi ita ijs ad quos ſpectat videbitur. In quorum fidem præſentes dedimus in Conventu noſtro S. P. AUGUSTINI de Urbe die 16 Auguſti. 1698.

F. ANTONIVS PACINVS GENERALIS.

(Locus ✠ Sigilli)

Mr. Fr. Ioannes Mengarellus Rav.
Secretarius Ordinis. Regiſ. lib. 6to.

Imprimatur.

Stephanus Wierzbowſki, Gneſnenſis, Poſnanienſis Canonicus, Cantor, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Varſavienſis.



INDEX

Controversiarum Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, cum Oppositionibus Auctoris Anonymi per Capita & Paragraphos distinctarum, *de subjecto potestatis Ecclesiasticæ.*

Ex CONTROVERSIA I. SÆCULI.

De tribus Apostolorum Concilijs.

OPPO-

Ex CONTROVERSIA ejusdē SÆCVLI.
In Causa Nestorij, & Concilij Ephesini.

Ex CONTROVERSIA ejusdē SÆCVLI.

In Causa Eutychetis & Concilio Chalcedonensi.

Ex CONTROVERSIA VI. SÆCVLI.

In Causa Vigilij, & trium Capitulorum.

OPPO-

CAPUT X.

Ex CONTROVERSIA VIII. SÆCULI.

In Causa Iconoclastarum.

OPPOSITIO Auct. Anon. deest.

CAPUT X.

tem

Ex CONTR. XVII. SAECVLI.

In Cauſa Cornelij Ianſenij.

OPPOSITIO Auct. Anon. deeſt.

CAPVT XIV.

CON-

CONTROVERSIÆ ORIENTALIS & OCCIDENTALIS ECCLESIÆ

Motivum ſcribendi dictas Controverſias adverſûs Auctorem Anonymum, Lectori aperitur.

I. VT inſtituti hujus reddatur ratio, cur de ſubjecto Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Inerrabili Eccleſiæ regimine, Controverſias Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, occaſione Diſſidentium circa fidem & diſciplinam Eccleſiaſticam ortas; in Concilio Conſtantienſi ſub tempus Schiſmatis ventilatas; à Baſileenſibus prætextu reformandæ Eccleſiæ in Capite & in membris, renovatas; & noviſſimè, ſpecie defendendæ libertatis Eccleſiaſticæ reſuſcitatas; ex vetuſtis monumentis, Concilijs, Patribus coætaneis, Regulis Eccleſiaſticis, & Eccleſiæ Gallicanæ factis, per ſingula quaſi poſt Chriſtum ſæcula, in unum compendioſè congeſſerim, motivum Lectori aperio.

2. Ante ſeptem circiter annos, inciderat in manus meas, cujuſdam curioſi, & in hiſtorijs Eccleſiaſticis verſatiſſimi Auctoris, ſed ſine nomine, codex quidam ſcriptus, quem recentiſſimè exaratum, non charta tantùmmodo demonſtrabat, verùm Auctores in eo citati, quorum alij purpurâ non pridem decorati ſunt, alij ali-

is titulis honorati, nec nobis incogniti, indigitabant, novissimè fuisse conscriptum, & aliàs à multis eruditis passim desideratum. Titulus illi præfixus sequens legebatur: *De auctoritate Summi Pontificis, & Conciliorum, in Controversijs, & fidei quæstionibus dirimendis.* Contenta illius ex antiquissimis deducuntur Controversijs, historijs, Concilijs, Patribus, varijs Ecclesiæ factis, atq; omnibus ferè litibus, quæ Dissidentes, inter, vel Catholicos de potestate clavium vigere poterant, ad Concilium usq; Basileense inclusivè: quibus contendit evincere, & persvadere omnibus, regimen Catholicæ Ecclesiæ haud Monarchicum esse, sed permixtum duntaxat Aristocratiâ. Romano Pontifici seorsim à Concilio Generali, & Universalis Ecclesiæ consensu, non convenire privilegium inerrantiæ, aut infallibilitatis in definiendis eis, quæ sunt fidei: ac proinde extra Congregatam Ecclesiam, seu Generale Concilium, etiamsi quicpiam auctoritate Pontificiâ definiatur, & pronuncietur ex Cathedra, judicium non esse irreformabile, neq; certam omnino fidei regulam, in dijudicandis ejusdem fidei ac morum quæstionibus, & controversijs; Verbo dicam: nihil non movet Auctor Codicis, pro Conciliorum Generalium majestate, ut detrahat Pontificiæ, adeoq; auctoritatem Ecclesiæ, ab Oecumenico ejusdem Ecclesiæ Antistite conatur rescindere, & novam turrim confusionis, ad cœlum si fieri posset pertingentem, quâ adversûs Apostolicam Sedem dimicetur, construere; Primatum in illa, jus judicandi supremum, totamq; potestatis plenitudinem, in Congregata Ecclesia reponendo; quasi ita Dominicâ voce fuerit constitutum.

3. Fateor scripsisse hac in parte, non priscis tantùm, sed his quoq; temporibus, non exigui nominis viros, & laudatissimos illos nostris diebus novimus scriptores, qui Ecclesiæ Catholicæ visibilem Monarchiam à Chri-

à Christo Domino institutam, super Petrum fundatam, ac per ejus legitimos verosq; successores Romanos nimirùm Pontifices inviolatè conservatam, religiosè custoditam, neq; unquam interruptam, vel intermissam, sed perpetuò continuatam, semperq; hujus mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, unum Caput visibile, cui pareant membra cætera, esse cognitum & observatum, luculenter descripserunt; & originem ex scripturis, & SS. Ecclesiæ Patribus fideliter demonstrârunt. De auctoritate quoq; Sedis Apostolicæ, & Conciliorum Generalium cum eadem S. Sede comparatorum, egerunt studiosissimè, & disparitatem jurisdictionis in utroq; genuinè demonstrarunt. De Potestate tandem Ecclesiastica, quomodò per totum se orbem terrarum diffuderit, ac per illam successione temporum Religio Catholica in unius visibilis Capitis conjunctione coagmentata, atq; in uno spiritu fuerit propagata, multa longè latèq; aperuerunt: Non omnes tamen illi, per singula post Christum tempora atq; sæcula hàc in quæstione omnia retulerunt, nec omnia fundamenta Auctoris Anonymi infregerunt, quia non singula tetigerunt: non quòd eruditissimi viri illi, & omni majores exceptione, in contrarium authentica referre, & respondere non valuerint, sed quòd latentem hucusq; in tenebris, & expectabilem ab illis codicem; habere præ manibus non potuerunt.

4. Is quia in manus meas, (& ut liceat ingenuè fateri) studio diuturno quæsitus, inventus inciderat, eum ad calcem lustravi diligentissimè, lustratum, cum Concilijs, Patribus, historijs, factis ab illo citatis confrontandum censui, Bibliothecasq; nobiles, & vetustos probatosq; Auctores requisivi, memor Hieremiæ: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*; atq; ita Auctorem Hierem. 6.

Anonymum comperi, falsâ quæq; in suum codicem cumulasse, omnia ad sensum suum traxisse, ac prorsus invertisse, & ex Ecclesia, Synagogam, ex Hierosolymis, Babilonem reddi voluisse. Ad cujus conatus infringendos, commenta detegenda, ac imposturas aperiendas, germanamq; ac sinceram Ecclesiæ vultûs imaginem ex antiquo prototypo demonstrandam, non aliâ consultatione opus habuimus, quàm ut ait Lirenensis: *Deposita Sanctorum Patrum & commissa servare, damnare*
Cap. 34. *profanas novitates: & sicut dixit & iterum prædixit Apostolus, si annunciaverit quis, præter quòd acceptum est, anathema sit.*

5. Sic enim veritas, quâ totius Ecclesiæ unitas continetur, & Catholici dogmatis sensus genuinè intelligetur: Et sicut magno miraculo olim ab Aaronis virga Divinitûs concessa, Ægyptiorum Magorum virgæ præstigijs involutæ, & in Dracones fallaciter conversæ, devoratæ sunt; ita pariter veritate ex Orthodoxis Patribus, & Sacris Ecclesiæ monumentis deprompta, & semel in medium posita, Adversarij commenta omnino evanescent, & Ecclesiæ facies non habens maculam neq; rugam, regimenq; illius inerrabile, quod Auctor Anon: labefactari studuit, ex ijsdem ipsis quas opponit Controversijs, decori suo formæq; restituetur.

6. Ex occasione ergo hujus codicis, eadem methodo quâ Auctor graditur, progrediemur, à Concilijs Apostolorum exordiendo. Primò fundamenta sua, seu oppositiones per ordinem ex singulis sæculis proponentur, verba & ratiocinia illius superflua rescindendo, ex ijsdemq; ipsis fontibus, quos in contrarium recenset Adversarius, probationes elicientur: ubi verò ex aliquo sæculo defecerit Auctoris Anon: oppositio (sicut deficiunt ex aliquibus, eò; quòd invenire non poterat, quid opponeret) nos ex ijsdem sæculis, facta varia Ecclesiæ,
eidem

eidem contraponemus, & argumenta authentica ad rem noſtram, in propoſita quæſtione deducemus, purèq; ac ſincerè, ex graviſſimis & probatiſſimis hiſtorijs atq; Auctoribus, ſuis locis fidelitèr referendis, hæc omnia abſq; ullo fuco vel figmento tractabimus. Et licet Euſebius Cæſarienſis, Arianiſmo imbutus, Socrates, & Sozomenus Novatianorum fuligine tincti, citati hoc in opere comperientur; ſcias tamen, me illos ſecutum fuiſſe, in ijs tantùmmodo, in quibus concordes cum cæteris efficiuntur, nec ab ullo tam ex antiquis, quàm Recentioribus Scriptoribus reijciuntur. Ornatus quoq; verborum, & ſententiarum apparatus hîc minimè adhibemus, Ethnicis hiſtoricis locutiones illas periphraſticè circumductas relinquimus; neq; *quærimus pugnas verborum; novitates quoq; vocum juxta doctrinam Apoſtolicam evitamus: Patrum tantùm opponimus ſententias, ac verba proferimus, & non noſtra, nec enim ſapientiores ſumus quàm Patres noſtri.* Bernard. *Epiſt.* 77.



EX CONTROVERSIA I. SÆCVLI

De Tribus Apostolorū Concilijs

OPPOSITIO I. Auctoris Anonymi.

" VArijs (inquit Assert: 1) Scripturæ testimonijs o-
" stenditur non superiorem majoremq; esse sum-
" mi Pontif. auctoritatem in decidendis controver-
" sijs quæ pertinent ad fidem, potestate Generalis, & Oe-
" cumenici Concilij; S. Petrus enim qui primus erat
" Christi Vicarius, dum viveret initio nascentis Ecclesiæ,
" suoq; gauderet Primatu, quem ipsi Dominus contule-
" rat in omnes Apostolos, & singulas Ecclesias, nullam
" exercuit potestatem in Universalem Ecclesiam, & in
" Concilium Oecumenicum. Tria namq; leguntur ipsi-
" us tempore, Apostolorum Concilia, in quibus ut Caput
" quidem, & primus inter Apostolos proposuit quòd exa-
" minandum & discutiendum erat, sed eorum quæ di-
" scutiuntur & examinantur, resolutio communi firmatur
" consilio.
" In primo quidem Concilio, ubi actum est de suf-
" ficiendo aliquo in Judæ proditoris locum, dicitur In
" plurali numero *statuerunt duos* non verò *statuit*. In se-
" cundo Concilio, in quo de ordinatione Diaconorum,
" eorumq; institutione res fuit, proponit S. Petrus: *Con-*
" *siderate* (inquit) *fratres, quos constituamus*, sed in hunc mo-
" dum definitio constituitur; *placuit sermo coram omni mul-*
titu-

titudine, & paulo post: *hos statuerunt* in numero plurali, non verò *hos statuit, hos elegit.* Et in tertio Concilio in quo vocata fuit in examen de gentibus quæstio, disceptatumq; fuit, an, qui fidem Catholicam amplecterentur ex Gentibus, deberent circumcidi; quæstionem quidem S. Petrus aperuit, sed mox S. Jacobus de illa quæstione sentire, sic exorsus est: *Viri fratres audite me* (qui modus loquendi ijs familiaris est, qui de re aliqua inter se consulunt) fuitq; omnis capta de proposita quæstione resolutio communi consensu, ut innuunt verba hæc: *placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia*, pauloq; post: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Adde, quòd hæc missa etiam fuerit ad omnes Ecclesias definitio, non privato S. Petri nomine, sed expresso ipso nomine Ecclesiæ Universalis. S. Petrus igitur in ea Concilia supremam non exercuit auctoritatem; *hucusq; Auctor Anonymus de tribus Apostolorum Concilijs; ut superflua rescindantur.*

CAPUT I.

In quo status quæstionis aperitur, & ex ijsdem tribus scripturæ locis, (seu ut ait Apostolorum Concilijs) deducitur, superiorem majoremq; fuisse S. Petri auctoritatem, in resolvendis fidei & morum quæstionibus, potestate Apostolorum collectivè omnium, Universam Ecclesiam repræsentantium.

I. NUllus Orthodoxorum dubitat, quòd æterni Patris Filius, dum Divinæ Naturæ associavit humanam, utramq; hypostaticâ unione conjungens, non venerat

nerat

nerat legem abrogare scriptam, aut jus naturæ à Deo menti uniuscujusq; insitum labefactare, sed numeris omnibus omnia absolutissima reddere, prout de se perhibet testimonium, *non veni legem solvere, sed adimplere.* Certùm autem imò exploratissimùm est, non jure tantùm Divino in scriptura exarato, sed naturali quoq; non nisi numine impellente, & naturâ exigente, summos Sacerdotes qui jure & potestate cœteros antecellerent, etiam apud Gentiles extitisse.

2. De jure quidem Divino apud Hæbręos Summum Pontificem, qui reliquis præesset Sacerdotibus, decideretq; controversias omnes, ab ipso Domino institutum esse, semperq; successores habuisse, non est qui nesciat; de quo præter illa, quæ leguntur in libris sacris *Paralypom.* & *Deuteron:* hæc enarrat Josephus de antiquitate Judæorum scribens: *Nobis persvasum est principio latam fuisse Dei voluntate legem: sed quænam pulchrior, aut justior esse queat, quàm quæ & Deum fecit omnium moderatorem, & Sacerdotibus res maximas administrandas commisit, rursumq; cæterorum Sacerdotum gubernationem summo omnium Pontifici credidit:* & paulo inferius, de istius summi Pontificis auctoritate & observantia: *Hunc sequi debent omnes: hunc perpetuò colunt Sacerdotes, quos semper regit: qui quidem ante alios Sacerdotes, Deo sacrificat, leges custodit, dijudicat controversias, convictos delicti punit; cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.*

lib. 2. contra Apionē.

3. Apud Gentiles quoq; solo jure naturæ dictante, summos Antistites fuisse, omnibus in comperto est: satis ad exemplum ipsa imprimis Resp. Romana, in qua Pontifex Maximus maximum omnium tum inter cœteros Sacerdotes, tum in alios Magistratus sibi vendicabat locum; de quo idem Josephus: *hæc acta sunt Hyrcani Pontificatûs anno nono, mense panemo* loquitur de Romanis. In Atheniensium item Republica summus Sacerdos

ib. 14. de Antiquit. Jud. cap. 16.

dos erat, qui in Areopago exquirebat singulorum sententias, & colligebat, eodem Josepho referente: *Sub judice & Sacerdote Dionysio Asclepiadis: oblatum est Ducibus decretum, Agathocle Principe: suffragia collegit Dorotheus summus Sacerdos, & assessores ex populo.* Hæc cùm Flavius de Judæis & Gentilibus referat, perspicuis exemplis monstrat, non tantùm Judæis jure Divino unū supremum fuisse judicem, Summum Pontificem nuncupatum, qui componeret judicia, ac lites omnes dirimeret, verùm etiam Gentiles solo naturæ impulsu, & mutuâ velut quadam consensione, hoc idem in usu & praxi habuisse. ibidem.

4. Divina sapientia, quæ non ad solvendam, sed ad adimplendam & perficiendam utramq; legem descenderat; institutâ Ecclesiâ, & Collegio Apostolorum disposito, ne ex cujusq; animi sententia fide in diversa distracta, Divina in Ecclesiam collata Sacramenta vilescerent, unum omnium maximum & summum Sacerdotem constituit, qui præemineret cæteris, totamq; Ecclesiam auctoritate & potestate regeret. Hoc primum rudimentum professionis Catholicæ, & principale dogma Ecclesiæ, nec hæretici antiqui inficiati sunt, ad Apostolicam Sedem quàm plurimùm recurrentes, vel pro ratificandis, si fieri posset, vel pro detestandis suis erroribus, ut suis locis ex diversis Controversijs demonstrabitur. Quotquòt autem post Christum fuerunt scriptores Orthodoxi; quotquòt Synodi in Spiritu S. legitimè congregatæ, omnes æquè constanter ingenuèq; professæ, Christum Dominum qui erat Summus Pontifex secundùm ordinem Melchisedech, uni post se Petro, summum in Ecclesia, judicandi & lites componendi reliquisse Sacerdotium.

5. Profitetur idipsum & Auctor Anonymus, dum asserit in suo codice, Dominum in Sacro Apostolorum Collegio Caput elegisse, & in Ecclesia Principatum consti- status quæstionis.

constituisse, quem Petro contulerat, & in Successores ejus propagaverat; eo tamen affirmat cum discrimine, quòd non nisi limitata Petro in Ecclesia collata fuerit à Christo Auctoritas. „ Unum(inquit)inter eos primum, „ & quidem Divino jure constitutum fuisse,scilicet Romanum Pontificem, sed non eo sensu, ea, quæ inter Episcopos est inæqualitas, ita intelligenda, ut summus Pontifex, qui primus est, qui Caput est visibile Ecclesiæ, supra omnes sit & singulos congregatos, & Universalem Ecclesiam repræsentantes in Concilio, sed supra singulos in particulari, cui quidem particulares omnes, & privati singuli Episcopi, & alij Christiani omnes tenentur obedire. „ Hoc ipsum & D. L'Esthoc Regius in Universitate Parisiensi Professor in suis manu scr. Codicibus, licet plausibilibus initiò terminis: De „ potestate (inquit) judicandi, seu definiendi controversias fidei, & morum, quæstionem hìc non movemus, „ supponimus enim id, quòd pro constanti, & explorato „ habetur apud omnes Orthodoxos, eam nimirum inesse „ Romano & summo Pontifici, quem juxta definitionem „ Concilij Florentini *in Dec. Vnion.* constat in universum orbem tenere Primatum, & successionem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, „ totiusq; Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum „ Patrem, & Doctorem existere: sed difficultas est (prosequitur) de certitudine & inerrantia, utrum nempe „ Romanus Pontifex, extra Concilium, in dijudicandis „ fidei quæstionibus, & morum, possit errare vel non! „ „ cujus quæstionis hanc in terminis resolutionem ponit. „ „ *Assertio*: Soli Romano Pontifici seorsim à Concilio „ Generali, aut universalis Ecclesiæ consensu, non convenit inerrantia, aut infallibilitas, in definiendis ijs, „ quæ fidei sunt, ac proinde extra Concilium Generale, „ tametsi quicpiam auctoritate Pontificia definiat, judicium il-

Auctor Anonym. in suo Codic. asser. 1.

in titul. tract. de infallib.

um illius non esse inerrabile, neq; irreformabile; hæc illi.,,

6. Uno verbo; exprimere volunt, Primatum collatum quidem à Christo fuisse Petro, ejusq; successoribus, cum potestate regendi & gubernandi Ecclesiam, judicandiq; & resolvendi controversias, ita tamen; quòd non nisi in particulares omnes, seu dispersas Ecclesias ejus extendatur auctoritas, non verò in Oecumenicum Concilium, Ecclesiam Universalem repræsentans, quod ultimum ajunt fidei nostræ resolutorium, ultimumq; tribunal, adeoq; summam ei, & supremam inesse jurisdictionis & potestatis plenitudinem. Duas ergò illi distingvunt Christi Ecclesias, Dispersam unam, per quam, singulas intelligunt per orbem Ecclesias, à proprijs Episcopis distinctim moderatas; Congregatam aliam, Concilium videlicet Generale. Illam, subesse dicunt, tanquam Capiti, Romano Pontifici, cui in particulari fideles omnes, pariter ac Episcopi sigillatim obedire tenentur: Istam è contrario asserunt, inerrantiæ & infallibilitatis privilegium, ac proinde supremum jus judicandi cum auctoritate habere. Ex quo sequi necesse foret, duas à Christo fundatas esse Ecclesias, alteram cum absoluta regiminis & jurisdictionis potestate, cui quilibet cujuscunq; dignitatis & auctoritatis, etiamsi Papalis juxta illos obedire tenetur. Alteram; quæ Romano Pontifici fasces submittere, & illi in omnibus obtemperare, vocemq; ejus audire jure Divino adstringitur: per Consequens, duas à Christo summas institutas in Ecclesia auctoritates, unam in Romano Pontifice, qui in universum orbem Primatum tenet, & successionem B. Petri, estq; verus Christi Vicarius, atq; totius Ecclesiæ Caput: In Concilio Generali (ut ipsi asserunt) alteram; atq; adeò ex ordinatione Domini, Principatus dari in Ecclesia duos, & duas Orthodoxorum Ecclesias, quòd nullus hucusq; etiam Diffidentium somniaverit;

cùm fide magistrâ, scripturâ teste, nonnisi una legatur fundata supra Petrum, non plures. *Vna est columba mea, perfecta mea, una es matri meæ.*

7. Dispersam quippe Ecclesiam, indistinctam esse à Congregata, ipsa natura & ratio dictat, cùm omnes particulares per orbem dispersæ, unicam constituant & integrent. Hanc unicam Catholicam Ecclesiam, professi sunt in Symbolo Nicænæ fidei Patres: hanc unam, hanc totam, hanc universam ædificaturum se dixit Christus super Petrum *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* non Ecclesias, illiq; soli dixit ascensurus ad Patrem, *Pasce oves meas. Cui non dico Episcoporum* (inquit Bernard.) *sed etiam Apostolorum absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oves: nihil excipitur, ubi distingvitur nihil.* Si ergo unica Ecclesia à Christo fundata est, unicum ab eo electum Caput visibile, cui indiscretè omnes pascendas commisit oves; quomodo auctoritas Petri in Universam Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ Universæ in summum Pontificem, potestatis plenitudo concipienda? nisi duæ Ecclesiæ in orbe Catholico, & duo Principatus Hierarchici omnino distingverentur.

lib. 2. de Consid. cap. 8.

8. Porro Ecclesiæ Congregatæ, seu Concilijs Generalibus universis, semper in suis successoribus præfuisse Petrum, ostendam ex omnibus Controversijs, eorumq; Conciliorum demonstrabo testimonijs, à Synodicæ Ecclesiæ Patribus confessum esse, universam absq; discrimine Ecclesiam, Conciliaq; omnia necessariùm regi & gubernari, ac in finem suum dirigi auctoritate ipsius Sedis Apostolicæ Antistitis. Unde in ijsdem Generalibus Concilijs legimus, Romanum Pontificem nuncupari totius Synodi verticem, Patrem Patrum, Episcopum Episcoporum, omnium Patriarcharum, & totius mundi Patriarcham, immobile & fixum firmamentum

fidei;

fidei; avitum orthodoxi dogmatis fundamentum; Sancti Petri interpretem, cujus auctoritatem ex antiqua Apostolorum traditione semper amplexa est omnis sub cœlo Ecclesia, omnis Oecumenica Synodus: totius Ecclesiæ Patrem, & cui soli hæreses refragentur. In ijs legimus, dogmaticas Pontificis Romani litteras, esse Sancti Petri propriam vocem: Directorem Synodi, Columnam orthodoxæ fidei, cui assentire nolle, sit insanirè in ipsum Apostolorum verticem S. Petrum. Hæc & alia in Generalibus Synodis Orientalibus per ordinem recensendis comperientur; ex quibus quisq; intelliget, Romanum Pontificem ut Principem & Pastorem, verticem, atq; directorem Conciliorum, ab ipsis ijsdem Synodis recognitum & veneratum fuisse. At non ne contra naturam & ordinem esset, recognoscere Principatum in Pontifice, absq; principali regiminis & jurisdictionis auctoritate? Quare si eundem Principatum in Romano Pont. ipsa profiteantur Concilia, jam necessaria sequela erit; non esse Ecclesiæ Congregatæ in ipsum, sed contra potiùs, ipsius, in Congregatam Ecclesiam, regiminis & potestatis auctoritatem superiorem, adeòq; corruere continuò speculativi fætûs ingenia, indivisibilem Christi Ecclesiam per vestem in consutilem figuratam, bipartientia, & potestatem Apostolicæ Sedis ad solam dispersam detrahentia, aliamq; in Concilio reponentia. Sed jam ad argumentum A: Anonymi regrediamur.

9. Bifaria Ecclesiæ divisione suppositâ Adversarius, in Congregatam nempe & Dispersam; à S. Petro exorditur, & ex scriptura conatur eruere, illius superiorem majoremq; auctoritatem non fuisse in decidendis fidei quæstionibus, auctoritate congregati Apostolorum Collegij, Ecclesiam universam tunc repræsentantis, quinimo ait, causæ resolutionem in tribus Aposto-

liorum Conventibus, non à S. Petro, sed ab ipsis congregatis Apostolis, tanquam supremum & ultimum Ecclesiæ judicium constituentibus, peremptorium finem obtinuisse. Hîc sistat pedem, & paululùm attendat lector, rem animadversione dignissimam; Auctorem Anonymum initiò eam quæ primariò desideratur, non adferre nobis in suo codice probationem: in eo namq; convenimus, auctoritatem (de qua ad præsens quæstio) summam & supremam Ecclesiæ, dijudicandi & ultimò terminandi controversias, juris Divini esse, ab ipso Domino immediatè institutam; Verbi itaq; Divini testimonio hîc probari primò debuerat, utpotè quòd naturâ ipsâ non constet, nec aliunde quàm à libera Dei institutione dependeat, illud inerrantiæ & infallibilitatis privilegium, quod utiq; supremam & summam indicat auctoritatem, non S. Petro, sed Apostolis duntaxat congregatis & Ecclesiam repræsentantibus à Christo immediatè communicatam fuisse: Extra dubium enim est, quin institutor Ecclesiæ Dominus, Concilium Generale in Apostolis expresserit, & ejus dignitatem, pariter, ac Petri Primatum, declaraverit: Demonstrandum igitur ex scriptura super omnia venerat, ubi hæc Generali Concilio in Apostolis congregatis repræsentato, & non S. Petro potestatis præeminentia à Christo Domino legitur impartita. Hæc studiò prætermisit Adversarius, quia nec unum jota reperit in scriptura, quod pro ejusmodi Conciliorum Generalium loquatur auctoritate.

10. Profert quidem A. A. tria ex sacris literis loca, à Richerio iterum suffurata. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Ioan.* 16. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Math.* 18. Et *quæcunq; ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis.*

Rich. lib. 1 Concil. Gener. cap. 1.

Sed hæc nec Concilium Generale exprimere, nec aucto-

auctoritatem ſummam declarare, imò cur potiùs prædicta verba ad Concilia Generalia referantur, quàm ad Nationale, vel Provinciale quodcunq; , quod haud dubio, non alio quàm Chriſti nomine congregatur, nullam eſſe omninò rationem, oſtendetur inferius. Ubi verò fundator Eccleſiæ Chriſtus Concilium Generale in Apoſtolis figuraverit? & ſupremum in dirimendis fidei controverſijs judicem, præſentibus conciliariter ijsdem Apoſtolis ubi deſignaverit? hic primùm ſcripturæ teſtimonio, cùm ab eo A. A. deflexerit, declaratur.

11. Primum Concilij celebrandi, & res fidei definiendi, typum à Chriſto expreſſum lego apud Math., Math. 16.
Marcum, & Lucam. Cùm Chriſtus in partes Cæſareæ Mar. 8.
Philippi veniſſet, præmiſsâ cum diſcipulis oratione, in- Luc. 9.
terrogabat eos: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis:* Varij varia dixêre, alij Eliam, alij Hieremiam, alij verò unum ex Prophetis; his inauditis JESUS locutionibus, ad Apoſtolos converſus ait: *Vos autem quem me eſſe dicitis? reſpondens Simon Petrus dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei vivi; reſpondens autem IESVS dixit illi, Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſangvis non revelavit tibi, &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. & quodcunq; ligaveris ſuper terram, erunt &c.* Quòd hîc & non alibi Chriſtus, Eccleſiaſtici judicij formam, & Eccleſiæ Congregatæ figuram expreſſerit, docet Auguſtinus, cujus textus inferiùs referentur, *ſerm.* 29 *de Sanctis. Serm.* 108. & *ſerm.* 13 *de verbis Domini.* Manifeſta præterea ex ſignis à Salvatore ibi præmiſſis, quæ in Generalibus Concilijs intervenire ſolent & debent neceſſariò, apparet evidentia. Congregatis namq; diſcipulis, preces primò inſtituit, & poſt preces Deo oblatas, ſummam de fide quæſtionem proponit, *quem dicunt homines eſſe filium hominis*, ſententias ab aſſeſſoribus colligit, interrogando, quæ ſit illorum qui foris

figura Concil. Gen. à Chriſto expreſſa.

ſunt

sunt opinio, de filio hominis; sed cùm insana ab illis ferrentur responsa, quid demum ipsi congregati Apostoli de proposita quæstione sentirent? requirit tamquã in Concilio sententias: Petrus primus omnium

definitio in 1 Apost. Conc. à quo

ejusmodi fert sententiam, ut ipse in conspectu omnium causam definiat, & quid ab omnibus sentiendum esset, erudiat atq; decernat, ac fidei Canonem perpetuò permansurum constituat; ut nihil ferme jam opus esset cæteros tunc consulere Apostolos, nec amplius petere, quænam essent aliorum ea de quæstione sententiæ & opiniones: satisfactum fuit & Christo, solum Petrum locutum fuisse, & tantam fidei quæstionem ipsum & non alios resolvisse.

12. Hunc primum esse Concilij Generalis typum, figuratamq; in eo formam Ecclesiastici judicij, est extra dubium, Apostolorum enim omnium & discipulorum, qui universam tunc integrabant & repræsentabant Ecclesiam, Conventus aderat totus, de summa quoq; fidei actitatum fuit: cur tamen decisionem non nisi per os Petri, Divinitùs illi à Deo Patre per Spiritum S. infusâ sapientiâ, nomine omnium Christus fieri voluerit? rationem aperit Augustinus supra relatis locis, *Vnus respondit pro omnibus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatûs Principatum tenens.* Et serm. 108 super recitata Evangelij verba: *hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit*: item in Psalm: 118 *Conc.* 3. *ex ore Petri in quo erat typus Ecclesiæ, verbum veritatis ablatum non est.* Quibus S. Pater apertè significat, Ecclesiam Christi, licet per Apostolos tunc sufficienter repræsentatam, in Petro tamen figuratâ generalitate fuisse expressam, & summam tribunalis Ecclesiastici potestatem in componendis fidei controversijs in eo à Christo designatam; *loquitur illic Petrus* (inquit Bernard.) *Ecclesiæ nomine, docens: unde scire debes,*

Serm. 13 de verb. Dom. cap. 1 & 2.

Epist. 69 ad Fla. edit. Pamel.

bes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: ubi Episcopi nomine, summum Ecclesiæ Patrem ac Pastorem intelligit, in conspectu Apostolorum omnium de fide loquentem; & summam quæstionem à Christo propositam, ore proprio resolventem, *non tantùm ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor.* Undè licèt ibi Ecclesia fuerit congregata, non ab Ecclesia tamen, sed à solo Petro Ecclesiæ nomine sententiam excepit Dominus, eamq; non esse habendam ut communem, aut ex sensibus humanis depromptam, sed desuper inspiratam, cæteris audientibus patefecit, *ut Ecclesia una Christi* (inquit Cyprianus) *& Cathedra una monstretur*; & iterùm: *Dominus unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit*: quòd autem Cathedræ nomine, summam in Ecclesia auctoritatem S. Martyr intellexerit, constat liquidò ex libris suis *de Consideratione*; *unitate Ecclesiæ, & simplicitate Prælatorum.*

Epist. ad Eug.

lib. de unit. Ecclef.

13. Nec desunt alij Ecclesiæ Patres, qui ex prædictis Domini verbis sententiam Petri continuò consequentibus, privilegium inerrantiæ in sola Petri Cathedra testificantur; dabo eorum textus aliarum occasione oppositionum: hic contra Adverf. sufficit demonstrasse, ante illa tria, quæ nobis opponuntur Apostolorum Concilia, Christum Dominum Ecclesiæ Congregatæ, & celebrandi Concilij ijsdem Apostolis figuram expressisse, & ex proposita eis fidei quæstione, illiusq; per Petrum resolutione, summum controversiarum judicem, in ipso, ejusq; successoribus facto designasse. Quòd si hæc inficiari velit AA. nobis igitur proferat, ostendat, & monstret clariorem scripturæ locum, ubi institutor Ecclesiæ, & auctoritatis Hierarchicæ Christus, typum Generalis Concilij, & supremæ in Ecclesia jurisdictionis, melius expresserit? ubi hanc summam Ecclesiastici ordinis

dinis plenitudinem, in Apostolis congregatis, non in Petro, vel signo saltem declaraverit? Tres illi Apostolorum Conventus, jam post Christi Ascensionem erant, antè Ascensionem ergo, dum cum eis visibiliter fuerat conversatus Ecclesiæ congregatæ Auctor & moderator, ritum celebrandi in ea judicij, aliquâ actione pro posterorum instructione, figurare debuerat: & sicut ex Apostolorum Collegio, unum omnium Principem Petrum, qui Ecclesiæ præesset, designavit; ita ejus Ecclesiæ tribunal ultimum; certo aliquo discrimine à Petri Principatu (quem alium à jurisdictione Congregatæ Ecclesiæ contendit Adversarius) adhibito, pro dirimendis peremptoriè fidei litibus, & disponendo Ecclesiastici regiminis ordine, figuratè saltem expressisset. Neq; enim credibile, quòd fundatâ Ecclesiâ, institutis Sacramentis, & constituto Capite, plenariæ auctoritatis & jurisdictionis, quæ juris Divini est, Catholicæ Religionis cardo, & principium, nullatenùs meminerit Dominus, qui in mundum venerat omnia reddere ordinatissima.

14. Quarè superest demonstrandus A. A. clarior scripturæ textus in codice suo desideratus, ubi Ecclesiæ Congregatæ, in Apostolis repræsentatæ hoc inerrantiæ & infallibilitatis privilegium, non Petro, communicaverit? ubi pascendas oves, & confirmandos in fide fratres, Apostolis specialiter commendaverit? atq; pro non deficienda eorum fide peculiariter oraverit? Novimus equidem Apostolos Pastores à Christo designatos fuisse, cùm in omnem terram exierit sonus eorum, & donum perseverantiæ in fide, à Domino obtinuisse: sed ubi ijsdem Apostolis in unum coadunatis, & Universalis Ecclesiæ figuram gerentibus, hoc, de quo quæstio, privilegium Christus largitus fuerit? locum scripturæ desideramus: Cùm illa quæ vulgò opponuntur *Spiritus verita-*

veritatis, docebit vos omnem veritatem. Vbi sunt duo vel tres congreg ti in nomine meo. Et quæcunq; ligaveritis &c. nec Concilium Generale ut dixi, nec summam Ecclesiæ auctoritatem à Petro independentem ullatenùs exprimunt.

15. De primis quidem scripturæ verbis, certùm est; promissionem à Christo fuisse factam omnibus Apostolis collectivè, sed ita videlicet, quòd illa in singulis distributivè erat adimplenda; post factam quippe dictam promissionem, misit illis Spiritum S., quo accepto, distributi sunt in orbem terrarum prædicandi Evangelium, quòd dubiò procul fieri non potuit sinè spiritu veritatis. De secundo scripturæ loco, Launoius plures SS. Patrum interpretationes refert, qui prædicta Domini verba, neq; pro Universalibus, neq; pro Provincialibus Concilijs intellexerunt, cùm potiùs videtur textus ille spectare ad obedientiam in causis incidentibus præstandam, quàm ad fidem declarandam, præmittitur enim, *si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum &c.* quicquid dicat in contrarium Richerius; satiùs enim puto SS. Patrum interpretionibus standum, quàm unius Richerij parendum assertioni. Nec refert quòd idem allegat, præfata Christi verba, *ubi fuerint duo vel tres congregati &c.* à Concilio Chalcedonensi fuisse citata, Epistolâ ad Leonem; non refert inquam; quod sinè dubio, non alio quàm Christi nomine congregatum erat, sed pervolvat quoq; Nationalium, & Provincialium acta Conciliorum, imò Epistolas exigui numeri Episcoporum, & comperiet illis verbis usos fuisse: nec immeritò, quia etiam privati Conventus Episcoporum, modò de consensu Apostolicæ Sedis, in Christi nomine congregantur. Cur autem prædicta verba, à Particularibus quoq; non tantùm Generalibus usurpentur? vel quâ ratione ad Generalia sola ab Adversario detrahantur? rationem

lib 1. Hist. Conc. cap. 1.

hucusq; , nec ullam interpretationem Patrum, adductam ab illo audivimus.

16. In tertia classe relata Evangelij verba, *quæcunq; alligaveritis &c.* de potestate tantùm Ordinis esse intelligenda, cum jurisdictione non nisi à Petro mutuanda, docent cum S. Thoma communiter; eadem enim simplicibus Sacerdotibus dicuntur, cùm ordinantur, quos tamen nullam habere constat jurisdictionem independentem: statueretur utiq; aliàs mala principiorum multitudo, quæ non est unitatis signum, si & Petro in universas (ut ajunt) sigillatim Ecclesias, & vicissim ijsdem coactis in unum Ecclesijs, in Petrum, & ejus successores, plenaria regiminis tribueretur auctoritas. Quarè de tribus Apostolorum Concilijs discutienda superest oppositio.

PARAGRAPHUS I.

De primo Apostolorum Concilio, quid Sanctus Chrysostomus?

Actor. 1. 1. Congregationem primam Apostolorum post Ascensionem Christi Hierosolymis depositam, Conciliū Generale repræsentasse, tametsi negaverint multi antiqui & recentes scripturæ Interpretes, & Commentatores; quòd non fuerit Ecclesiastici in ea forma judicij, cùm non pro dijudicandis fidei controversijs, sed pro electione duntaxat ad adimplendum designatum à Christo Sacri Collegij numerum, convenerant Apostoli. Concedimus nihilominùs ultrò Richerio, cuius hoc primum commentum erat, & oppositio Auctoris Anon. ab illo suffurata, Congregationem primam Apostolorū Concilij Generalis typum expressisse, quandoquidem Ecclesiæ tunc afflictatæ, ex Judæ proditoris perditione con-

lib. 1. Concil. General. Hist. ca. 1.

concussæ, consulebatur, & de substituendo aliquo ex discipulis in locum illius perditi agebatur. Sed quid uterq; concludit inde? *Statuerunt* (inquit) *duos*, *non statuit*, Petrum videlicet non absolutè in surrogando duodecimo egisse, sed communi consensu, & liberis suffragijs electionem confecisse, quid inde? electio ibi erat (*per electionem* (tradidit Glossa) *statuerunt duos, tamquam magis notabiles in scientia, & factorum Christi experientia, non autem istos distinxerunt per sortem*) quæ consultationem supponit liberam & voluntariam ex Arist: estq; alicujus Personæ idoneæ ad dignitatem, vel fraternam societatem servatâ formâ, facta vocatio, adeoq; consensum communem, & suffragia requirit libera; quid inde auctoritati supremæ, præjudicij? de sufficiendo in locum Judæ, consentiente, imò exhortante, & dirigente Petro consultabatur; unde Augustinus cont. Felicem Manichæum, pro *statuerunt* legit *statuit*, videlicet Petrus cũ Apostolis,& per Apostolos,quòd multùm ad rem nostram. Quæstio ibi fidei nulla proponebatur, imò si aliqua ibidem de fide controversia mota, & ab Apostolis liberis vocibus resoluta fuisset, ut in tertio Apostolorum factum legimus, adhuc integra & intacta immobilis Petræ, cum summa plenitudine auctoritas permansisset; cùm à Principatu Monarchico, voces liberas permittente Principe non excludimus, si istæ auctoritate probentur illius, ut robur accipiant: de quo suo loco.

Act. 1. v. 23.

lib. 2. Ethic.

lib. 1. cap. 4.

2. Quòd autem Princeps Apostolorum Petrus, libera illis suffragia pto eligendis duobus in locum duodecimi sufficiendi permisserit, & sortes dandas super electos concesserit, audi Chrysostomum in eum scripturæ locũ: *Quid, an non licebat illi eligere? licebat, & maximè quidem, verùm id non fecit, nè cui videretur gratificari.* En S. Doctoris de Monarchica Petri auctoritate, sententia;

hom. 3. in Acta. Apost.

tia; sicut Dominus vocatis discipulis suis, elegerat duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, ita successor ejus, solus in locum Judæ substituere, & duodecimum Apostolum potuit designare, sed noluit, ne in gratiam quorundam agere videretur, vel acceptator personarum ab illis reputaretur, unde modesti regiminis dat & initiat exemplum.

3. Verùm non hîc sistit Chrysostomus, pergit ulteriùs, cur in primis Apostolorum Comitijs, primaq; sui functione officij, auctoritatem Petrus cum imperio non exercuerit? sed cum Apostolis communicaverit negotium; rationem affert aliam: *Communicat hoc nego-*
ibidem. *tium cum illis: ne res verteretur in pugnam, ac dilaberetur in contentionem, nam si his ipsis hoc accidit, multò magis accidisset illis, semper autem hoc devitat, quamobrem exordiens dicebat: Viri fratres oportet eligere ex nobis: multitudini præmittit judicium, simul eos, qui eligebantur reddens reverendos, & seipsum liberans ab invidia simultateq;, quæ poterat à cæteris oboriri, nam hæc semper ingentia gignit mala.* Nec immeritò hæc scripsit Chrysostomus, noverat utiq; ex occasione accubitûs Joannis, qui in cœna primum post Christum locum obtinuit, subortam inter Apostolos
Luc. 22. contentionis occasionem, *quis eorum videretur esse major?* dum viderent cæteri omnibus prælatum esse Joannem. Item tolerare æquanimiter haud poterant, Joannem & Jacobum fratres apud Christum primos haberi, unde ijdem Apostoli indignatione perciti sunt, cùm mater illorum pro duobus filijs dexteram & sinistram in regno petijt, *& audientes decem indignati sunt de Iacobo & Ioan-*
Math. 10. *ne.* Rursùs etiam cùm ijdem selecti à cæteris ducti essent à Domino unâ cum Petro in montem Thabor, *in-*
Luc. 9. *travit* (inquit Lucas) *cogitatio in eos, quis eorum major esset*; imò ut ait Marcus *& in via inter se disputaverunt, quis eo-*
Mar. 9. *rum esset major.* Hoc, & non alio motivo ex S. Chrysostomo,

ſtomo, Petrum ad evitandam ſimultatẽ, occaſionemq; præſcindendam contentionis negotium electionis Apoſtolis commiſiſſe, & hâc methodo quæſtionem de Primatu de cætero impediviſſe; neq; enim legitur ampliùs aliqua inter illos de præcedentia diſceptatio, quantumlibet vidiſſent Petrum prærogativis à Domino quàm plurimis auctum, nec tamen id infenſo unquam animo tuliſſe viſi ſunt.

4. Tertiam affert rationem S. Doctor, cur Petrus non virtute propriâ aliquem ex diſcipulis curaverit in Collegio Apoſtolico Judæ lapſu diminuto ſubſtitui? nullum ſtatuit, ſed omnium requiſivit ſententias? quarè non oravit ſolus? ſed oraverunt omnes pro ſupplendo Apoſtolatûs miniſterio: ut nimirùm ſicut erant omnes ex interitu Judæ contriſtati, ſic eſſent in ſurrogando alio, de mutuo & communi conſenſu, per proprias eorum ſententias, & libera ſuffragia conſolati, & refocillati: *Cur* (inquit) *potiùs non ſolus à Deo poſtulavit, ut ipſi daret aliquem ſubſtituendum in locum Iudæ: quarè non potiùs per ſeipſos Apoſtoli perficiunt electionem? ſed ex revelatione poſtulaverint ſuppleri miniſterium: ea res non mediocre momentum habebat, ad conſolandos diſcipulorum animos: jam & illud conſidera, quàm Petrus agit omnia ex communi diſcipulorum ſententia, nihil auctoritate ſuâ, nihil cum imperio. Neq; ſimpliciter dixit, hunc in locum Iudæ ſufficimus, ſed conſolans eos ſuper eo quòd acciderat: neq; enim Iudæ factum mediocriter conſternaverat illorum animos.* Et iterùm: *Conſolatur illos ex eo, quòd ante fore prædictum eſt*, de Judæ videlicet interitu, ideò per libera ſuffragia exquirit ſortes, ut & majus pondus adderet electo, majoremq; ei amorem & reverentiam conciliaret, utpotè qui cæterorum calculo fuiſſet electus. Dabo alias rationes Parag. ſequenti ex Orientali & Occidentali Eccleſiæ praxi. Ibid.

5. Cæterùm S. Petrum hîc primas partes egiſſe, & Au-

& Auctorem totius negotij extitisse, docet idem Chrysostomus super illa Actor. verba, *Exurgens Petrus:* cujus Pastoralem pervigilemq; admirans solicitudinem ait: *Quàm est fervidus? quàm cognoscit creditum sibi à Christo gregem? quàm in hoc choro princeps est, & ubiq; primus omnium incipit loqui:* & inferiùs: *meritò primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habet in manu: ad hunc etenim dixit Christus, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Iam & illud vide quomodò Præceptorem imitatur, ubiq; loquens ex scripturis.* Primus omnium loquitur Petrus, qui meminerat, non fidelium tantùm, sed & Apostolorum curam sibi à Christo commissam; exhortaturq; omnes de re publica Collegij, & Ecclesiæ acturus, animi monstrans celsitudinem, quòd quasi Vicarius Christi audeat se ejus officio ingerere, imò succedere, ac cætum Apostolorum ab eo inchoatum, supplere ac perficere.

ibid.

6. De electione quoq;, quomodò & quali methodo facta fuerat, prosequitur idem: *Ex quibus autem oporteat fieri electionem ipse interpretatur dicens; ex congregatis nobis per omne tempus: etenim si dixisset modestos oportet adesse, cæteros affecisset contumelià, nunc autem tempori permisit judicandi negotium*, ob rationes videlicet à S. Patre superiùs datas; sequitur enim exemplum Christi cujus agebat vices, qui ait Luc. 22. *ego in medio vestrûm sum, tamquam qui ministrat.*

7. Tandem ex verbis, *Statuerunt duos* concludit S. Doctor, sed longè aliter, quàm Anonymus Auctor; *non ipse* (inquit) *statuit, sed omnes; cæterum sententiam ipse protulit, sed hanc quoq; declarans suam non esse, sed à supernis profectam juxta prophetiam.* Audis, S. Petrum licet electionem liberam permiserit, sententiam tamen protulisse, interpretando nimirùm scripturam, cunctosq; exhortando, ut ea adimpleatur, quam prædixit (inquit)

Spiri-

Spiritus Sanctus per os David de Juda; ſcriptum eſt e-nim in libro Pſalmorum, *Epiſcopatum ejus accipiat alter*; deinde circumſcribendo modum, & deſignando perſonas, non ex alijs fieri debere electionem, quâm ex illis, *qui congregati erant nobiſcum in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Ieſus.* Et hanc juſtè dicit ſententiam Chryſoſtomus, nam poſt allegationem ſcripturæ, Perſonarum deſignationē, & exhortationem Petri, ponitur executio facti, omnes enim acquieverunt ejus dicto. Hæc de primo Apoſtolorum Concilio ex Sancto Chryſoſtomo.

PARAGRAPHUS II.

De ſecundo Apoſtolorum Concilio, ubi & de Electionibus.

I. SEcundæ Apoſtolorum Congregationis occaſio fuit ex Schiſmate, quod antiquus veritatis hoſtis diabolus, in exordio naſcentis Eccleſiæ, foris & intùs inter fideles excitaverat; cùm enim quos adversûs Apoſtolos animaverat adverſarios, jam victos proſtratoſq; conſpiceret; aliâ viâ longè periculoſius certamen aggreditur, ex Act. 6. tentans nimirùm ut admirabilem illam Diſcipulorum, & exordientium Catholicorum unionem, mutuamq; animorum concordiam, aliqua poſſet diſſenſione turbare, & dividere Schiſmate, undè concitavit tumultum inter Græcos & Hæbręos, Judæos videlicet in Græcia natos, & Catholicæ Religioni aggregatos, & illos qui in Judæa geniti ſunt, (ut cum S. Chryſoſtomo notat Bozius) eò, *quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum* ſcilicet (ut ait Beda) quòd viduæ Hebrææ de ſig. Eccl. lib. 19. ca. 3. eò quòd Hebrææ eſſent, arrogarent ſibi honoratiora & locupletiora miniſteria, viliora verò & tenuiora relegarent

garent ad Græcas, magisq; in partitione ciborum & vestium sibi favere videbantur, quàm viduis Græcis. Hæc erat inter novo-Catholicos origo dissensionis.

2. Ad reprimendum obortum Schisma, & sopienda dissidia, congregati in unum Apostoli convocarunt multitudinem discipulorum, quibus & proposuerunt, ut seligerent septem boni testimonij viros, pro Diaconis consecrandos, & mensarum servitio deputandos, non enìm conveniens judicabant Apostoli, ut ipsi ejusmodi incumberent ministerio: *Convocantes autem*
Act. 6. v. 2. *duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: non est æquũ nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu Sancto, & testimonio, quos constituamus super hoc opus, nos autem orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Apostoli ergo proposuerunt plebi, Græcis videlicet, & Hebræis, inter se diffidentibus, septem è gremio sui eligendos, ab ipsis Apostolis probandos & consecrandos. Quid concludit inde cum Richerio A. Anonym.? „ Petrum (inquit) auctoritatem supremam in Concilio non exercuisse; quia Petrus non statuit, sed *statuerunt, elegerunt*; „ sed qui statuerunt? qui elegerunt? non nè ex
ibid.
multitudine Græci, & Hebræi ab Apostolis vocati, & ibidem coadunati: *elegerunt* (inquit script.) *Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum &c. hos statuerunt ante conspectum Apostolorum.* Et ut tradit Augustinus, istos non è numero septuaginta
Serm. 94. duorum discipulorum Christi, sed ex aggregatis alijs, electos fuisse, neq; enim credit Stephanum ante Christi ascensionem conversum esse. Si ergò discipuli ex congregata multitudine elegerunt, & statuerunt, igitur ijdem Apostoli Concilij Generalis typum gerentes, & Ecclesiam Congregatam repræsentantes, auctoritatem supremam non exercuerunt, quia viros illos, sicut nec

Petrus, sic nec ipsi Apostoli elegerunt: jamq; continuò in sensu Adversarij sequitur non Petrum modò, at & Apostolos omnes, Græcis & Hebræis coactis ad Concilium, in auctoritate deteriores fuisse; quòd non est aliud dicere, quàm Apostolorum Principi Petro, & ipsis Apostolis convitiari velle: quasi verò convocati ad Concilium Laici, Episcopis essent præferendi? cùm nusquam Sacri Canones convenire sæculares sanxerint ad danda in causis Ecclesiasticis suffragia, quòd nec ab Apostolis permissum fuisset, si causa fidei veniret proponenda.

3. Electio ergo Diaconorum facta fuerat à plebe, designatio numeri, & consecratio eorum ab ipsis Apostolis. Cur verò permiserint Apostoli liberam electionem populo, de consensuq; illius, non propriâ egerint sententiâ? rationem refert Chrysostomus; eadem nimirum methodo Apostolos processisse hîc in electione, quâ & Petrum, in Mathiæ surrogatione, cui licet potestas erat in duodecimo substituendo, judicium tamen requisivit Apostolorum ad invidiam evitandam: pariter in præsenti jus effundunt electionis in populum Apostoli, ad dissidia componenda, & impediendum schisma. *Vides* (inquit) *quomodo in principio etiam mala erant, non foris tantùm sed etiam intus*: unde, *non propriâ sententiâ faciunt, sed prius rationem reddunt multitudini, non est placitum ut relicto verbo Dei, ministremus mensis: quoniam & quando Mathiam ordinaturi erant, primùm rei ostendunt necessitatem; etiam hic utilitatem ostendunt: neq; quum possent ipsi spiritu moti eligere, hoc faciunt, sed magis statuunt, quòd multorum testimonijs approbabatur: nam definire numerum & ordinare, etiam hoc sibi vendicant. Eligere autem viros, illis permittunt, ut ne videantur ipsi in gratiam quorundam agere: quoniam & Deus Moysi permittit eligere viros quos ipse sciebat: expectarunt usq; dum oriretur murmur, sed neq;* hom. 14. in act. Apost.

 expe-

expectarunt ut hoc fieret supra modum; majores videlicet dissensiones & schismata, idcirco exemplum secuti Domini, electionem dant liberam : non eam tamen canonicam intelligo, quæ dat jus electis pro omni tempore, sed eam, quæ plebi interdum indulgetur: cùm ibi de ministerio agebatur quodamtenus profano, de distributione scilicet eorum, quæ conferebantur à plebe, in illam primorum fidelium multitudinem, & ut plenius satisfieret quærelis eorum. Ideo inquit Chrysostomus : *hæc non permiserunt sorti*, quia non erat tale negotium, ac in electione Mathiæ.

4. Verùm appello mentem Richerij in sua Conciliorum historia toties contestantis, electiones Ecclesiæ ministrorum, imò & Episcoporum primis Ecclesiæ sæculis, de consensu fuisse etiam populi, & per suffragia libera, tam in Orientali, quàm Occidentali Ecclesia; idq; non ex Apostolica tantùm, sed de Divina traditione docet Cyprianus mox recitandus. De Ecclesia quidem Occidentali, testantur Caroli magni Capitula, qui Episcoporum in Gallia electionem usurpatam à prædecessoribus, pristinæ libertati restituit, ejusmodi legem unâ cum Ludovico sancitam relinquens: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Dei Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum Ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet per electionem Cleri, & populi, secundùm statuta Canonum de propria Diœcesi, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur.* Idem legitur in Epistolis Hincmari, ad eundem Carolum Magnum, à quo petit Visitatorem seu Commissarium, ad excipienda libera Cleri, & populi suffragia; pro sufficiendo in sedem vacantem Antistite. Idipsum refert Florus octavo florens sæculo, ab Agobardo Lugdunensi Episcopo laudatissimus, qui collecta ex SS. Patribus reliquit dignissima à Papirio Massono excussa, ex dispositione legis Divinæ, & traditione

Capitul. lib. 1. cap. 84.

tione Apostolica observatum fuisse, ut Pastore defuncto & sede vacante, unus de Clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem Cleri, & totius plebis consensus elegerit, locum decedētis Præsulis valeat obtinere: *Vnde* (inquit) *& B. Martyr Cyprianus, de S. Cornelio* apud Vsard. in præfat. ad Martyrol. *Vrbis Romæ Pontifice cùm Episcopatum ejus adversùs quosdam superbos, & invidos calumniatores defenderet, hæc ipsa in testimonium sanctæ & legitimæ ordinationis ejus prosecutus est, dicens: factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio.* hæc Florus de electionibus in Ecclesia Occidentali.

5. In Orientali quoq; idipsum practicatum fuisse, non cum Episcopis tantùm, sed cum cæteris Ecclesiæ Epist. 68. ministris declarat diligenter S. Cyprianus, Epistola ad Hispanos conscripta. *Videmus* (inquit) *de Divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio comprobetur: sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit, dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in mentem coram omni Synagoga: coram omni Synagoga jubet Dominus constitui Sacerdotem, id est instruit & ostendit, ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata. Quòd postea secundùm Divina mysteria observatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur: nec hoc in Episcoporum tantùm, sed & Sacerdotum & Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus. Propter quòd diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione, observandum est, & tenendum, quòd apud nos quoq; & ferè per Privincias universas tenetur.* hucusq; Cyprianus.

6. Quòd verò alia postea praxis in Ecclesiam in-

ducta sit, in electionibus Cleri, & Episcoporum potissimùm; & in quibusdam Regnis consvetudo obtinuit, ut consultu Principis ordinatio fieret Episcopalis, dat rationem supra laudatus *Florus*. *Valeat* (inquit) *utiq; ad cumulum fraternitatis, propter pacem, & concordiam mundanæ potestatis*. Et de Ecclesia quidem Gallicana demonstrabo ex Controver. decimiquinti sæculi, quando & qua ratione dictæ Cleri & Episcoporum electiones in aliud commutatæ fuerint. Sic igitur priscis Ecclesiæ sæculis, præsente & consentiente plebe, ministrorum Ecclesiæ, ordinatio agebatur, quòd non de Apostolica tantùm, sed & Divina traditione descendere ex S. Martyre audisti, quoniam & Deus permisit Moysi de consensu populi ad sui ministerium viros eligere. Quid autem Divino præjudicat imperio, permissa à Deo libera ministrorum electio? quid consequenter Petro in surrogatione Mathiæ? & Apostolis in deputatis à plebe Diaconis? si exemplum Dei hac in parte secuti sunt.

7. Electio itaq; Diaconorum erat à populo permissu Apostolorum, ordinatio ab Apostolis. Cur autē non solus Petrus, sed omnes ordinaverint Apostoli? quia in Sacerdotio pares erant, esto ipse eorum Caput esset & Præses: cæterùm solus ut Christi Vicarius ordinare potuit, sicut ordinavit Jacobum Alphæi, fratrem Domini, Episcopum Hierosolymorum eodem anno, de quo Eusebius in Chronico.

PARAGRAPHUS III.

De tertio Apostolorum Concilio ex Sanctis Patribus? ubi & de ultimo fidei resolutorio.

ex Act. Apostol. 15. I. TErtiæ Congregationis Apostolicæ, quæ verum primumq; secùndum scriptores omnes repræsentabat Con-

Concilium, in quo causa fidei, & negotium Christianismi adversûs Judaismum agitabatur, tametsi Lucas originem clarè explicuerit, fusius tamen describit Augustinus in Epist. ad Galatas: *Cùm enim prædicata eis esset* (Judæis videlicet) *Evangelij gratia, non fuerunt qùidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, & adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Dominus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato. Sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos, illi volebant constituere sub oneribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, & cæteras carnales Iudaici ritûs observationes subirent: & ideo Paulum Apostolum suspectum habere cæperunt, à quo illis Evangelium prædicatum erat, tamquam non tenentem disciplinam cæterorum Apostolorum, qui Gentes cogebant Iudaisare.* Et ut ex sequentibus S. Patris eruitur: Judæi credebant solis illis promissum fuisse Messiam, ac proinde Gentiles non esse capaces gratiæ, & Christianismi, nisi prius judaisarent per circumcisionem. Antesignanum hujus hæresis Epiphanius nominat Cherintum, qui & ipse adversûs Paulum & Barnabam quasi legem propugnaturus, Hierosolymam petijt; quamvis alij Ebionem crediderint: cum Epiphanio concordat Augustinus *in Cathal. hæres:* & Hieronymus Epist. 89.

in Præf. tom. 4.

hæres. 28.

2. Ex clamosa illa contentione litigantium partium, ortus est tumultus, Schisma, & seditio, quæ coegit Paulum & Barnabam Hierosolymam ascendere, pro petenda à Petro resolutione, in suborta fidei quæstione. Addit quidem scriptura, *ad Apostolos*; sed quinam ibi fuerint, valde inter scriptores perplexum est. S. Clemens affirmat, omnes duodecim dispersos per orbem Apostolos, instinctu Dei Hierosolymam convenisse ad componendas & dirimendas lites fidei; sed Baronius cum Belarmino atq; alij prætendunt librum Clementis

lib. 6. Const. c. 12.

esse apocryphum; eo, quòd Jacobus Zebedæi, quem expressè nominat Clemens, longè ante occisus fuerit ab Herode; contenduntq; non nisi quatuor Apostolos principales hoc constituisse Concilium, quos specificat S. Lucas: Sanctum Petrum, qui Româ expulsus cum Judæis à Claudio, Hierosolymam ut fidelium matricem rediebat; S. Jacobum Alphæi, loci illius Episcopum; S. Joannem, qui manens Ephesi facile ob vicinitatem poterat avocari; Paulum & Barnabam. Crediderim nihilominus cum alijs, reliquos, Jacobo Zebedæi excepto, licet longè dissitos eodem tempore Divino Spiritu Hierosolymam convenire potuisse, Si enim Israelitæ (ut
Numer. 9. lib. *Numer.* legimus) non nisi ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium itidem Dei figebant tabernaculum; quomodo eos non magis quos Spiritus Sanctus repleverat, eodem moderante atq; regente spiritu, iter agere, loco sistere, ire, & redire, consvevisse dixerimus: quandoquidem tractanda venerat omnium gravissima causa, an scilicet una cum Evangelio, lex quoq; servanda esset, ut qui ex Gentilibus ad Christianam religionem converterentur, ex legis Hebraicæ præscripto circumcidi deberent. Sed transeat, omnes ne, vel nominati tantùm in actis Apostoli personaliter adfuerint? non imus inficias, eos qui interfuerant cum senioribus, verum Concilium egisse, & Ecclesiam Congregatam repræsentasse. Jam ipsa Synodi acta, quæ S. Lucas scriptis consignata reliquit, inspiciamus, à quonam ultimum controversiæ hujus fuerit resolutorium.

3. Auctor Anon. asserit, S. Petrum quæstionem tantùm aperuisse, S. Jacobum sententiam prosecutum fuisse: cùm tamen ex actis Synodicis constet, totam causæ definitionem & sententiam à Petro finaliter pro-
Act. 15. nunciatam. *Cùm autem magna inquisitio fieret, surgens*
v. 7. *Petrus dixit ad eos; Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis*

quis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelij, & credere. „In Ecclesia permittit pri-„mùm inquisitionem (inquit Chrysost.) & disputati-„onem fieri, & tunc ipse dicit, solus definit: „ imò se Principem profitetur decreti, dum ait: Deum in nobis elegisse, ut per os meum audiant gentes Evangelium: & ut legit Chrysost. *in vobis* me primum & Principem constitutum fuisse ut me audiant; & credant. Prosequitur Petrus sententiam, circumcisionem inhibendo: *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus: per gratiam Domini IESV Christi credimus salvari, quemadmodum & illi,* scilicet patres Vestri Judæi, ergo multò magis Gentiles non nisi per gratiam salvari possunt. De circumcisione, & legalibus, an cum lege Evangelica toleranda essent, erat quæstio; cujus per Petrum absolutam audis resolutionem, non per legalium & circumcisionis jugum, sed per gratiam Christi salutem quæri debere.

4. Hanc totam & integram sententiam per Petrum audientibus omnibus latam & promulgatam, profitentur Sancti Ecclesiæ Patres. S. Hieronymus ad August. scribens ait: Apostolorum Principem rem ipsam sui prærogativâ suffragij definivisse, *in quem Iacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt.* Theodoretus Epistola ad S. Leonem: *Paulus* (inquit) *præco veritatis, tuba Spiritûs Sancti ad magnum Petrum cucurrit, ut ijs qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem.* Augustinus sermon. 13 *de Verbis Domini* cap. 1. sermon. 29. Concion. 13. *in Psal.* 118. & passim alibi. Non prætermittendus silentio Franciscus Rothomagensis Ecclesiæ Gallicanæ singulare decus, qui in verba illa Pauli *post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum,* in hac nimirùm de qua ad præsens quæstio, controversiâ; sic eflatur: *Ascendi* inquit, *ut non modò viderem,* Super Ep. ad Galat.

rem, sed etiam viserem Petrum, velut celeberrimum illum Apostolorum Principem, & clavium custodem; penes quem ut templum fidei contemplatio, ac summa esset Christianæ religionis ------ sic enim Petrum contemplatus sum, ut præterea interrogarem, sciscitarer, perconarer, quærerem, ut sciscitando seu perconando audirem vel cognoscerem ---- sic autem velle videre, honorare erat. Probat hîc passim laudatus Præsul, Ecclesiam universam tanquam Pastori Ordinario Petro subjectam, & ostium fidei tam Judæis, quàm Gentilibus ejusdem Petri auctoritate & sententia apertum fuisse. Ut quid requireretur ab alijs, alia à Petro sententia? si hæc à Deo ipso per os Petri formata fuerat, quam non humanam, sed Divinam appellat Chrysostomus, *Per os meum inquit, vide, ut ostendit Deum per*
hom. 32. in Act. Ap. *illum loqui, & nihil esse humanum*; & iterum: *omnium horum semina in concione Petri sita*, id est omnia fidei semina soli Petro data, in eo solo sita, cui dictum est *oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

5. Quot Apostolorum ac seniorum in actis hujus Concilij leguntur sententiæ? solum Jacobum nominat S. Lucas, *& postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicens*, & ut Chrysostomus, *nihil Ioannes hîc, nihil alij Apostoli lo-*
homil. 33. *quuntur; sed silent & non indignantur.* Non diffitemur Jacobum quoq; solum, post Petrum dedisse sententiam, sed ab hac Petri indistinctam, licet aliqua de suffocatis & sangvine, sed extra controversiã fidei adjunxerit, quæ Judæis quorum ille erat Episcopus placerent, & Gentes conciliaret: in substantia quæstionis propositæ nihil addidit, sed totaliter Petrum secutus, ipsius firmat assertum. *Viri fratres audite me, Simon narravit, quemadmodum*
Ver. 14. *Deus visitavit sumere ex Gentibus nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum.* de cujus sententia iterum
ibid. Chrysostomus: *Vide autem & hujus sapientiam, ex Pro-*

phetis

phetis novis veteribusq; consumantis sermonem: neq; enim poterat ostendere aliquid sicut Petrus, cùm per hujus os loquatur Deus, iste differit ex Prophetis. Et post: *Benedixit Simon narravit, quasi ille & aliorum dicat sententiam.* Non ut prurit cum Abulensi Calvinus, Jacobum non Petrum definitivam protulisse sententiam, illiq; Concilio præfuisse.

6. Fratres nominavit Jacobus Apostolos (ait Adver- "
sarius) qui modus est familiaris ijs, qui de re aliqua "
consulunt; , quid inde? Fratres eos appellavit & Petrus, quid inde? *Si enim Dominus discipulos suos fratres appellavit, multò magis convenit, ut Petrus suos condiscipulos appellaret, hæc enim dignitas Ecclesiæ, status Angelicus.* Fratres nominamur fideles omnes, non cognatione carnis sed fidei, regeneratione baptismi, non uteri; sic Paulus, fideles, passim in Epistolis vocat fratres, quia Christus instituit Ecclesiam ut familiam suam, in qua voluit fideles sibi invicem esse conjunctissimos, habentes eundem Patrem Christum, eandem Matrem Ecclesiam, eundem uterum baptismi, eandem Eucharistiæ mensam, atq; eandem Patriam cœlestem.

Chrysost. hom. 3. in Act. Apost.

7. *Placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia* prosequitur Auct. Anon. quid placuit? sententia Divina Petri, per Jacobum Prophetijs roborata. Placuit, & consilium Jacobi, quod suggerere voluit de eo, quod scribendum esset ad Ecclesias Gentilium. Placuit, eligere viros ex eis mittendos Antiochiam, ad anunciandam Petri in Concilio decisam fidei quæstionem. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; id est: visum est nobis inspiratis, ac directis per Spiritum Sanctum, quid sequitur inde? nisi Spiritum Sanctum Concilio per Petrum & cum Petro congregato, adesse & præesse, illudq; dirigere per os ejus, ne in decernendo erret, atq; adeo Concilium sine supremo Ecclesiæ Antistite

& consensu illius, haud fieri posse, cum illo, utile & saluberrimum, ad discutiendas & examinandas controversias, definitivam sententiam, & robur totum pendere à supremo Ecclesiæ Antistite; de quo passim inferiùs.

8. Quod non privato Petri nomine, sed nomine expresso universalis Ecclesiæ, missæ fuerint Antiochiam literæ, nihil quis opinetur quasi eo summa Petri auctoritas limitata fuisset; deliræ sanè mentis esset, existimare ab Apostolis esse labefactatum, quod à Deo sciverant institutum. Rationem affert Chrysostomus, cur Concilij, non Petri nomine mittitur definitio, nè Paulus videlicet suspectus videretur, quem à Judæis jam ante suspectum ex Augustino quoq; audisti. *Vide illos*
Chrysost. ibid. (inquit) *non simpliciter legem ferre, sed ita dogma fiat fide dignum, mittunt hos à se, & nè Paulus ultra suspectus esset:* ad facilitandos animos Judæorum, nè figmentum Pauli dicerent, consentiente Petro elegerunt viros Paulo, & Barnabæ associandos, *atq; ita* (prosequitur idem) *ostenditur, quod non violentè agant, quia omnibus hæc placent, nam cum consideratione hæc scribunt, electos inquit viros ex nobis, ne videantur esse ex subordinatione Pauli & Barnabæ missi:* Fortè enim Judæi non credidissent, si solum Paulum & Barnabam redeuntem cum sententia unius tantùm auctoritate firmata conspexissent.

9. Quòd etiam conclusio finalis omnium, quæ hoc in Concilio gesta erant, nonnisi à Petro facta fuerit, licet Lucas non exprimat, credere non dubitamus, cùm nobis Chrysostomus persvadeat, quòd finito Concilio Epistolam reddiderunt, & post Epistolam etiam sermonibus exhortati sunt, utiq; à Petro, *nam & hac re opus erat. commorantes autem aliquantulum tempus, dimissi sunt in pace.*

10. Opponit hîc A. Anonymus plura alia scripturæ loca pro Conciliorum auctoritate, ad labefactandam Pontificiam, uti ex Epist. ad Galat: de reprehensione Petri à Paulo. Ex Act. Apostol: quod Petrus & Joannes ab Apostolis missi sint in Samariam. Et ex Mathæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum, si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Sed cum de his scripturæ locis, plena sint scriptorum & commentatorum volumina; Oppositiones illas hic meritò omittendas censui, ad alias graviores diversurus Controversias.



EX CONTROVERSIA II. SÆCVLI
De Paschate celebrando
OPPOSITIO II.
Auctoris Anonymi.

CUm Episcopi (inquit) Asiatici Pascha celebrarent luna 14 ejusq; contrarium Victor Pontifex
„ Romæ sanxisset in Concilio, non cessarunt illi,
„ decreto huic etsi in Concilio Romæ condito, palam re-
„ sistere, quia non credebant Sedem Apostolicam, ulti-
„ mum esse Ecclesiæ tribunal, sedentemq; in ea Pontifi-
„ cem indeficientis privilegio judicij à Christo donatum
„ fuisse: Hæc fuit igitur mens SS. Patrum illà ætate vi-
„ ventium, quod quandoq; quis posset à Romana, & alijs
„ Ecclesijs dissentire, quoadusq; controversiæ finitæ essent
„ in ultimo Ecclesiæ tribunali. Existimarunt ergo tribu-
„ nal aliud à Pontifice residere in Ecclesia, quod contro-
„ versias circa fidem & disciplinam exortas, ultimò so-
„ piat, dirimat, & definiat. hucusq; A. Anonymus.

CAPUT II.

Ex allata Controversia secundi sæculi de Paschate celebrando, perspicuè demonstratur, Victoris Pontificis suprema in Ecclesiam auctoritas, ultimumq; in Cathedra Apostolica Orthodoxorum tribunal, & argumentum Adversarij ex SS. Patribus concutitur.

I. A Primordijs nascentis Ecclesiæ quatuordecem post Petrum Romani Pontifices, tanta cum libertate, tan-

tantoq; totius orbis consensu, supereminentem suam Ecclesiastici regiminis auctoritatem ac potestatem exercuisse, super omnes mundi Ecclesias, universosq; fideles ex toto orbe Catholico, eorundem ultimatum judicium in difficillimis causis requisivisse, ex omnibus historijs Ecclesiasticis ita indubitatum est; ut ipse Adversarius omnia monumenta Ecclesiastica pervolvens, ne unum quidem momentum afferre valeat, quod nobis in contrarium opponeret. Primum factum cadente jam secundo sæculo, de Victore in Cathedra Christi sedente nobis objicit; adijciens, quasi multorum illâ ætate Orthodoxorum Patrum mens fuerit, posse à Romani Pontificis decretali recedere sententia, donec controversijs finis imponeretur, ab ultimo Ecclesiæ tribunali, Concilio videlicet Generali. Patres ætate illâ, Episcopos intelligit Asiaticos, Pontificiæ renitentes auctoritati, quos Pseudo-doxos & Schismaticos ex vèrè Orthodoxis Patribus probabimus: eorum tamen exemplo, tamquam lydio lapide argumentum suum stabilire nititur A. A. imò quòd majus est, ab auctoritate eorum, tamquam à Canonica & laudabili Ecclesiasticæ disciplinæ regula; non erubescit palam deducere, posse à Romana & alijs Ecclesijs quandoq; dissentire, quoadusq; controversiæ finitæ essent in altero à Pontifice foro judicij, per quod Unionem Ecclesiæ à Pontifice molitur rescindere, quæ puri & purgati septulum Catholicismi tessera est, quinimo primaria & principalis semperq; credita nostræ professionis regula, quam nec antiqui quidem hæretici inficiati sunt, licet abhorreant moderni.

2. Verisimile illud si esset, ut à finali Romani Pontificis sententia quandoq; discedere, & ad aliud ab eo judicium liceret provocare, deterioris haud dubio conditionis esset Ecclesia, quàm Synagoga, in qua unus erat supremus & summus ex ordine Sacerdotali judex,

ad

ad quem majores causæ referebantur, cujus mandatis parere, non declinando dextrorsum vel sinistrorsum populi adstringebantur, ut ex Jozepho superius ostensum est. Imò meliùs esset Regnis, & Rebuspublicis aliquibus provisum, quas, Reges & Duces monarchicè moderantur. Non hæreticorum hîc, aut schismaticorum, sed SS. Ecclesiæ Patrum, qui Traditionis sunt testes luculentissimi, utemur auctoritatibus, nec mentem eorum Dialecticis deducam artibus, sed proprijs ipsorum verbis expressam, ante oculos Lectoris expandam, ut quid de auctoritate Victoris, pariter ac Episcopis Asiaticis sęculo illo censuerint, in comperto sit. De Unione quoq; Ecclesiæ collectivè, & in particulari omnium cum Romano Pontifice perpetuò necessaria, (quod est secundum membrum argumenti,) sinè qua semper erant, & futura sunt schismata, ex ijsdem Ecclesiæ Patribus hanc circa controversiam proponam documenta: historiam primò illius, quò res fiat apertior, genuinè aperiam.

3. Primus, qui hanc descripsit de Victore & Asia-
lib. 5. Hist. Eccles. ca. 23. ,, ticis Historiam, est Eusebius, qui rem enarrat sic: ,, In
,, Provincijs Asiæ quæstio non minima exorta est, quasi ex
,, antiqua eorum observatione descendens, quod quarta-
,, decimâ lunâ putarent omninò Pascha observandum, eo
,, videlicet tempore, quo Judæi ex præcepto legis agnum
,, immolari, & Pascha suum manducare soliti sunt; ne-
,, cessariò autem affirmabant, quacunq; die septimanæ
,, quartadecima luna venisset, solvi debere jejunium, (hoc
,, à S. Joanne Apostolo se recepisse ajebant) in nullis au-
,, tem prorsus Ecclesijs unquam observata fuit ejusmodi
,, consvetudo; hæc Eusebius: Pius primus Pont. Max. materiam discussit, sententiam contra Asiaticos condidit, totiq; Ecclesiæ observandum tradidit Die Dominica Resurrectionis officium, quamquam illos contravenien-

nientes ab Eccleſia non ſegregaverit: idipſum Anicetus, & alij Pij ſucceſſores innovarunt. Verùm propter magnas Montaniſtarum, & Cataphrygarum, aliorumve Principum Hæreticorum perſecutiones, quæ tum in Eccleſiam debachabantur, diſſidentium Aſianorum errorem ad tempus tolerandum prudenter judicarunt; non videbatur SS. Pontificibus, novam tunc excitare tragædiam, quando nec intùs, nec foris tranquillitatem habebat Eccleſia, cùm *pro Eccleſiæ pace, etiam cognita zizania tolerantur.* Quieſcentibus & ſopitis malignantium perſecutorum animis, & pace Eccleſiæ aliquatenus reſtitutâ; *Victor* neceſſitate prorſus compulſus, nè & cum Judæis convenire, & hæreticis Montanis, & Cathaphrygibus, id idem fieri jure Divino aſſerentibus, occaſionem validandæ hæreſis præbere videamur, Pij ſententiam innovavit, & finaliter terminavit, indictis antea plurimis in Diverſis Provincijs Concilijs, nè liceret aliquando niſi in Die Dominica, in qua Dominus reſurrexit à mortuis, Dominicum Paſchæ celebrare myſterium, & in hac ſola ſolvendum eſſe Paſchale jejunium, omnibus in id conſentientibus Eccleſijs, ſolis Epiſcopis Aſiaticis reclamantibus. Victor ad comprimendos rebelles ſchiſmaticorum Epiſcoporum animos, omnes Aſiæ ac vicinarum Provinciarum Eccleſias, à communionis ſocietate abſcindere niſus eſt, tanquam in hæreſim declinantes, & literas miſit, quibus omnes ſimul abſq; diſcretione ab Eccleſiaſtico fædere ſegregaret.

Aug. lib. 2 cont. Creſcon. cap. 35.

apud Euſe. cap. 24.

4. Hoc ſuppoſito controverſiæ ſtatu; contendit Adverſarius, Epiſcopos Aſiaticos, ſuppoſito Apoſtolico anathematis fulmine, nec non unanimi omnium aliarum ſenſu Eccleſiarum, decreto Pontificio obtemperantium, licitè recedere potuiſſe, tamquam à retractabili illius judicio; quos tamen verè ſchiſmatis, & poſteà ob

pertinaciam, hæreseos notam incurrisse, ex citandis Conciliorum Canonibus, & Patrum testimonijs, Lector comperiet. Verùm ut ab auctoritate *Victoris* exordiar, præmittendum censui; quomodo Universæ Orbis Catholici Ecclesiæ, hac in Controversia se gesserint? & quid de judicio Victoris Pontificis existimaverint?

PARAGRAPHUS I.

Universæ Ecclesiæ particulares, etiam Gallicana, obtemperant unanimiter Decreto Victoris in Paschate celebrando, solis Asiaticis exceptis.

I. COnsonam Paschalis observationis Unitatem, in Universalem Ecclesiam introducere cupiens Victor, quò faciliùs Asiaticos à Judaico ritu abduceret, Concilia in diversis mundi partibus celebrari jussit, teste Eusebio. Er ipse quidem primum Romæ vicinorum Episcoporum Conventum egit, cui præfuit. Secundum; Hierosolymitanum, Præsidente Narcisso. Tertium, Palæstinum, in quo plures & insignes interfuerunt Ecclesiarum Antistites, Theophylo ipsius Cæsareæ Episcopo directore. Quartum Tyritæ, sub Cassio, secundùm Nicephorum. Quintum Ptolomaidæ, sub Claro. Sextum Ecclesiarum Ponti, quibus præfuit Antiquissimus Palmeas. Septimum Ecclesiæ Gallicanæ, cum Regionibus, quæ ad Rhenum flumen sunt, Irænео Episcopo Lugdunensi Præside. Octavum in Achaia, sub Bacchio Corinthiorum Episcopo. Addit Nicephorus; extitisse & aliarum Provinciarum Concilia sub alijs Anstitibus, qui ad mandatum Victoris in Provincijs suis congregati, prorogatis ad se invicem epistolis, conveneveneveneveneveneve-

Lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23.

venerunt in Apoſtolicæ ſedis ſententiam. Idipſum Euſeb. loco citato. ,, Qui omnes (inquit) diuerſis è locis unam eandemq; iudicijs ſuis ſententiam protulere,, Rationem ponit ſuperius ,, Cum talis conſuetudo (Aſiaticorum videlicet) in nullis prorſus alijs unquam obſeruata fuiſſet Eccleſijs; & Capite 25. Quid etiam apud ipſos(loquitur de ſuprà nominatis) Concilijs) Apoſtolica traditio contineret circa fidem decreti, quod in Concilijs eorum ſtatutum eſt, hoc modo indicant: Epiſtolæ ajunt noſtræ exemplaria per omnes Eccleſias trans mittantur, uti ne rei efficiamur animarum, qui diuerſis erroribus immerguntur. Deſignamus igitur vobis, quia & apud Alexandriam eâdem quâ apud nos die, Paſchæ ſolemnitas geritur, quare & ipſorum nobis literæ deferuntur, & ipſi noſtra ſcripta ſuſcipiunt, ut pariter & conſonanter diem feſtum celebremus. Hucuſq; Euſeb. de uniformi omnium illorum Epiſcoporum, & Provinciarum licèt tam longè interſe diſtantium. ſenſu, & iudicij Pontificij obſevantia. lib. 5.

2. Hoc ipſum enarrat Nicephorus: ,, Vno (inquit) Suffragio, & ſententia,omnes Dominico die Paſcha celebrandum ſanxerunt, Narciſſus ſanè & Caſſius Palæſtini; & clarus à Ptolomaide, & qui præterea in eandem convenere Synodum: circa fidem decreti,hæc quoq; addidedere:Epiſtolæ huius noſtræ,facilè ut ad Eccleſiam omnes exemplaria mittantur; nè ſcilicet rei, atq; participes ſimus eorum, qui facilè animas ſuas decipiunt atq; ſeducunt: certiores autem vos facimus, eodem prorsùs die. Alexandriæ, quo apud nos Paſcha celebrari: ad omnes igitur hoc præſcriptum, & regula eſt divulgata ,, hæc Niceph. Ex quibus quiſq; intelligit,quam Perſonã Victor geſſerit, &quid in eo univerſæ orbis Eccleſiæ congregatæ recognoverint, lib. 4. cap. 36.

in Cõment. de æquinoct. vernali.

3. De Cõcilio Palæstino in hac eadẽ Cõtroversia scribit Beda; *Victorem* auctoritatem suam ad Theophilum Cæsareæ, Palæstinæq; Antistitem direxisse, ut quomodo Pascha recto iure, a cunctis Catholicis celebraretur Ecclesijs, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus fuerat in carne versatus: perceptâ itaq; auctoritate dictus Palæstinæ Episcopus, non solùm de sua Pronvincia, sed etiam de diversis Regionibus Episcopos evocavit, auctoritatemq; Victoris Papæ palam protulit, & quid sibi operis fuisset iniunctum, ostendit; ibiq; unanimi consensu iudicium Victoris secuti, sententiam tulere, Pascha non nisi Dominico die, quo Christus à mortuis resurrexerat, esse peragendum: Hæc cùm de Victore Beda Ven. scribat, perspicuo exemplo monstrat, quantâ auctoritate Romana fides sæculo illo polleret, præstaretq; cæteris, ut pote cuius nutu concilia congregabantur, & congregata eius obtemperabant judicio.

Primum testimonium Determinati Ecclesiæ Gallicanæ. ex Euseb. & Niceph.

4. Nec ungue ab hoc secessit tramite Gallicana quoq; Ecclesia, quinimo Religionis, non minùs quàm obseruantiæ erga Apostolicam sedem, primum exemplar tunc quoq; exhibuit. Extant apud Euseb & Niceph. lib. cit: literæ Irenæi Episcopi Lugdunensis, *ad Victorem*, nomine Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, quibus tum præfuerat; ijs, non assentitur modò Decreto Pontificis, verùm magnopere eundem flagitat, ne Asiaticos repugnantes, à communione fidelium secluderet: Inserit ibi hystoriam Iræneus, ad antecessores Victoris provocando, Anicetum. Pium, Hyginum, Thelesphorum, & Xystum; qui licèt, lunâ decimâ quartâ, festum Paschatis ab Asiaticis contra præscripta Apostolica obseruari nouerant, minimè tamen illos à Societate Ecclesiæ repellebant, neq; venientes Romam, suâ communione priuabant. At quò magis Iræneus ad Antecessores Victoris prouocavit, vt illos ostenderet pacem cum

cum Aſiaticis Epiſcopis ante retinuiſſe, eò certius docuit, in poteſtate illorum Pontificum, ſicut & Victoris fuiſſe, conſvetudines prauas aliquando tolerare, & Epiſcopos rebelles, à communione Eccleſiaſtica legitimè ſegregare poſſe.

5. Addit quidem Euſebius, Victorem ab Iræneo fuiſſe admonitum, quòd a corporis unitate, tot ac tantas Eccleſias Dei abſcinderet; pro literis tamen Irænei, petitio tantùm pro Aſiaticis cum excuſatione eorundem legitur. Vnde idem Euſeb. prælibatâ Irænei epiſtolâ; eum pacis ac Vnionis mediatorē vocat,additq; Joanne Anglo Ciſtercienſi interprete. *Quod pro pace & concordia Eccleſiarum & hortatus eſt, & magnopere flagitavit.* Fruſtra quoq; Eccleſia Gallicana pro illis tunc interceſſiſet, niſi iudicium ultimum in ſede Apoſtolica agnoviſſet, alias fori exceptione, vel ad concilij oecumenici ſubſelium provocatione,, nomine Aſiaticorum uſi fuiſſent.

6. Clariùs Conſtantinus Magnus, Vniuerſæ Catholicæ, & Gallicane Eccleſiæ conformem iudicio Victoris expreſſit ſenſum, in litteris ſuis monitorijs, ad prædictos Epiſcopos Aſiaticos, in quibus omnes ſigillatim enumerat Eccleſias, illos ad unionem Eccleſiæ, & Romanæ Sedis obedientiam exhortando, quarum tenorem hic apponendum de verbo ad verbum ad propoſitum duxi. ,, Eſt ordo quidam (inquit) bene inſtitutus (Victoris utiq; Papæ juſſu) quem omnem Occidentalium & Meridionalium, & Septemtrionalium Orbis terræ partium, & quædam etiam Orientalium Regionum Eccleſiæ ſervant. Quapropter quum in præſentia junge rectè omnes id inſtitutū eſſe exiſtimarunt, tum ipſe ſolertiæ quoq; veſtræ placiturum eſſe recepi, ut quod per Urbem Romanam & Italiam; Africam, Ægiptum omnem, Hiſpanias, Gallias, Britanniam, Lybiam, ”

2dum teſtimon. Eccl. Gallic. ex Euſeb. in vita Conſtant. ex lib. 9. & Hiſt. Tripart. Joan. Angl. interprete.

 cun-

,, cunctamq; Græciam, Asianam & Ponticam Provinciam,
,, & Ciliciam, concordi & unâ prorsus sententiâ servatur,
,, idem quoq; vestra non gravatè suscipiat prudentia: quæ
,, illud secum consideret, non solùm majorem esse in eis
,, quos enumeravimus locis Ecclesiarum numerum, ve-
,, rùm etiam unanimiter maximè idem omnes velle, san-
,, ctissimum esse, accuratioremq; rationem, ut nulla om-
,, ninò nobis cum Judæorum perfidia intercedat commu-
nio, efflagitare ,, . Idem ferè refert Nicephorus. lib. 12 Hist. Ecclès.

7. Tam indubitatum est, definitionem Victoris in Paschate celebrando, irreformabilem & ultimatam extitisse, ut Catholicis rectè sentientibus, nè quidem dubitandi fas; cùm à tempore, quo terminata est per eum, dicta Controversia, hucusq; inviolabiliter in tota Ecclesia custoditur, toties jam à Concilijs Generalibus, & Nationalibus contra Hæreses Catholicè propugnata, & roborata Canonibus. Primus Canon extat in Concilio Nicæno, sequenti immediatè sæculo post Victorem celebrato, quem de Paschate editum, tradit Alexandrinus Theophilus, ut ab oct. Idus Martij , usq; in diem Non. Aprilis, diebus videlicet 28, qualiscunq; luna nata fuerit medio spatio , mensis primi initium faceret. Quartam decimam verò lunam, à 12 April. , usq; ad 18 Calend. Maij , solerter inquiri debere, etsi in die Sabbathi inciderit, sequenti die Dominico, id est luna 15, Pascha celebrandum fore; si verò Die Duminico 14 ejusdem Mensis primi venerit, ipsâ hebdomadâ transmissâ, in altero Dominico celebrari Pascha debere. Non ignari Nicænæ Synodi PP. quid Pontifex Romanus Victor in Episcopos Orientales Asiæ , nisi Decreto ejus parerent, jam olim decrevisset. Unde eadem Synodus cùm Alexandrinæ Ecclesiæ scriberet , (cujus exemplar apud Theodoretum lib. 1. cap. 9.)

Ex Canon. Rufini.

Scitote

Scitote (inquit) *controversiam de Paschate susceptam, prudenter sedatam esse, ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, jam Romanos, Nos, & omnes vos sint consentientibus animis in eodem celebrando deinceps secuturi.* Scientes totius controversiæ summam inter Orientales & Romanos extitisse; & à *Victore* jam sedatam; ex quo Alexandrinos Patres commonitos volunt, ut deinceps Romanos semper sequantur. Postea subdunt: *Nos*, Nicænos videlicet Patres: Appellationem igitur Romanorum S. Synodus, ipsi Nicænæ Synodo prætulit; cùm Paulus de Middelburgo probatus in sua historia, asserat: „ In Nicæna „ Synodo Patres trecentum decem & octo ex Universo „ mundo congregatos, definivisse, antiquum Paschæ Ca- „ nonem à Romanis Pontificibus institutum, in Paschæ „ celebratione observandum esse, videlicet quod Pascha „ sanctum celebretur Die Dominico à 14 luna primi men- „ sis, usq; ad 21 ejusdem Mensis.

8. In Concilio Aurelianensi quarto, sub Pelagio Papa, & Childerico Rege, legitur Can. 1mo definitio: *Pascha esse celebrandum uno tempore ab omnibus juxta laterculum Victoris, utq; in dicta solemnitate à Sacra Sede Apostolica Constitutio Sacra teneatur.* Argumentum indelebile est fidei Gallicanæ, quæ in *Victore*, tamquam successore Petri, illam quæ Capiti Ecclesiasticæ Monarchiæ competit, credidit, principalem spiritualis regiminis auctoritatem, quâ possit omnes suarum præceptionum vinculis obligare; cur enim illi indebitè imperanti, tam facilè & indebitè cederet? quæ alium quoq; modum in celebrando Paschate quotannis peragere solita erat, octavo videlicet Calend. Aprilis, quâcunq; die advenisset. teste Theophilo Cæsariensi in Epistola Synodali, & Beda lib. de Temp, cap. 47. Idem habetur in Concilio Arelatensi 1mo. Ubi Marinus cum toto cætu Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, Sylvestro Pontifici scri-

3tium testimonium Ecclesiæ Gallicanæ.

Cont. Aret. Canon. 1. scribit: *De observatione Paschæ Domini, ut uno die & tempore, per omnem orbem observetur, & juxta consvetudinem Literas ad omnes Tu dirigas.* Totum jus Ecclesia Gallicana effundit in Romanum Pontificem.

Can. 45. 9. In Concilio Carthaginensi 4to, communi omnium sensu firmatur: *Paschæ solemnitas, uno die & tempore celebranda.* Et Carthaginensi 5to, Can. 7: *Placuit, ut dies Venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur.* Intimandum tantùm S. Synodus septuaginta tria Præsulum, omnibus censuit, quia quod jam finaliter decisum à Victore, ipsa credidit. Tandem in Toletano 4to sub Honorio 1mo ab omnibus Episcopis Hispanis, & Gallis ibidem adunatis, conditur Canon Victoris decreto consonus: *Placuit ut ante tres menses Epiphaniarum, Metropolitani Sacerdotes, litteris se invicem inquirant, ut diem Resurrectionis Christi Comprovincialibus suis insinuent, & uno tempore celebrandum enuncient.* Tota igitur Ecclesia, sæculis illis antecedentibus conspiraverat, ad vindicandam Sacræ Sedis Romanæ jurisdictionis potestatem; Universa mandato Apostolico obtemperat; nulla ex particularibus Ecclesijs diversam consvetudinem tenentibus, contemnere audet Victoris fulmina censurarum. Nulla interponitur ad futurum Concilium appellatio. Sola Asiatica à Communi & Universali omnium deflectit voto: sed frustra nobis opponitur, si & Schismatica; & hæretica eo exfacto demonstrabitur.

PARAGRAPHUS II.

Asiatici Episcopi Victoris censuras contemnentes, Schismatici verè probantur, ex praxi antiquorum Patrum.

I. APud Catholicos omnes, dogma sacrum est; neminem

nem esse posse in Ecclesia, quin legitimam cum summo Pontifice, & cæteris Episcopis communionem, tam in Materia fidei, quàm morum retineat. Hanc propositionem tota antiquitas docuit, comprobavit, & literis nusquam interituris, ad nostra usq; tempora transmisit. Et imprimis certum est, omnes Episcopos ab omni ævo, arctissimâ societate in unitate fidei, tam secum invicem, quàm cùm summo Pontifice literarum commercio, quæ *formatæ* nuncupabantur, ita fuisse colligatos, ut ex illa mutua communione, Ecclesiasticæ pacis, unitas refloresceret. Hac de re scribit Optatus Milevit. *Negare non potes* (inquit) *scire te in Urbe Romana, Petro primo Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, in qua una Cathedra, unitas ab omnibus servaretur: Ergo Cathedra unica quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus &c. &c. cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in una communionis societate concordat.* lib. 2. adver. Parmen.

2. Istius communionis Episcoporum ad invicem, & cum sede Apostolica in omnibus fidei quæstionibus, meminit August. pluribus in locis, potissimum de Fortunio Donatistarum Episcopo scribens: *Hic* (inquit) *primò asserere conatus est, ubiq; terrarum esse communionem suam, quærebam utrum Epistolas communicatorias, quas formatas dicimus, posset quo vellem dare, & affirmabat: quò manifestum erat omnibus, hoc modo facillimè terminari posse quæstionem. Parabam autem ut si consentiret, ad illas Ecclesias à nobis tales literæ mitterentur, quas in Apostolicis auctoritatibus pariter legeremus.* Ex quibus verbis manifestum sequitur, Fortunium illum Donatistarum Episcopum, non potuisse in unionem Ecclesiæ concordiamq; revocari, eò quod communionem cum auctoritate Apostolica, & cæteris Ecclesijs, per literas formatas habere detrectaret. Epist. 163.

3. Meminit & Ambrosius Orat. de obitu fratris sui Satyri, harum communionis literarum, *Rogavit* (inquit) *si cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Ecclesia Romana per literas consentiret.* Hoc ipsum testificantur Patres Conc. Carthagin. Epist. ad Innocentium Papam. Item Episcopi Synodi Milevitanæ Epist. 92, ad eundem Pontificem.

Epist. 90 Conc. Carthagin.

4. Rationem tam necessariæ communionis cum Sede Apostolica assignat Augustinus: ut eo videlicet pacto, omnis hæresis, aut quæcunq; alterius criminis impacta calumnia, facili negotio ab Ecclesia depelli possit. *Vnde* (inquit) *Carthago non mediocris auctoritatis habebat Episcopum* (*Cæcilianum) qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas, esse conjunctum, ubi paratus esset suam causam dicere, si Adversarij ejus ab eo, illas Ecclesias alienare conarentur.* Communicatio ergo hujusmodi cum Pontifice, indubitatum erat fidei & unitatis Catholicæ argumentum. Hâc de causa SS. Patres, omnes ab Ecclesiæ Romanæ tramite deflectentes, ut nefarios desertores, & schismaticos execrabantur. Unde apertè falsum, ne dicam erroneum, ut potè antiquissimæ praxi Ecclesiæ contrarium, illud in Argumento A. A. assertum: „ Mentem SS. Patrum ætate illâ viventium fuisse, quod quandoq; quis posset à Romana & alijs Ecclesijs dissentire, quoadusq; controversiæ finitæ essent in ultimo Ecclesiæ tribunali; „ si ipso facto pro schismaticis reputabantur.

Epist. 162.

5. Produco aliud documentum ex Gallicana Ecclesia: Laudatus Iræneus, cùm Photino primo Lugdunensium Episcopo, ad regendam illam Ecclesiam tum in Gallijs celeberrimam successisset, scripsit libros 7 adversus

Testimon. Eccl. Gallicanæ.

versùs hæreſes, in quibus hoc ipſum de quo loquimur teſtimonium, Romanæ & toti Eccleſiæ perhibuit, ſic inquit lib. 3 cap. 3: *Sed quoniam valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum, enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem usq; ad nos, indicantes confundimus eos omnes, qui quoq; modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem Principalitatem, neceſsè eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undiq; fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undiq;, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.* Ex hoc S. Præſulis loco, duo accomodatiſſima contra Adverſ. inferuntur: primò, omnes omnium terrarum Eccleſias, ad Romanam Sedem, tamquam ultimum judicij tribunal recurrere neceſsè, propter Potentiorem Principalitatem, Jurisdictionis nimirùm & Poteſtatis Primatum, quo omnibus alijs Eccleſijs ſupereminet, eò quod, quotquot in ejus communione perſiſterunt, profectam ab Apoſtolis traditionem illibatam conſervaverint. Alterum: omnes à Romana Eccleſia recedentes, de ſuis erroribus revinci & confundi per Apoſtolicam traditionem, uſq; ad nos per continuam Pontificum ſucceſſionem tranſmiſſam, eò quod ab illa ipſa Apoſtolorum fide, nunquam Romana Eccleſia deflexerit.

adver. hæreſ.

6. Idem conſtanter docuit Cyprianus, unumquemq; ad Petri Cathedram extra quam non eſt ſalus, & unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, refugere debere, idq; ab Epiſcopis vel maximè vindicandum. *Primatus* (inquit) *Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur: Hanc Eccleſiæ unitatem, qui non tenet,*

lib. de unit. Eccleſiæ.

net, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? Et paulò post: *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoq; ipsum unum atque indivisum probemus: Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei ueritatem perfidâ prævaricatione corrumpat.* Hæc S. Doctor hic, & alibi de necessaria Episcoporm & fidelium cum Petri Cathedra unione.

7. Idipsum profitetur & Hieronymus ad Damasum scribens: *Ego (inquit) nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini suæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum, agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio* Et Epist. 58 ad eund: *Ego clamito, si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletuis, Vitalis, atq; Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere si hoc unus asseveret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Ea fuit antiquorum Patrum sententia, eos semper habuisse uelut hæreticos, aut certè schismaticos, qui ab unitate summorum Pontificum, consequenter ab Ecclesiæ gremio desciscebant. His orthodoxis ex SS. Patribus principijs præsuppositis, ad Episcopos Asiæ redeamus.

Epist. 57.

8. Terminatâ à *Victore* de Paschate controversia, certum est, omnes in universum Ecclesias per literas formatas inter se ad invicem, & cum Victore Pontifice communionem habuisse, ut ex Eusebio, Niceph. Conc. Carthag. Tolet. super. paragrap. demonstratum, cunctasq; uniformiter iudicio Pontificis adhæsisse, solis Asiaticis renuentibus, neq; communionem ullam cum Rom. Pontifice & cæteris Ecclesijs habere amplius volentibus; post Epistolam namq; Asianorum Romam per Polycratem transmissam, ante præfatum Pontificis De-

cretum,

cretum, nulla legitur de cætero, eorum cum Sede Apostolica neq; cùm alijs Ecclesijs communicatio. Quis ergò illos verè schismaticos dubitaverit? ut pote nefarios Sedis Apostolicæ, & Unitatis Catholicæ desertores: cùm schisma nihil aliud sit, quàm voluntaria à Capite, & Ecclesiæ unitate, ejusq; communione segregatio; de quo optimè August. *Credimus & S. Ecclesiam utiq; Catholicam: nam & hæretici, & schismatici, congregationes suas Ecclesias vocant, hæretici falsa de Deo mentiendo, fidem violant: Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus; quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quoniam diligit DEUM, nec schismaticus, quoniam diligit proximum.* lib. de fid. & Symbolo. cap. 10.

9. Consona præterea est doctrina Catholicorum omniũ, schismaticos nullatenus esse in Ecclesia, cũ sejuncti sint ab Ecclesia Romana, quam unitatis Ecclesiasticæ centrum, ab omni ævo credidit antiquitas, qui autem à Romana sejunctus est Ecclesia, ab Unitate Universalis recedit Ecclesiæ: unde optimè August. *Oportet nos ejus Ecclesiæ concedere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum culmen auctoritatis obtinuit.* Asiatici autem ut ex hactenus dictis manifestum est, non culmen modò Apostolicæ Sedis, sed totius Ecclesiæ unanimem sprevere sensum, quomodo igitur intra consortium Orthodoxorum Episcoporum numerari possunt? aut si schismatici extiterunt, cur nobis apponuntur. At non sufficit rebelles Asiaticos, schismaticos dici, cum & hæretici à Conciliis & Patribus passim proclamentur. lib. de Util. Creden. cap. 17.

PARAGRAPHVS III.

Ostenditur ex Concilijs, & Patribus, Asiaticos Episcopos Decreto Victoris pertinaciùs obsistentes, hæreticos postea nuncupatos.

I. POst consonam omnium Ecclesiarum Decreti Victoris de Paschate celebrando receptionem, Episcopi Asiæ ritui Judæorum pertinaciter insistentes, in erroresq; Cathaphrygarum & Montanistarum declinantes, à tempore illo *Thessarescæ* græcè, id est Quartodecimani latinè, ab omnibus appellati sunt, eò quod 14 lunâ, festum Paschatis observassent; testantur scriptores antiquissimi: Primò Zozomænus. (lib. 7. hist. Ecclesiast.) ,, Mirùm (inquit) est, illos qui Judæos in hoc imitantur, non magis probasse antiquitatem ab ipsis conservatam: atqui ut videretur præter hos ipsos & istos, qui per Asiam sunt Quartodecimanos appellatos, etiam ij, qui alijs adhærent sectis, hoc festum agunt: sed hi quidem in ipsa 14 die cum Judæis feriantur, unde etiam hujusmodi sortiuntur nomen. ,, Socrates Hist: Tripart: ,, Romanæ (inquit) Ecclesiæ Victor Episcopus excommunicationem Quartodecimanis misit in Asiam: ,, Eusebius Polycarpum Asiaticum Quartodecimanum appellat. Nicephor. lib. 5. cap. 39. ,, Quamvis (inquit) adhuc in Asia reliquiæ maneant, consvetudinem illam in paucis prorsus inviolatam retinentes; unde etiam Quartodecimani cognominati sunt. ,, Et lib. 12 cap. 32 ,, Satis colligere licet Sabbatianis istis, atq; ijs qui Thessarescæ-decatites, sivè Quartodecimani vocantur exceptis, hæreses omnes alias festum Paschæ cum Romanis peragere. ,, Jam verò isti Quartodecimani, qui ante Victorem ab Ecclesia fuerant tolerati, post terminatam senten-

sententiam, pro hæreticis postea habiti sunt.

2. Primo affero Concilium Antiochenum cujus Canon. 1. apud Petrum Crabbe habetur sequentibus terminis *Omnes qui audent dissolvere regulam S. & Magni Concilij Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei, de salutari festivitate Paschali Salvatoris nostri, excommunicatos & abjectos esse debere ab Ecclesia, maximè si perseverent studio contentionis, ad subvertenda ea, quæ optimè constituta sunt: Et hæc quidem dicta sunt de Laicis. Si autem de Præpositis Ecclesiæ aliquis, id est vel Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, post hanc definitionem & hunc terminum, ausus fuerit in subversionem populorum, & perturbationem Ecclesiarum, seorsum colligere, & cum Iudæis Pascha voluerit celebrare, hunc S. Synodus jam alienum ab Ecclesia esse judicavit, tamquam eum qui non solùm proprij peccati reus sit, sed aliorum corruptæ mentis supplantator extiterit, & non solùm hujusmodi deponi à Sacerdotio, & ministerio jubet, sed & eos qui ausi fuerint his communicare post damnationem. Depositos autem etiam honore qui extrinsecus est, privari oportet, quem Sanctus Canon, & Dei Sacerdotium promeruit.* S. Synodus non privatos eos tantummodò gradu & honore, sed & excommunicatos & abjectos ab Ecclesia esse voluit, ut perversos Religionis, & populi Orthodoxi supplantatores, doctrinæ Apostolicæ prævaricatores, falsæ disseminatores quod hæreseos proprium esse, probat August. lib. de Fide & Symb. cap. 10. Hâc rigorosâ Concilij sententiâ roboratur judicium Victoris irreformabile, quod renovatum tantùm fuisse à Nicæn. Syn. ostendi superiùs. & Quartodecimani hæreseos condemnantur. 2dæ Editionis.

3. Præterea in Conc. Laodicensi Canon legitur: *Novatianos vel etiam Quartodecimanos, quos Græci Thessaresce-decatites appellant, qui 14 lunâ primi mensis, cum Iudæis Pascha celebrant, sed & Cathechumenos eorum fideles non recipi,* Can. 7.

recipi, priùsquàm condemnent omnem hæresim, in qua detinebantur. Principalis autem erat Quartodecimanorum Asiæ error, quod contentionis animo cum Romana sede, in ritu Judaico persistebant, qui hæreseos meritò arguuntur, tum quia in decisa quæstione contra Sedem Apostolicam, & totam Ecclesiam temerè dimicabant, quod hæreticum esse, ex definitione hæreseos, unicuiq; perspicuum: Tum quia Novatianorum, Montanistarum, Cathaphrygarum hæresi cohærebant, qui 14 Mensis, Pascha peragendum jure Divino, ita à suo edocti Paraclyto asserebant, cum hoc tamen discrimine ab Asiaticis, quod isti lunæ cursum, more Judæorum; illi autem solis observabant, ut tradit Zozomenus. Hist. lib. 7. cap. 18.

4. Concilio quoq; Oecumenico Ephesino part. 2. act. 5. in expositione symboli depravati, inter cætera orthodoxæ fidei dogmata, illud quoq; additum in fine: *Omnis qui Sacram Paschatis diem non celebrat, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ, anathema sit.* Subsequitur ibidem immediatè subscriptio Quartodecimanorum, hæresim suam in conspectu Concilij ejurantium, sub formula sequenti: *Omnem hæresim & præcipuè Quartodecimanorum, in quo antea errabam anathematiso: Anathematiso etiam illos, qui Sacrum Paschatis diem, aliter celebrant quàm Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

tom. 1mo. Conc. Gener.

5. Non prædicta modo Concilia, sed & antiqui Ecclesiæ Patres, Quartodecimanos intra numerum hæreticorum referunt. Augustinus de Hæresibus, Hæresi 29 sic scribit. *Thessārescæ seu Quartodecimani hinc appellati sunt, quod non nisi lunâ* 14 *Martij Pascha celebrabant, quicunq; dies acciderit.* Tertulian. adversûs Hæreses. cap. 53. Blastum Quartodecimanum, vocat hæreticùm, qui Romæ Judaismum voluit introducere, dicens Pascha non aliter esse celebrandum, nisi secundùm legem

lib. de Præscript.

Moysi

Moyſi luna 14 Menſis *Quis autem neſciat* (inquit) *quoniam Evangelica gratia evacuatur, ſi ad legem Chriſtum redigit.*

6. Damaſcenus Hæreſi 50, Eos qui uno die quotannis Paſcha agunt cum Judæis, inter hæreticos recenſet; non quòd illa obſervatio hæreſim ab initio ex ſe ſaperet, verùm poſtquàm à Pio, Aniceto, Eleuterio, & tandem ultimatè à Victore, quibus cum neceſſariò communicandum erat, deciſum fuerat, ne Judaicum ritum ampliùs tolerare vellent, ob pertinaciam in hæreſim incidiſſe, judicati ſunt. Unde Chryſoſtomus cùm Eccleſiæ Conſtantinop. præfuiſſet, eis tamquam hæreticis, æquè ac Novatianis, Eccleſias Catholicorum ademerat, teſt. Socrate. Idem quoq; feciſſe Leontium Ancyræ Epiſcopum, refert idem cap. 20.

lib. 6 Hiſt. Eccl. cap. 10.

7. Tota deniq; Catholica Eccleſia, Aſiaticos ſententiæ Victoris refragantes, hæreticos facto declaravit, poſt excommunicationem enim à Pontifice fulminatam, ſe ab illis totaliter ſegregavit, & ampliùs factis eorum communicare noluit, eodem referente Socrat. lib. 9. Hiſt. Tripart. cap. 38. Hæc de Aſiaticorum Epiſcoporum cùm Victore controverſia. Ex qua duo contra Adverſ: deducuntur momenta, Alterum; Apoſtolicam Sedem primis illis poſt Chriſtum ſæculis, auctoritatem ſupremam in totam Eccleſiam exercuiſſe: Alterum, eandem Catholicam Eccleſiam ſemper mandatis Pontificum obtemperaſſe. Percurrere libeat omnes à Petro, ad Victorem uſq; Romanos Præſules ex ordine ſibi ſuccedentes, quid egerint? & clariſſimè videbitur, ſingulos illos, non unius Romæ, ſed totius Dominici gregis geſſiſſe Epiſcopatum. Niſi fortè dixerit Adverſ. omnes illos Pontifices jus ſibi indebitè uſurpaſſe: ſed ad quid indebitè imperantibus tota Eccleſia uniformiter obtemperabat? Ergo ne illo ſæculo univerſus Catholicus orbis tã inſulſus extiterat, quod jus ſibi debitum ignoraverit? ſi

autem sibi proprium, ultimiq; judicij tribunal recognoverat Ecclesia, cur *Victoris* taliter sibi arrogantis super omnes totius orbis Episcopos, absq; ulla hæsitatione sequuta est judicium? aut quarè ab Asiaticorum abstinuit communione, inaudito illius decreto? suspendenda potiùs erat rigorosa illa, & anathematibus gravata sententia, quâ universas Asiæ Ecclesias ab antiqua sua consvetudine abstrahere, & à fidelium consortio præscindere moliebatur, donec in plenario totius Ecclesiæ judicio res discuteretur. Nisi hæc sedis Apostolicæ totius orbis consensu, & confessione, super universam Ecclesiam fuisset auctoritas, tam latam & gravem jurisdictionis extensionem, nusquam *Victori* Ecclesia permisisset.

PARAGRAPHVS IV.

Asiatici Episcopi ante conflatum contra Victorem schisma, supremam in Sede Apostolica auctoritatem recognoverant.

I. QUàm non contemptim primo sæculo ab Asiæ Orientisq; Episcopis tractata fuerint Romanorum Pontificum decreta, & ordinationes, deducitur ex historia Pij primi, sub quo initium habuit prædicta de Paschate celebrando controversia. Hic primò de ea re constitutionem monitoriam edidit, ut ex Decretali sua Epistola in universum directa Orbem constat. ,, *Nosse* ,, *vos volumus* (inquit) *quòd Pascha Domini, die Dominico annuis temporibus sit celebrandum &c.* Ubi primùm Asiaticis Episcopis hæc Pij constitutio innotuerat, ne per contrarium observationis antiquæ exemplum, mandato Pontificis derogare, aut auctoritatem ejus quodamtenus contemnere viderentur, S. Polycarpum Smyrnæ Episcopum S. Joan, Evangelistæ discipulum, tunc in

[margin: ...ater Epist. ...ent.]

Asia

Asia honoratissimum, Romam destinarunt, ut Romano Pontifici de se satisfacerent, & suæ illius consvetudinis, & antiquæ praxis, per eundem rationem redderent. Et ut S. Hieronym. scribit: *Polycarpus probè sciens Decretum summi Pontificis contemni absq; gravi peccato non posse, propter istas super die Paschatis quæstiones, ad Vrbem Romanam venit.* in Catha-log.

2. Defuncto brevi *Pio* Pont. post editam Constit., sub Aniceto ejus successore, Romam venisse Polycarpum testantur Iræneus Epist. ad Vict., Euseb., Socrat., Niceph., cum quo, hac in quæstione conferebat, obsecrabatq; ut liceret Asiæ Ecclesijs in veteri consvetudine, quam à S. Joanne Evang. accepissent, perseverare: S. Pontifex propter magnas Valentini & Marcionis, quæ tunc sæuiebant persecutiones, rem ad tempus tolerandam iudicauit. Certè ea de causa Polycarpus, à tam longissimè distantibus Asiæ partibus Romam non uenisset, neq; tantis precibus Pontificem obiurgasset, nisi auctoritatem eius supremam credidisset: Nonne ad Ecclesiam Congregatam, futurum uidelicet Generale Concilium appellationem interponere potuisset? si ibi ultimata & indubitata omnis controversiæ resolutio. Euf. lib. 5. Hist. Soc. lib. 9. Hist. Trip. Nic. lib. 5 cap. 3.

3. Itaq; tota Asia à Pio primo, ad tempora usq; *Victoris* in Iudaici ritûs observatione, & Catholicorum Societate sinè Schismatis vel hæreseos nota perseverauit, non propter aliquam Ecclesiæ vel Concilij Generalis dispensationem, sed propter solius sedis Apostolicæ conniventiam, & dissimulationem, ut Iræneus in laudata Epist. ad Victorem & Euseb. lib. Chronic. S. Hieronymo interprete narrat, de Aniceto & Polycarpo *Anicetus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenuit, sub quo Polycarpus Romam veniens, multos ab Hæretico errore correxit.* utiq; ad Sedem Apostolicam recurrendo, & ab ea sola di-

ſpensationem pro conſervando antiquo uſu conſtitutioni ejus contrario, impetrando.

4. De Polycrate Epheſinorum Epiſcopo, inter Aſiaticos tunc nobiliſſimo, ſcribit idem: à Victore commonitum fuiſſe, ut Epiſcopos totius Aſiæ ad Synodum accerſeret, quod ſinè repugnantia aut prorogatione egit. Porro cap. 23. facit mentionem ejus Epiſtolæ, quam ad Romanum Pontificem nomine totius Aſiæ ſcripſit, poſt decretalem Victoris ſententiam, ut rationem redderet, cur à cæteris Eccleſijs diſſentiret: Quamquam enim omnes Eccleſiæ aliter faciendum decreviſſent, quàm Aſiatici facerent, tamen ſoli Univerſalis Eccleſiæ Antiſtiti, non ipſi Eccleſiæ ſe purgare voluerunt, omnibus alijs per hoc ſatisfactum eſſe ſciebant, dum ad ſummum Paſtorem recurrebant. Non igitur in Eccleſia vel Concilio Generali, ſed in S. Sede Apoſtolica ultimum judicij tribunal Aſiatici ante conflatum ſchiſma reponebant. Et hæc pro reſponſione ad oppoſitionem.

lib. 5.

A. Anon.



Ex

EX CONTROVERSIA III. SÆCVLI

De Baptiſmo Hæreticorum.

OPPOSITIO III.

Auctoris Anonymi.

DE Baptiſmo (inquit) Hæreticorum, quæ tanto ardore inter S. Stephanum Roman: Pont:, & S. Cyprianum agitata eſt: & dixerat S. Stephanus, nihil eſſe inuovandum, præter id, quod traditum eſt, ut manus hæreticis imponerentur, hoc nihilominus non obſtante, S. Cyprianus rebaptiſari omnes volebat, qui ab Hæreſi ad Eccleſiam veniebat: En quod Auguſtinus de illo facto deq; illa controverſia dicit, ſcilicet: *Potuiſſe alios aliud de illa quæſtione ſalvâ pace ſentire, donec aliquid Vniverſali Concilio eliquatum ſincerumq; placuiſſet, humànæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis.* Credebatur igitur illâ ætate, Concilium plenarium, res, quæ vocarentur in controverſiam poſſe duntaxat dirimere, & quæ fierent à ſummis Pontificibus, ab ijſq; deciderentur, denuò poſſe vocari in examen. Lib. 1. de Bapt. cap. 15. ſic habet S. Pater alloquens Donatiſtas: *Quæſtio quæ nondum finita, Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos finita ut recedatis invitat.* Quibus verbis ſupponit (inquit) Auguſtinus controverſiam de Baptiſmo, quamquam à Pontifice diſcuſſam eſſe, non planè finitam dici potuiſſe, ut S. Cyprianum deterreret ab ea defendenda: finitam verò tantùm fuiſſe in Concilio poſtea Plenario; Unde non poterant amplius Donatiſtæ talem ſententiam pro-

„ pugnare. Quibus quidem verbis supponit apertè Au-
„ gustinus, Iudicium summi Pont. non esse in Ecclesia
„ supremum, & ultimum, nullamq; Pontificem auctori-
„ tatem habere in Concilium Generale & Plenarium. „
hæc A. A. ex Controu. 3. sæculi.

CAPUT III.

Ex S; Cypriano & Orientalium facto, jus Supremum Romani Pont. in Universam Ecclesiã roboratur, Mens Augustini perpenditur, & auctoritatibus allatis respondetur.

I. NOn à S. Cypriano (ut falso supponunt multi) hæc cæpit quæstio agitari, sed primo controversiæ huius fluctus moti sunt in oriente, eâ nimirum occasione, quod ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, alijsq; Regionibus, Iconium convenientes Episcopi, statuerant; nihil eorum, quæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse, non ordinationes, nec Baptisinum nec manuũ impositiones; Habetur apud Eusebium, Rufino interprete huius synodi memoria.

lib. 7. cap. 6.

„ In ipso quoq;
„ libello (inquit Dionysius Alexandrinus) commemorat
„ non tunc primum in Africa de hæreticis rebaptisandis
„ ab Episcopis esse decretum, sed & antea jam in nonnullis
„ Ecclesijs, & Concilijs Episcoporum, uelut in Iconijs,
„ atq; alijs locis de hoc fuisse tractatum. „ Idem quoq; refert *Firmilianus* ad *Cyprianum* scribens. Hæc autem cõtroversia eâ potissimum ex ratione orta est, quod Nouatiani hæretici, & ante illos Cathaphrygæ soliti essent, quos ab Ecclesia Catholica divulsissent, ut immundos iterum baptisare: id prouocauit ad æmulationem quosdam Episcopos Africanos, ut & ipsi qvos ad Ecclesiam redeun-

redeuntes susciperent, tamquam illo hæretico baptisma-te inquinatos, denuò baptisarent.

2. Primus eorum fautor legitur *Agripinus*, tertius ante S. *Cyprianum* Carthagin: Episcopus; 2*dus Donatus*, huic cùm successisset gloriosus Martyr Cyprianus, inuenissetq; Prædecessorum suorum impressa vestigia, contra hæreticos baptisma Catholicorum deprimentes, & in Ecclesijs Orientalibus videret inoletam iam consuetitudinem, credidit ille Orientalium praxi inhærendum esse, baptisma videlicet hæreticorum, ad Ecclesiam Catholicam uenientium non esse recipiendum, quin iterùm sacro fonte lustrarentur, unde & mordicus sententiam illam propugnare cæpit, ita; quòd contrarium erroneum existimaverit.

3. S. Stephanus Rom. Pont. Orientalium praxim, & doctrinam Cypriani improbavit, prohibuitq; ab hæreticis ritè ablutos, ad Ecclesiam venientes, rebaptisari; nihil tamen tamquam de fide Divina definiendo, aut censuras annectendo. Obstitit mandato Apostolico Cyprianus, imò erroris redarguit Stephanum, eundem hæreticorum potius, quàm Catholicæ religionis Patronum proclamando, sic contra eum in Epist. ad Pompejum conqueritur: *Quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum, quo lecto, magis ac magis errorem ejus denotabis, qui hæreticorum causas contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* A contumelijs exorsus S. Martyr, adversùs Pont. aggreditur disputare, ita tamen, *ut in tali disceptatione* (inquit Augustinus) *nullum inter eos malum schismatis oriretur.*

Epist. ad Pompejum.

lib. 5. de Bapt. cont. Donat. ca. 25.

4. Multa alia jacula vir S. Cyprianus in Stephanum impatientiâ motus, (& ut terminis Augustini loquar) *iratus effudit:* quæ cùm perfidi Donatistæ, pro ratificanda eadem consvetudine palam Ecclesiæ Catholi-

cæ,

cæ, & Sedi Apostolicæ obijcerent; Augustinus nihil non movit virium ut tam gloriosum Martyrem à contumelijs excusare, & Donatistas ab errore faciliùs retrahere potuisset, ut ex libris cont. Donat. colligitur. Unde nedum illo tempore fuisse finitam quæstionem asserit, quia necdum à Stephano decretaliter terminatam, sed literaliter tantummodò Cypriano prohibitam.

5. Hinc A. A: conatur eruere, Summum Pont. in Ecclesiam Congregatam, supremam non habere auctoritatem, cum ea ab Orientalibus Episcopis & Cypriano non fuerat recognita, sed *hujus auctoritatem imperitis obijciunt* (inquit Augustinus) *ut se quasi rectè facere ostendant.* Unde Oppositio Advers. nullius momenti est, si duo ut certissima evincantur! videlicet Stephanum, nihil ut fide Divina definivisse: Et Cyprianum cum Episcopis Orientalibus in sua opinione, & in Stephanum, ut auctoritate Apostolicá prohibentem, deliquisse.

lib. 1. de Bapt. cont. Donat. ca. 19.

6. Primum fatetur ipsemet *Cyprianus Epist. ad Pompejum* sequentibus verbis: *Quia desiderasti quæ nobis ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit: inter cætera: illud adjunxit ut diceret, si quis ergo à quacunq; hæresi veniret ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in pœnitentiam. A quacunq; hæresi venientem baptisari in Ecclesia vetuit, id est omnium hæreticorum baptismata, justa esse, & legitima judicavit. Et præcepit nihil aliud innovari nisi quod traditum est.* Et parùm inferius: *Nihil innovetur inquit nisi quod traditum est.* Hæc est tota sententia Pontificis, utiq; simplex & monitoria, cum nullibi censuris gravata legatur alia.

lib. 7. cap. 4.

7. Addit quidem *Euseb. ex Dyonisio*, *Firmilianum & Helenum*, aliosvè qui rebaptisabant Episcopos, communione privatos à Stephanó, sed non constat, an rebaptisatio, motivum ex communicationis illius extiterit, cùm compertum sit ex eodem *Euseb. Firmilianum* in errore

lib. 8. cap. 21. interp. Ang. Cisterf.

rore Quartadecimanorum jam dudum ab Ecclesia proscriptorum permansisse, & in alios errores petulanter impegisse. Nihil quoq; certi, quonam tempore Excommunicatio illa fulminata fuerat, utrum ante exortas, vel sopitas Cypriani querelas: in nullis præterea actis dicta excommunicatio legitur. Quò ad errorem Cypriani, & omnium Orientalium mandato Stephani obsistentium, sequentibus differitur.

PARAGRAPHUS I.

S. Cyprianum, & Episcopos Orientales, contra judicium Sedis Apostolicæ dimicantes, erroris redarguunt antiqui Ecclesiæ Patres.

OPtimè differuit Nazianzenus *Non viles tantùm & plebejos, sed etiam præstantissimos quoq; viros, momus interdum attingit: ut solius DEI sit, omni prorsus peccato, atq; animi perturbatione vacare.* Ab hoc communi naufragio immunis non extitit S. Martyr Cyprianus, qui licet doctrinà & sanctitate morum, nulli propè modum illorum temporum videbatur esse secundus, cæterum quò ad eam contra Stephanum ipsius sententiam, tanto cum furore, & contumelijs defensatam, culpæ obnoxium reddunt antiqui Ecclesiæ Patres. Orat. in laud. Basilid.

2. Primò Augustinus Epistolam ejus ad Pompejum, paulò ardentiùs in Stephanum scriptam, diligentiùs investigans, ait: Cyprianum passione potiùs quàm ratione agitatum, & veluti violento ventorum flatu, iracundiæ igne vehementius fuisse inflammatum: *Iam illa* (inquit) *quæ Cyprianus in Stephanum iratus effudit retractare nolo, quia nec opus est: & ea præterire meliùs est, quæ periculum perniciosæ disputationis habuerunt.* Maluit S. Doctor factum Cypriani obvolvere silentio, quàm illud re- lib. 1. de Bapt. cont. Donat. ca. 25.

 frica-

fricare, cùm periculum pravitatis opinio illius nondum excuteret. Unde idem S. Pater aliter eum sensisse dicit, quàm veritas postulasset: *Reddens* (inquit) *debitam reverentiam, dignumq; honorem quantùm valeo persolvens, pacifico Episcopo, & glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse, quam ueritas prodidit.*

lib. eodem cap. 2.

3. Idem Augustinus, omni cum zelo propugnans *Stephani* de baptismo sententiam, Donatistis obijcientibus illa omnia, quæ adversûs eum Cyprianus congesserat, sic respondet: *Non me terret auctoritas Cypriani: magnum quidem meritum agnovimus Cypriani Episcopi & Martyris, sed numquid majus, quàm Petri Apostoli & Martyris?* & paulo inferiùs: *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes Iudaisare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota Ecclesia tenuit, cogere hæreticos vel schismaticos denuò baptisari.* Excusare nititur Cyprianum exemplo Petri, (quem deliquisse ut hominem probauit contra Hieronymum) ab errore tamen eum non vindicat, imò nec omnimodè illum Apostolorum Principi comparat, subdit enim immediatè: *Puto quod sinè ulla sui contumelia Cyprianus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad Martyrij coronam; cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam: quis enim non scit, illum Apostolatûs Principatum cuilibet Episcopo præferendum.* Idipsum planè approbat lib. 3. cap. 8. *Non fuisse impossibile, ut de baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet, quàm veritas postulabat, quæ ab Ecclesia & ante illum, & post illum retenta est*; quibus luculenter probat, non nisi veritatem à Stephano fuisse promulgatam, & eandem à Cypriano impugnatam.

lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 1.

de baptis. cont. Donat.

4. Quòd autem delinquere potuerat, rationem tradit S. Doctor *Homines enim* (inquit) *sumus, unde aliquid aliter sapere, quàm res se habet, humana tentatio est: in nullo autem aliter sapere, quam res se habet, Angelica perfe-*

lib. 2. cap. 5. cont. Donat.

ctio

ctio est. Illud ipsum repetit lib. 4. cap. 8. *Nec ipsâ* (inquit) *malevolâ contentione, sed humanâ tentatione aliter sapiens: quod ut ei Deus in charitate perseveranti, cum vellet postea revelaret, in communionis unitate permansit.*

5. Epistolâ ad Vincentium Donatistam, Declarans multos Catholicos errorem illum de rebaptisatione abnegasse, & S. Cyprianum, eundem probabiliter correxisse, sanè omnes illos labe inquinatos non incongruenter judicat. *O si possem* (inquit) *tibi ostendere ex ipsis circumcellionibus! quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem, qui se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid invictâ temeritate faciebant:* Et de Cypriano inferiùs subdit: *Correxisse istam sententiam non invenitur: non incongruenter de tali existimandum est, quod correxerit, & fortasse subreptum sit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt, quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendebant, sed sub ejus nomine à præsumptoribus, atq; mendacibus fuisse confictum.* Epist. 48.

6. Duo fuerunt media Augustino, & Donatistarum errorem acriùs perstringendi, & D. Cyprianum à calumnia expurgandi: videlicet, vel quòd errorem suum propter vinculum pacis & unitatis, quod semper cum Romana Sede retinuit, retractaverit; vel falsò ei à præsumptuosis & mendacibus imputatum fuerit. Unde parùm inferiùs: *Porrò autem Cyprianus, aut non sensit omninò, quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris, cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesiæ, pro toto orbe crescentis, & copiosissimè defendit, & perseverantissimè retinuit vinculum pacis; scriptum est enim: charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Tandem concludit: *Accedit huc etiam tanquam Sacramentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis.* ibid.

7. Rationem aperit S. Doctor, ob quam S. Martyrem in asserenda hæreticorum rebaptisatione, DEUS errare permiserit: *Quòd non rectè fieri tanto viro nimirum propterea DEVS non aperuit, ut ejus pia humilitas, & charitas, in custodienda salubriter Ecclesiæ pace, patesceret, & non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posteris, ad medicinalem (ut ita dicam) notitiam signaretur.* Hæc verissimè protulit Augustinus, ut noscant posteri, quomodo ad tuendam & conservandam Ecclesiæ pacem, & unitatem, audam & conservandam Ecclesiæ pacem, & unitatem, auctor tas Romanæ Sedis sit veneranda. Hucusq; ex Augustino de sententia Cypriani in Stephanum tunc calcitrantis.

lib. 1. de Bapt. cap. 17.

8. S. Hieronymus, eludit Concilium Africanum septuaginta unius Episcoporum, auctoritate S. Cypriani contra Stephanum Pontificem habitum, quos à Decreto erroneè facto asserit recessisse, & in sententiam Pontificis irreformabilem, postea convenisse, & S. Cyprianum oleum & operam perdidisse: *Conatus est* (inquit) *Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & ideo hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Episcopum, qui a B. Petro 26 fuit super hac re Africanam synodum direxit, sed conatus eius frustra fuit. Deniq; illi ipsi Episcopi, qui rebaptisandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consvetudinem reuoluti, novum emisère decretum.* Conatum Cypriani frustraneum dicit S. Hieronymus, ideo haud dubio, quia Synodo illius, ut potè non rectè docenti, Stephanus auctoritate Apostolica contradixerat.

lib. advers. Lucifer.

9. S. Basilius ab Amphilochio rogatus, de controversia illa inter Stephanum & Cyprianum agitata scribere quid sentiret. Famosam illam de ea re ad eum confecit Epistolam, quam Græci Canonicam vocant, ubi ait; se nec Firmiliani schismatici, nec Cypriani probare sententiam, indistinctè omne reijcientium baptisma

Epist. Can. cap. 1. ad Amphil.

ſma eorum, qui extra Eccleſiam per hæreſim vel ſchiſma poſiti eſſent. Unde Enchratitarum, Hydropariſtarum, Novatianorum, ac his ſimilium recipiendum tradit eſſe baptiſmum, qui licet ab Eccleſia receſſiſſent, illud tamen ut erat Eccleſiæ, integram formam conſervaſſent.

10. Vincentius Lyrenenſis de Agripino Carthaginenſi, S. Cypriani Anteceſſore, primo opinionis iſtius in Africam invectore, & S. Stephani inerrabili judicio, & irrefragabili auctoritate, ſic ſcribit: ,, Mos iſte ſem- ,, *Cont. hæreſ. cap. 9.*
per in Eccleſia viguit, ut quò quiſq; floreret religioſior, ,,
eò promptius novellis adinventionibus contrairet. U- ,,
num aliquod exemplum, & hoc ab Apoſtolica potiſſi- ,,
mùm ſede ſumemus, ut omnes luce clariùs videant, Be- ,,
atorum Apoſtolorum, Beata ſucceſſio, quantâ vi ſem- ,,
per, quanto ſtudio, quantâ contentione defenderit, ſu- ,,
ſceptæ ſemel Religionis integritatem. Quondam igi- ,,
tur Venerabilis memoriæ Agripinus Carthaginen: Epi- ,,
ſcopus, primus omnium mortalium contra Divinum ,,
Canonem, contra Univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ,,
ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem & in- ,,
ſtituta majorum, rebaptiſandum eſſe cenſebat: Quæ ,,
præſumptio tantùm mali invexit, ut non ſolùm hæreti- ,,
cis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibusdam ,,
Catholicis, occaſionem præbuerit erroris: cum ergo ,,
ad nouitatem rei undiq; cuncti reclamarent: Tunc Be- ,,
atæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Anti- ,,
ſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen *præ* ,,
cæteris reſtitit: dignos exiſtimans; ſi reliquos omnes tan- ,,
tùm fidei devotione vinceret, quantùm loci auctoritate ,,
ſuperabat. ,, Ecce Lyrenenſis ſenſus, de Africanorum ,,
pervicacia, & Stephani Apoſtolicâ ſententiâ.

11. Euſebius ſententiam de rebaptiſatione, pravitatem Novati appellat, eâ nimirum ex cauſâ, quòd *lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 4.*

Novatianus id temporis rebaptisare aggressus esset, nec reciperet quempiam apud alios baptisatum, absq; secundo à se administrato baptismate. Hæc unica quoq; ratio arguit, S. Cyprianum cùm omnibus Episcopis Orientalibus deliquisse, quòd contra consvetudinem & praxim totius Ecclesiæ egerint, atq; traditionem Apostolicam auctoritate *Stephani* promulgatam, ut passim clamat Augustinus adversùs Donatistas. Tandem comparatione eorundem Donatistarum, id ipsum evincitur, qui cùm eandem Cypriani sententiam contra præscripta Apostolica tuendam postea suscepissent, à Concilio Arelatensi ut hæretici condemnati sunt. Quâ de causa gravissimè discurrit Lyrenensis loco citato: ,,O mira (inquit) rerum conversio: Auctores ejusmodi opinionis, Catholici; Confectores verò, hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum, Filij regni erunt, assertores verò gehenna suscipiet. Nam quis alius Sanctorum omniũ, & Episcoporum, & Martyrum lumen B. Cyprianum cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius auctoritate Concilij rebaptisare se jactant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo.,, Absoluti dicuntur Magistri, Orientales videlicet, & Africani Episcopi; condemnati Donatistæ, quia isti pertinaciter auctoritati Pontificiæ, & unitati Ecclesiæ repugnabant, illi à proposito & opinione prava recedebant, ut sequenti paragr: demonstratur.

Contr. hær. cap. 9.

PARA-

PARAGRAPHVS II.

Cyprianus, & Episcopi Africani, summam in Stephano auctoritatem recognoscunt.

1. SYnodica Acta judicio Pontificis Romani submittere, ut ab eo vim, & auctoritatis robur obtineant; magnificum est supremæ ejus jurisdictionis argumentum, & perspicuum Concilij à Sede Apostolica dependentiæ indicium. Id non verbo tantùm sed facto professa, confessaq; est omnium maxima Chalcedonensis Synodus in relatione Diffinitionum Synodalium ad Leonem Pontificem scribens. Hoc ipsum expressit octava Synodus ad Adrianum, omnes videlicet Conciliorum definitiones, indicium omne, auctoritati Apostolicæ Sedis subesse penitùs, & ab ea prorsùs dependere: De quo inferius ex proposito, ubi ex Conciliorum omnium Generalium communi consensu demonstrabitur, hoc Petri Cathedram privilegio decoratam, ut ad eam omnis Conciliorum actio, omnis constitutio referatur, robur & firmitatem ab eo expectando, ita; ut quod ille firmaverit, hoc robur obtinuerit, quod refutaverit, habere non potuerit firmitatem. Sed quantùm ad Cypriani factum attinet.

Actione 8. Conc.

Act. 8. Conc. Cōstantin.

2. Certum est, eum auctoritatem supremam in Stephano super Concilia recognovisse, factoq; probasse; licèt enim cum septuaginta Patribus congregatis, Canonem de rebaptisatione menti Apostolicæ dissonum, ediderit; sperans nihilominùs Beatum Pontificem hac in re condescensurum, omnia statuta Synodalia Romam mittit, ejus submittendo judicio, ut testis est Hieronymus loco supra citato: *Cyprianus ad Stephanum tunc Romanæ Vrbis Episcopum, qui à B. Petro 26 fuit, super hac re, Africanam Synodum direxit.* Quòd autem non alio fine,

nisi ut auctoritatis robur, & firmitatem ab illo acciperet; patet ex Epistola Synodica ad Pontificem missa. *Ad quædam*)inquit) *disponenda, & consilii communis examinatione limanda; necesse habuimus Frater Charissime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium, in quo multa quidem prolata utq; transacta sunt: sed de eo vel maxime tibi scribendum, & cum tua gravitate & sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem, pariter & dignitatem, de Divinæ dispositionis ordinatione venientem*: Et post multa: *Hæc ad conscientiam tuam Frater Charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi, pro Religionis tuæ, & fidei veritate placere, quæ religiosa pariter & vera sunt.*

habet. apud Lab. tom. 1. Concil.

3. Crediderat S. Martyr veritatem fidei esse, quæ ab eo concilialiter condita sunt, adeoq; favorabile Stephani responsum anxiè expectabat; sed conatus ejus frustra fuit, inquit Hieronymus, quia contra veritatis regulam, quam ante illum, & post illum Ecclesia tenuit, pro conditione humana errare poterat, juxta Augustinum. Ut quid quæso Cyprianus ad Sedem Apostolicam cum sua recurrit Synodo? si illa non credebatur ultimum controversiarium resolutorium: Cur Pontificis committit conscientiæ? gravitati? sapientiæ? nullam Ecclesiæ cougregatæ mentionem faciendo, aut remissionis clausulam interponendo? Noverat sanè sapientissimus Cyprianus antiquissimum Apostolorum Canonem, à Clemente, Petri discipulo, jam dudum antè Ecclesiæ publicatum *Majores & difficiliores causas semper ad Sedem Apostolicam deferendas*, quo idem Cyprianus jam ante usus fuerat ad Cornelium, prædecessorem Stephani: cùm enim ad aliquod tempus novam Pseudòépiscopi Fortunati creationem Romano Pontifici denunciare prætermisisset, hac de re seipsum purgaturus, sic Cornelio scribit

bit: *Quod Tibi de Fortunato isto Pseudoèpiscopo à paucis & inveteratis hæreticis constituto, non statim scripsi Frater Charissime; non ea res erat, quæ in notitiam Tuam deberet festinatò statim, quasi magna aut metuenda perferri.* Dicendo autem Cyprianus id non debuisse *festinatò statim, quasi magna aut metuenda perferri*; nonne clarissimè docet, res magnas & difficiles ad ejus notitiam festinatò referri debere. lib. 1. Epist. 3.

4. Rationem hujus fundat in eo, ad eundem Cornelium iteratò scribens; quòd sola Romana Ecclesia, matrix sit & radix unitatis Catholicæ, vinculum autem Sacerdotalis collegij, & velut visibilis unitas Ecclesiæ militantis Romanus Pontifex. *Nos* (inquit) *singulis navigantibus, nè cum scandalo ullo navigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent ac tenerent.* Et inferiùs: *Placuit ut per Episcopos retentâ à nobis veritate, ad comprobandam ordinationem Tuam, factam auctoritate majore: Tum demum scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omninò in Provincia ista literæ fierent, sicut fiunt, ut Te universæ Collegæ nostri, & communionem Tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ unitatem, pariter & charitatem probarent firmiter & tenerent.* Ea ex causa, in causa quoq; Martiani Episcopi Arelatensis, ad Stephanum recurrit, de quo fusiùs inferiùs. Nunc ad Synodum Cypriani redeamus. lib. 4. Epist. 8.

5. Licet in dicta Synodo Africana, omnia contra Stephanum agitata, ea tamen cum modestia se gesserat Cyprianus, ut nullo modo leges condere, aut Christiano orbi observandas statuere videretur, hæc in fine Synodicæ ad Stephanum, addit: *Quâ in re nec nos vim alicui fecimus, aut legem damus.* Et S. Hieronymus de eadem Synodo: *Sciant* (inquit) *illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi voluerant edidisse, siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contrajerant, sed* adversus Lucifer.

hortatum potiùs fuisse contra Novatum: sermonem deniq; suum, quem super hac re ad Stephanum Roman. Pontificem habuit, tali fine complevit; Hæc ad conscientiam Tuam Frater Charissime. Mirùm sanè, quod gloriosus Martyr, paulò ante, scriptis ad Pompejum, erroris Stephanum arguebat, & in sua Synodo, nec in apice eum tangere ausus fuerat: Imò quàm mitiùs egerat in secunda Synodo Carthaginensi post commonitionem Stephani, ex verbis ipsius Cypriani colligitur. *Superest* (inquit) *ut de hac*

habent. apud August. lib. 6. de Bapt. con. Donat. c. 6. *ipsa re, singuli quid sentiamus proferamus, neminem condemnantes, aut à jure communi aliquem si diversum senserit amoventes. Neq; enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit.* Hæc nimirùm ideo alludit; quòd Stephanus decretum aliud edidisset, cui more majorum præfigi soleret titulus ille *Episcopus Episcoporum* summâ Pontificiâ auctoritate, & quòd aliter sentientibus, excommunicationis pœnam fuisset acriter comminatus. Credidit igitur Cyprianus, non fuisse juris sui, aut Concilij, independenter à Pontifice articulos condere, aut leges populo Christiano tradere observandas.

6. Clero quoq; Romano, vacante sede, supremam recognovit auctoritatem Cyprianus, comprimendi & còércendi ubiq; terrarum temerarios, illiq; soli rationem reddidit. Vitâ functo Cornelio Pont., Romanus Clerus, Carthaginensem graviùs commonuit, pœnitentes non esse arcendos ab Ecclesiasticis præsidijs, Cyprianum adhortando de transmittendis eorum literis ad omnes Africæ Ecclesias, ut fortes & immobiles in fide permanerent: Placeat audire responsum Cypriani.

lib. 3. Epist. 5. *Quoniam* (inquit) *comperi Fratres Charissimi, minùs simpliciter, & minùs fideliter vobis renunciari, quæ hic à nobis gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi, has ad vos literas facere, quibus actus nostri, & disciplinæ, ac diligentiæ rátio redderetur.* ac statim rationem reddit, quomodo Episcopatum

tum suum per literas administraverit; demùm subdit: *Cùm præterea vestra scripta legissem, quæ ad Clerum Nostrum per Crementium hyppodiaconum nuper feceratis, ut ijs qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communionem desiderarent, subveniretur, standum putavi, & cum vestra sententia, nè actus noster, qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet.*

7. Secundò Cyprianus ad Clerum Romanum scribit in hunc modum: *Post factas ad vos literas Fratres Charissimi, quibus actus noster expositus & disciplinæ, ac diligentiæ, quantulacunq; ratio declarata est, aliud accessit, quod nec ipsum latere vos debuit.* Mox rationem de singulis ferè rebus, quæ in ipsius Ecclesia gestæ erant; acuratè reddit, docetq; se Romani Cleri auctoritate adjutum. Tertiò, eundem Rom. Clerum sic alloquitur: *Et dilectio communis, & ratio exposcit Fratres Charissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his, quæ apud nos geruntur.* Non credo ego majorem auctoritatem Cleri Romani, in comprimenda populi temeritate, & attendendis Episcoporum rationibus judicio Cypriani extitisse, quàm summi Præsulis & Pastoris, Ecclesiam Universam non minùs, quàm Romanam gubernantis.

8. De Episcopis Africanis, & Orientalibus, opinionem Cypriani abnegantibus, & in Stephani sententiam uniformiter euntibus, testatur Augustinus contra Vincentium Donatistam scribens: *Multos jam Catholicos manifestos habemus damnantes &c.* Et lib. 3. contra Cresconium cap. 1, 2, & 3. Hieronymus contra Lucifer. citatus: *Deniq; illi ipsi Episcopi, qui rebaptisandos hæreticos cum eo statuerant, novum emisère decretum.*

9. Iconenses Episcopos à Stephano eam ob rem communione privatos, ab eodem, per Dyonisium Alexandrinum veniam postulasse, refert idem Dyonisius apud Euseb. „ Stephanus (inquit) antea scripserat E- lib. 7. cap. 4.

K 2 pisto-

„ pistolam, de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Epi-
„ scopis, qui erant in Cilicia, & Cappadocia & Galatia, &
„ ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quòd neq;
„ cum illis quidem ob eam causam omninò communicare
„ vellet; nam illi inquit hæreticos rebaptisant. Atq; ut
„ pro his omnibus Episcopis illum deprecarer epistolam
„ scripsi. „ Nec obstat, quòd ibi Eusebius de Hæresi No-
vatianorum mentionem faciat, cùm ille opinionem de rebaptisatione, pravitatem seu hæresim appellet Novatiani, ut superiùs dictum est. Constat quoq; ex Epistola, quæ tota de rebaptisatione est, mentem Dyonisij esse, Episcopos à sententia Cypriani fuisse aversos.

10. Id ipsum eruitur ex ejus literis, ad Xystum Stephani successorem, de cujusdam rebaptisatione directis, in quibus exponit casum, & Pontificem consulit.

apud Euseb. lib. 7. cap. 8.

„ „ Quædam (inquit) causa ad me delata est, in qua ve-
„ ritus nè per errorem labar, consilium quæro, Tuamq;
„ vehementer exposco sententiam. Frater quidam ex no-
„ stro Conventu, communioneq; fidelis judicatus; venit
„ ad me lugens, & graviter suam vicem deplorans, se ad
„ pedes meos abijcit, ex animo confitetur, ut sanctè de-
„ ferat baptisma, quo erat apud hæreticos tinctus: Et
„ propterea obtestatus est, ut hâc purissimâ lavacri purga-
„ tione, verâ susceptione in Ecclesiam potiretur, quod
„ planè ego non audebam præstare: ejus baptisma non
„ audebam de integro renovare, sed bono animo esse ju-
„ bebam. „

11. Non ausus est Dyonisius hominem baptisma postulantem, iterum baptisare, sed de re, literis Xystum consulit, quòd certè minimè fecisset, nisi priùs in sententiam Stephani, cum Episcopis pro quibus intercesserat, pedibus ivisset. Tam clarissimis exemplis moveor cum Augustino, Cyprianum defacto errorem suum correxisse, & in sententiam Stephani cum alijs venisse,

niſſe, etſi correctus in terminis expreſſis non invenia-tur. Legatur diligentiùs liber ab eo conditus *De unitate Catholicæ Eccleſiæ*, & videbitur quàm ardentiſſimè auctoritatem Pontificiam pro unitate ſervanda Eccleſiæ propugnaverit.

PARAGRAPHVS III.

Textus Auguſtini in argumento poſiti, genuinè exponuntur, & Adverſario reſpondetur.

I. SAtis arbitror ex antecedentibus non obſcurè colligi poſſe, qui nam fuerit Auguſtini ſenſus pro parte Cypriani, quandoquidem eum: non Angelicâ perfectione, ſed humanâ tentatione aliter ſenſiſſe, quàm res haberet, & veritas poſtularet, paſſim confiteatur; ut paragrapho primo apertum eſt. Porrò inveſtigandum, quid de ſententia Stephani auctoritate Apoſtolicâ promulgata ſenſerit Auguſtinus, quò intelligerent omnes, quàm peſtilentes hi ſint conſiliarij, qui idiotis perſvadere volunt hominibus, judicio Romani Pont. licitè & liberè refragari poſſe, eo nomine; quaſi Auguſtinus idipſum in Cypriano laudaverit, vel licitè eum egiſſe aſſeruerit. Cùm certùm ſit, omnia moviſſe Auguſtinum, pro tuenda auctoritate, & ſententia Stephani, ut pertinaciam reprimeret Donatiſtarum, Cypriani dogma propugnantium, contra quos ferventiùs dimicando libros ſcripſit ſeptem; contra Creſconium quatuor; contra Petilianum de unico Bapt: unum; omnibus illis, doctrinam Stephani ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam, probat; contrariam declarat erroneam.

2. Lib. 1 contra Donat. validis rationibus firmans baptiſmi hæreticorum validitatem, ſubdit: *Quibus* Cap. 1.

 verbis

verbis ostenditur, & ipsos impiè facere, qui rebaptisare conantur, & nos rectè facere, qui Dei Sacramenta improbare, nec in ipso schismate audemus. Sententiam quippè Stephani dicit ab Apostolis traxisse originem, & jam antea in Ecclesia Catholica usitatam, ideoq; meritò ab omnibus amplectendam, etsi nullis Conciliorum Canonibus circumscriptam: *Quam consvetudinem* (inquit) *credo ex Apostolica traditione venientem sicut multa non inveniuntur in literis, eorum neq; in Concilijs posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata cernuntur: Hanc ergo saluberrimam consvetudinem, per Agripinum prædecessorem suum, dicit Cyprianus, quasi cæpisse corrigi: sed veriùs creditur, per Agripinum corrumpi cæpisse, non corrigi.* Si per Agripinum corruptam, utiq; auctoritate Stephani probat fuisse reparatam. Hoc ipsum expressit lib. 5. *Consvetudo illa quæ opponebatur Cypriano* (à Pont. Stephano) *ab eorum (Apostolorum) traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ Vniversa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Quamquam igitur Stephanus consvetudinem opponeret Cypriano *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, amplectendam, nihilominùs ab omnibus, & credendam oportuisse, ratione demonstrat Augustinus; sicut sunt multa, quæ auctoritate Pontificiâ evulgata, ut Apostolorum præcepta ab Universa Ecclesia benè creduntur, quamquam in scriptura non reperiantur.

Ibi. 2. cap. 7. contra Donat.

de Bapt. cont. Donat. cap. 23.

3. Contra Cresconium pugnans S. Doctor, ad Apostolicæ Cathedræ, atq; ejus Præsidis recurrit auctoritatem, probatq; Orientales Episcopos errorem suum ejurasse, & in judicium Stephani convenisse, ex eo, quòd multa millia Episcoporum, ejusdem cum Pontifice sententiæ fuerint. *Proinde* (inquit) *si omninò jam credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum,*

lib. 3. cont. Cresc. cap. 3.

quod

quod septuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potiùs etiam ipsos paucos orientales, suum judicium correxisse dicamus, non ut loqueris rescidisse? sicut enim laudabile est, à vera sententia (Stephani) *non moveri, ita culpabile persistere in falsa.* Cur tot millia Episcoporum, ipsiq; Africani, adhærerent potiùs Stephano, quàm Carthaginensis Concilij sanctioni? nisi quòd jam universus orbis didicerat, solius Petri Cathedræ auctoritatis & officij esse, leges præscribere, & totam ad eas observandas obligare Ecclesiam, Concilij sine Pontifice nequaquam? Id apertè confessus est Augustinus cum Donatistis disputans: *Vnde* (inquit) *Cyprianus, & qui cum eo senserunt, Catholicæ Ecclesiæ, quam noluerunt præcidere, non potuerunt præscribere: quod autem aliter sapuerunt, non expavescimus, quia cum eis veneramur & Petrum; quod autem ab unitate non recesserunt, gaudemus; quia cum eis ædificamur in Petra.* Vult dicere S. Doctor, ideo Cyprianum cum sua Synodo, nihil firmi, validi, condere, aut Ecclesiæ præscribere potuisse, quia illis anteponendus Petrus, qui in suis quoq; vivit successoribus, præstatq; quærentibus fidei veritatem, à quo omnes sinè discrimine, religionis Catholicæ, ac salutaris doctrinæ percipiunt pabula, *quia cum eis ædificamur in Petra.* lib. 7. cap. ult.

4. Confutans continuò insanos Donatistas Augustinus, in præjudicium Sedis Apostolicæ, & unitatis Ecclesiæ direptionem, Cypriani factum, & ejus Concilium unicè allegantes, fundamentum eorum explodit ratione; auctoritatem, literas, sententiam, & Concilium ejus, non pro excitando aut fovendo schismate assumi, sed exemplum illius, pro unitate & pace Ecclesiæ debere retineri: *Quid ad hæc dicitis vos?* (inquit) *certè nobis objcere soletis, Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium; cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate* lib. 2 cont. Donat. ca. 3.

smate assumitis? & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis. Quod autem exemplum Cyprianus præbuerit, declarat S. Pater, parùm inferiùs: *Quapropter S. Cyprianus, tantò excellentior, quantò humilior, qui documentum Petri sic amavit, ut diceret documentum.* Intelligit S. Martyrem cum Sede Apostolica propter Petrum, qui per Stephanum locutus est, in communione & unitate permansisse, & judicium ejus recognovisse. Hoc clariùs explicavit lib. 4 jam relato superiùs: *Non malevola tentatione aliter sapiens &c. in communione unitatis permansit &c. dicens neminem judicantes &c. neq; enim quisquam Episcoporum se Episcopum constituit.* Quæ verba, ultra centies repetit Augustinus adversùs Donatistas, ad demonstrandum, S. Martyrem post perceptas graviores à Stephano literas, nihil de cætero in præjudicium Apostolicæ Sedis machinatum fuisse. *Nonne* (inquit) *admonet nos Cyprianus, ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem:* quam non nisi in Cathedra Petri requirendam, confitetur septima Synodus Actione 2da. Hoc igitur Cypriani exemplum proponit Augustinus, ut eò uberiùs omnes discerent, quanto studio schismatis sacrilegium fugere, & Sacram Sedem oporteat revereri.

ibid.

lib. 5 cont. Donat. ca. 26.

5. Invehens vehementiùs contra Cresconium S. Pater literas Cypriani ad Jubajanum sibi mordicus injicientem, terminis respondet brevibus, sed efficacibus. *Ego* (inquit) *hujus Epistolæ auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo.* & paulò post: *Non accipio inquam quod de rebaptisandis hæreticis & schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc non accipit Ecclesia.* Ecclesiam autem ideo non recepisse Cypriani & Concilij Carthaginensis dogma; quia contrarium ex traditione Apostolica, Stephanus edixerat, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est,* ut ipse Augustinus testatus est: *Consvetudo illa quæ opponebatur Cypriano,* (à Stephano) *ab Apostolorum tradi-*

lib. 2 cont. Cresc. cap. 32.

traditione exordium sumpsisse credenda est, quem tot millia Episcoporum sinè hæsitatione sequuti, antequam quicquam de Concilio Plenario ageretur.

6. Tandem concludit S. Doctor fundamentum improbando Donatistarum, contra Sedem Apostolicam conspirantium, & solùm Cypriani factum afferentium: *Vos autem qui scripta Cypriani, nobis tamquam firmamenta Canonicæ auctoritatis opponitis, quidquid de Cypriano contra vos proferre potuerimus, necesse est cedatis, & justum est ut victi maneatis.* Rationem affert conclusionis; Quia *hæc consvetudo Ecclesiæ* (à Stephano videlicet evulgata) *fuit ante Concilium Cypriani, hæc superari & auferri non potuit, nec Concilo Cypriani.* Disertissimè igitur fatetur Augustinus, Stephanum veritatem ab Apostolis traditam docuisse, Cyprianum verò cum suo Concilio contra stimulum egisse. Legatur liber 3. contra Donat. 6tus, 7mus, à Capite usq; ad calcem, quàm ardentissimè ibi agat Stephani partes, Concilium Carthaginense totis viribus expugnando, recensitis singulorum Episcoporum Nominibus, & sententijs, errorisq; redarguendo universos. ibid. in fine.

7. Nec illud prætermittendum sanè stupore dignum, quòd cùm ijdem Donatistæ Cypriani sententiam contra Stephanum defensarent, in ipsum tamen Stephanum ob eminentem judicij cum sanctitate conjunctam auctoritatem, ne mutire quidem ausi sunt, imò & laudare compulsi: Quamobrem hæc itidem miratus Augustinus, agens adversùs Principem eorum Petilianum, hæc scribit: *Sed volo solvat mihi ille quæstionem, quandoquidem Romanæ Ecclesiæ per ordinem commemorans Episcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos Episcopatum illibatè gessisse confessus est. Cùm ergo Stephanus non solùm non rebaptisaret hæreticos, verùm etiam hæc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani literæ ostendunt, tamen cum eo* De unic. Bap. cont. Petil. cap. 14.

Cyprianus in unitatis pace permansit. Quid hinc dicturi sunt? excutiant ingenia sua, quantùm possunt, & utrum valeant respondere considerent. Hæc Pater Sanctissimus; quem audis, ut uno dicat verbo, qualem auctoritatem Stephanus in Ecclesia gesserit, ipsis annuentibus hæreticis? & qualem ipse in illo recognoverit? quomodò demùm Cyprianus in pace & unitate permanserit? quamquam pro humana conditione aliquid primo impetu contra Stephanum attentare præsumpserit.

8. Hic sistat parum Adversarius, præoccupatâ mente Augustini utens patrocinio: si is esset, quem opponit, S. Doctoris sensus, quomodò stare poterit cum tot clarissimis auctoritatibus, S. Martyris culpam hac in controversia, & Stephani veritatem cum auctoritate demonstrantibus? aut cur tot Episcopos Carthagine congregatos tam acriter perstringeret, sententias omniũ improbando, & totum eorum Concilium erroris arguendo? si nedum Oecumenici Concilij auctoritate res fuerat eliquata. Cur demùm tantis laudibus Stephanum extolleret? doctrinam ejus Apostolicam affirmando, si nullum ei jus decidendi, & finaliter terminandi controversias intelligeret? Impostor esset Augustinus si de uno extremo contradictorio ad aliud transiliret. Non inficior quandoq; in suis libris ita intricatas reperiri sententias, ut primâ fronte ad invicem pugnare, & sibi quasi contradicere videantur, verùm perpendendi sunt antecedentes & subsequentes textus, ut genuinus S. Doctoris sensus expiscetur.

9. Duo igitur A. A. affert S. Doctoris loca, quæ specie tenus videntur asserto suo fauorabilia. Primum *ex lib.* 1. *de Bapt. cont. Donat. Cap.* 18. ubi dicit (inquit Adversarius) *Potuisse alios aliud de illa quæstione salvâ pace*
Responsio ad 1. *sentire, donec aliquid universali Concilio eliquatũ &c.* Non approbat S. Doctor, ut eum in Capite argumenti corrupit

Adver-

Adversarius, non enim dicit Augustinus. *Potuisse alios aliud salvâ pace sentire* sed *si* (inquit) *alij aliud sentirent donec Vniversali Concilio eliquatum esset, potuit humanæ infirmitatis errorem eorum, cooperire Charitas Vnitatis.* Ubi advertat Lector, opinionem illorum semper erroneam appellasse. Quod autem dicit: si alij aliud sentirent, donec Universali Concilio eliquatum esset; loquitur de foro conscientiæ Africanorum Stephani sententiæ refragantium, quod absq; hæreseos crimine in opinione sua hæsisse potuerunt, quia tunc à Pontifice simpliciter tantùm fuerat prohibita *Nihil innovetur nisi quod traditum est*; non autem peremptorio Decreto terminata, quia tumtemporis necdum à Stephano promulgata fuit Ecclesiæ sententia contraria, ut ut credenda fide Divinâ sub anathemate, quod Pontificijs diplomatibus, & Conciliorum antiquorum sanctionibus, fidem concernentibus, & Ecclesiam universam obligantibus, adnecti in usu erat semper, & hodie solitum est, licet tractu temporis fuerit opinio illa postea damnata, ut ex superiùs dictis colligitur. Cur autem Concilij Universalis mentionem faciat Augustinus? non Pontificis? cur non addidit? Donec pleniori Pontificis sententiâ terminatum esset; *sed donec Vniversali Concilio eliquatum esset*, loquitur in sententia quorundam Africanorum in Controversijs ad Concilia recurrentium, ut ex eodem Augustino inferiùs demonstrabitur.

10. Altera Adverf. Oppositio est. *ex Cap.* 15. *ejusdem lib.* ubi hæc legit S. Doctor. *Quæstio quæ nondum finita erat, Cyprianum non deterruit, vos finita ut redeatis invitat.* ,, quibus (inquit) verbis supponit Augustinus, ,, controversiam de Baptismo, quamquam à Pontifice discussam, non planè finitam diu potuisse, ut Cyprianum ,, deterreret ab ea defendenda. ,, Verùm esset commentum Adverf. si nobis patefaceret, Augustinum ex mente pro-

te propria affirmasse, prædictam controversiam, quamquam à Stephano discussam & promulgatam, finitam tamen non fuisse, sed deficiet oppositio, si antecedentia & consequentia S. Doctoris considerentur.

Responsio ad 2. 11. Duplex illius temporis distingvit hominum genus Augustinus: Alterum ad solam consvetudinem Ecclesiæ, & traditionem Apostolicam auctoritate Pontificis Romani divulgatam provocantium, ut ipse disertè testatur lib. 2. contra Donatist. Cap. 9. *De hac re transmarinum, vel Vniversale Concilium nondum factum erat, quia consvetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur* (à Stephano) *inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Alterum, non ad traditionem Apostolicam, sed ad Concilium Generale recurrentium, de quibus ibidem subdit: *Postea tamen dum inter multos ex utraq; parte tractatur & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad Plenarij Concilij auctoritatem, roburq; perducta.* Primi generis, erant Universi Orbis Episcopi, qui in sententiam Stephani, tamquam Apostolicam traditionem convenerunt, ut ex eodem Augustino ostensum superiùs. Secundi generis, erat primus Agripinus, postea Cyprianus cum aliquibus Africanis Præsulibus. De Posteriori ergò loquitur S. Pater, *Quæstio quæ nondum finita* (à Cypriano & alijs credebatur) *Cyprianum non deterruit*, quia existimabat ille, cum suis adhærentibus, controversiam fidei, non nisi Concilij Oecumenici auctoritate dirimi posse. Sed utrum licitè Cyprianus cùm Africanis ad Concilium Generale à Stephano provocaverit, de hoc nobis cum Adverſ. quæstio: Id negat & pernegat Augustinus, errorem videlicet passim imputando septuaginta Africanis, Stephani sententiæ obsistentibus, ut tot auctoritatibus ejusdem Augustini superiùs evictum.

12.

12. Præterea Episcopos primi generis comparat frumento; Posteriores zyzaniæ, quæ licèt fuerat cognita, pro pace tamen Ecclesiæ tolerata. *Ex lib. 5. cont. Donat. Cap.* 25. Eos, qui hanc legem contra Stephanum tenuerunt, in plura frusta concisos dicit. Tandem frustra Cypriani partes ageret *lib. 6. Cap.* 5. Affirmans S. Martyrem nusquam in contraria opinione permansisse, si non plures consentientes sibi Episcopos habuisset; immeritò inquam hoc pacto excusaretur, si licitè contra Stephanum operari intelligeretur. Hic ergò germanus S. Doctoris sensus, auctoritatem supremæ Sedis Apostolicæ, ab omni impetu vindicare, & diffidentes validissimis compescere argumentis. lib. 2. cont. Crescon. c. 35. & lib. 3. cap. 66.

13. Nec obstat (quod sæpiùs citatis lib. innuit Augustinus) Controversiam istam, iterum declaratam & definitam fuisse in Concilio Plenario Arelatensi (tametsi multi antiquissimi illud Nationale non Generale doceant, quod multùm ad rem nostram) Generalis namq; Concilij palmare officium est, Dogmaticas Romani Pontificis sanctiones, omni cum reverentia acceptare, unanimi omnium Episcoporum suffragio comprobare, recalcitrantes Christi Vicario cöercere, quod in dicto Arelaten. Concilio factum novimus cum Donatistis. „ Quis ergo universi negotij exitus? (inquit „ Lyrenensis) utiq; nisi usitatus & solitus: retenta est scilicet „ antiquitas, & explosa novitas. Postremò ipsius „ Africani Concilij quæ vires? donante Deo nullæ, sed „ universa tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam „ superflua, abolita, antiquata, calcata sunt; „ hæc ille: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani* (ad schismatis renovationem) *sed tenete nobiscum exemplum Cypriani, ad unitatis conservationem.* August. Cont. hære. cap. 9. lib. 2. cont. Donat. ca. 3.

PARAGRAPHVS IV.

S. Cyprianus auctor fuit Stephano Pontifici, ut in Ecclesiam Gallicanam, auctoritatis supremæ jurisdictionem exerceret.

I. NOn leve in Codicibus Cypriani comperio argumentum, quo ostenditur luculentissimè, Pontificem Romanum cum Ecclesia Gallicana jure suo egisse, imò defacto eodem Auctore, jurisdictionis potestate tunc quoq; usum fuisse, ex occasione hæresis Novatianæ in Gallijs jam tunc radicatæ, cujus Promotor & fautor Martianus Episcopus Arelatensis extiterat. Galliarum Episcopi, & præcipuè Faustinus Lugdunensium Præsul, ad Stephanum tunc Romanum Pont. contra Martianum scripserunt Epistolam, dederuntq; ejusdem argumenti aliam ad Cyprianum, quem scirent adversûs Hæreticos tunc præsertim Novatianos strenuè laborasse. His permotus literis Cyprianus, quod nosset, deponere Metropolitanum Episcopũ juris esse Principis omnium Episcoporum Romani Pontificis, ad Stephanum scribit, eum solicitans, ut in Gallijs consistenti consulens Ecclesiæ, Martianum Episcopatu privaret, & alium Catholicæ religionis Præsulem subrogandum curaret: En Epist. sua notatu digna.

habetur lib. 3. Epist. 13.

„ 2. Cyprianus Stephano Fratri salutem. Faustinus collega noster Lugduni consistens F. C. semel atq; iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utiq; nunciata, tam ab eo, quàm cæteris Coëpiscopis nostris in Provincia constitutis quod Martianus Arelate consistens Novatiano se conjunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ unitate, atq; à corporis nostri, & Sacerdotij consensione disjunxerit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem: Quapropter facere te oportet plenis-

plenissimas literas ad Còépiscopos nostros in Gallia con- „
stitutos, ne ultra Martianum pervicacem, & superbum, „
& Divinæ pietatis, ac fraternæ salutis inimicum, colle- „
gio nostro insultare patiantur. „ Et paulò post: „ Diri- „
gantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consisten- „
tem à Te literæ, quibus abstento Martiano, alius in lo- „
cum ejus substituatur, & grex Christi, qui ab eo in ho- „
diernum dissipatus, & vulneratus contemnitur, colli- „
gatur. „ Quòd proprium est Romano Pont. ostendit „
Cyprianus, ab eo implorat auxilium, & requirit offi-
cium.

3. Deinde prosequitur: „ Martianus non dicat, ”
sed accipiat, nec sic agat, quasi ipse judicaverit de col- ”
legio Sacerdotum, quando ipse sit de Universis Sacer- ”
dotibus judicatus. Servandus est enim Antecessorum ”
BB. Martyrum Cornelij & Lucij honor gloriosus, quo- ”
rum memoriam cùm nos honoremus, multò magis Tu ”
Frater Char. honorare & servare, gravitate & auctori- ”
tate Tuâ debes, qui Vicarius & Successor eorum factus ”
es: ubi enim pleni Spiritu Dei, & in glorioso Martyrio ”
constituti, dandam esse lapsis pacem consveverunt, & ”
pœnitentiâ actâ fructum communicationis & pacis non ”
negandum esse, literis suis signaverunt, quam rem o- ”
mnes omninò ubiq; censuimus. Neq; enim poterat ”
esse apud nos sensus diversus, in quibus unus esset spiri- ”
tus. Significabis planè nobis, quis in locum Martiani ”
Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres ”
nostros dirigere, & cui scribere debeamus. Hæc Cy- ”
prianus Stephano. Quot verba; tot pro summa aucto-
ritate illius testimonia, dum in ea suam quisq; & in
communi omnes Antistites suam ipsorum potestatem
limitibus coarctatam, & à Stephano dependentem in-
tellexere; quandoquidem Gallicani Præsules, haud tan-
tùm virium ac facultatis inesse sibi cognoscerent, ut u-
num

num Episcopum hæreticum deponerent, & alium subrogarent, sed tum illi, tum Cyprianus, ad id peragendum Romani Pontificis appellarent auctoritatem, quâ Martianus deturbaretur è sede, & alius Catholicus in locum ejus substitueretur Episcopus.

4. Nec est quod dicas, id ipsum quoq; Cypriano ab Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis nunciatum: nam ut hoc non negaverim, sic manifestum est, Cypriano eam rem ob id fuisse communicatam, ut is Pontificem Rom. ad Martiani excommunicationem & depositionem incitaret. Ad multos quidem & Cyprianus literas dedit Episcopos, sed nunquam ita cum ullis alijs, ut cum Stephano & Clero Romano egit, nunquam ulli tam accuratam rationem rerum à se gestarum reddidit, ut superiùs declaratum, nec ullam Ecclesiam ut Principalem, vel ut Petri Cathedram salutavit.

5. Jam verò nec illud otiosum est, quod Cyprianus in Episcopos Galliæ, Stephanum excitando, Cornelij & Lucij mentionem facit, *servandus est Antecessorum BB. Martyrum Cornelij & Lucij gloriosus honor, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis Tu qui Vicarius & Successor eorum factus es.* Noverat inquam S. Martyr Beatos illos Pontifices auctoritatem suam in diversas licèt longinquas Ecclesias jam ante exercuisse: Cornelium, ex Antiochena Ecclesia Novatum dejecisse, & alium misisse, de quo Euseb. (lib. 6. cap. 13.) Lucium, in Gallijs Ecclesiæ Turonicæ, Gratianum Antistitem præfecisse. Non solùm igitur delinquentes Episcopos, tam in diversis Provincijs, quàm etiam in Gallijs deponere potuit Romanus Pontifex, verùm etiam alios mittere, qui in depositorum loca succederent. Quibus satis clarè cernitur, & à Cypriano, & ab Episcopis Gallicanis cognitam fuisse illo sæculo supremam auctoritatem Romani Pont. Videatur præterea Epistola Cypriani, ad Lucium Pontificem

cem scripta, lectu certè digna, quàm ibi orthodoxè auctoritatem ejus profiteatur, & devotissimè ut Principem Ecclesiæ revereatur. Et hæc de Controversia Cypriani.



EX CONTROVERSIA IV. SÆCVLI

Quæ inter Cecilianum Carthaginensem Episcopum viguit, & Donatistas.

OPPOSITIO IV. Auctoris Anonymi.

Accusabant (inquit) Donatistæ, ordinationem Ceciliani, quasi à traditoribus scripturarum sacrarum „ peracta esset. Absolutus fuit Cecilianus à Roma- „ na Synodo, Præside Melchiade Romano Pont. damna- „ tiq; fuerant Donatistæ; non cessarunt tamen à schisma- „ te & insectatione Ceciliani, dicentes: (quod improbis „ litigatoribus commune est) se malos judices fuisse per- „ pessos; *contigerit illud ita* (inquit Augustinus) *ut malè judi-* „ *cati & condemnati sint Donatistæ, restabat adhuc Plenarium* „ *totius orbis Concilium, ubi cum ipsis etiam judicibus causa posset* „ *agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ sol-* „ *verentur.* Sed in his verbis supponit Augustinus Sum- „ mum Pontificem potuisse in Concilio suo malè judica- „ re, illiusq; sententiam meritò rescindi potuisse. Supre- „ mum igitur tribunal, in quo possint & debeant exortæ „ dirimi Controversiæ, non est judicium Pontificis, sed „ judicium Ecclesiæ Universalis, & in Concilio Plenario „ congregatæ. „ hæc Auctor Anonymus.

CAPUT

CAPUT IV.

Ex Controversia Ceciliani, & Donatistarum, luculenter evincitur suprema Sedis Apostolicæ in decidendis causis potestas, idq; ex Augustino, Imperatore Constantino, & Ecclesiæ Gallicanæ Arelatensi Concilio; & auctoritatibus allatis satisfit.

I. MIror quomodo Augustinum tantis machinis suas in partes trahere audeat, A. A. textus illius corrumpendo, vel multa ex ijs resecando, & calvas opiniones eidem affricando, de quibus nusquam S. Doctor cogitaverat; siquidem ex innumeris ejus auctoritatibus, luce clariùs liqueat, judicium Melchiadis supremum & irreformabile fuisse nuncupatum; perversos autem & improbos Donatistas, quia impiè & illigitimè à Sede Apostolica ad aliud tribunal provocarunt. Dabo inferiùs S. Doctoris textus, causam controversiæ hujus, pro rei claritate primò expositurus, ex Optato.

2. Hoc inter Donatistas, & Cecilianum, atq; Melchiadem Pont. schisma, confusæ cujusdam mulieris Lucillæ nomine factiosissimæ & potentissimæ iracundia peperit: correpta sæpiùs à Ceciliano Carthaginen: Episcopo, quod ante sumptionem S. Eucharistiæ, os cujusdam hominis mortui asserti Martyris, sed nondum vindicati, libare diceretur, inde multum in eum debachata est, commovitq; Tigisitanum Numidiæ Primatem maximum Donatistam, ut Ceciliano de Carthaginensi Ecclesia deturbato, alium Episcopum sufficeret, quod & factum suffragante Lucillâ, in deligendo Majorino suo domestico. At Universo Clero & populo contra Tigisitanum & Majorinum conspirante, pro retinen-

Optat. lib. 1. contra Parmen. & Aug. Ep. 162.

tinen-

tinendo Episcopo Ceciliano, Donatistæ navigaverunt in Gallias ad Constantinum, Cecilianum infamantes, & judicium ab eodem Imperatore requirentes; non admisit forum prudentissimus Imperator, pleno cum livore respondens: *Petitis à me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem.* Et ut clariùs August. *Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare*, sed eam discutiendam Pontifici summo Melchiadi delegavit, adjunctis tribus de Gallia Episcopis, & decem ex Italia.

Optat. ibid.

Epist. 166. & 162.

3. Extat apud Euseb. ejusdem Constantini ad Melchiadem Epistola, quâ profitetur, non nisi à Sede Romana judicium in causis Episcoporum expectari debere: „ Visum est mihi (inquit) ut idem Cecilianus „ cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, „ & decem alijs, quos ipse suæ litis dijudicationi necessa„ rios existimaverit, Romam navigio traijciat, ut ibi co„ ram Vobis possit audiri, sicut sanctissima DEI lex, uti „ nostis, postulat. „ En primum Constantini testimoniũ, qui licet tunc Catechumenus, judiciorumq; Ecclesiasticorum ordinem ignoraret, supremam nihilominùs in dirimendis controversijs auctoritatem in Apostolica Sede instinctu DEI recognovit; quippè Christi judicio se esse subjectum intelligens, indignum duxit, illorum, qui Christi vice fungerentur, judicium per se, vel per alios posse agitari, aut absq; primæ sedis Antistite pertractari, sed causam ad Melchiadem Pont. defert, sententiam juxta sanctissimas leges postulando.

lib. 10 Hist. cap. 5.

4. Romam advenientibus præfatis Episcopis, & coram Melchiade considentibus, causâ Ceciliani & Donati propositâ & discussâ, *Donatum* (inquit Augustinus) *damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, & Cecilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absolvit.* Temerarij Donatistæ à Melchiadis sententia, ad Constantinum iterum appellarunt. Sed quid ad eam appella-

cont. Julia. lib. 1. cap. 3.

tionem

tionem Imperator reposuerit? refert Optatus loco citato. *O rabida* (inquiebat) *furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Et post alias vehementissimas adversùs ejusmodi appellantium procaciam invectivas, de judicio Melchiadis synodaliter acto, subdit: *Dico enim ut se veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet, nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare; nisi quod Christi magisterio sunt edocti.*

5. Porrò ad Episcopos Catholicos scribens, sententiam Melchiadis cælestem vocat, ab ipso Salvatore Christo emanatam; Proditores autem, detractores, & officia diaboli, Donatistas, ad aliud tribunal appellatione interpositâ se conferentes. *Quicquid igitur* (inquit) *sentiunt maligni homines, officia diaboli? perquirunt sæcularia relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! Et quidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia deprehendi potest, magis ad majora judicia, auctoritate interpositâ, ad appellationem se conferre solitæ sunt. Quid hi detractores legis, qui renuentes Cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sensere de Christo Salvatore: ecce jam proditores, ecce sinè ulla acriori disquisitione, ipsi per semetipsos prodiderunt facinora sua. Quæ ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso Deo immanes prosilierunt.* Jam tertium Constantini testimonium, evincens Romanum Pontificem, non potuisse in suo Concilio malè judicare, nec sententiam illius rescindi debuisse.

in append. ad Optat. ex Biblioth. Pathæi.

6. Non multò post (importunè flagitantibus & prementibus Donatistis) cùm ad reconciliandas partes, idem Imperator duos magnæ auctoritatis & sanctitatis Episcopos Eunomium, & Olimpium, misisset Carthaginem, ut Majorino deposito, Ceciliano quoq; si fas esset de resignando officio pro pace Ecclesiæ suggererent, & alium Episcopum ordinarent; nihil contra sententiam

Melchiadis attentare ausi prædicti Antistites, sed judicio Pontificis, cum novem & decem Episcopis standum, aperto ore confessi sunt, in Italiamq; infectis rebus regressi. legitur hoc ipsum in Epist. Constantini ad Episcopos Donatistas data. Crediderunt ergò SS. Præsules supremum judicij subsellium, in sola Cathedra Apostolica sedem figere. Sed quid Ecclesia quoq; Universa de auctoritate Melchiadis senserit? referet Augustinus, quem solum opponit Adversarius.

in append. ad Optat. editio Parisien.

PARAGRAPHVS I.

Augustinus propugnat auctoritatem supremam Melchiadis, ex communi Universæ Ecclesiæ judicio.

I. FRustra Adversarius Augustini utitur patrocinio, quia iterum truncatum illius adducit textum; sed si liceret Ecclesiæ Patres ad hunc modum producere, quis illius sententiæ non subscribere videbitur? si mutare liceat, & ea quæ alicui adversantur, rescindere; quicquid aliquis voluerit, testimonijs Patrum facillimè statueret. Quæ autem ab Augustino resecuerit, cunctis erit dilucidum.

2. Sic enim primò habet S. Pater loco citato ab Adversario de Ceciliano scribens: *Carthago: non mediocris utiq; auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si Adversarij ejus, ab ipso illas Ecclesias alienare conarentur.* Fatetur ergo Augustinus, non solûm ante primum Concilium Generale, sed sem-

Epist. 162.

per in Cathedra Apostolica non solùm fuisse, sed etiam viguisse Ecclesiæ Principatum, supremam nimirùm auctoritatem, ad quam tamquam ad ubera matris Christianitatis universæ, omnium Episcoporum causæ, & querelæ ex remotissimis etiam Provincijs denunciarentur: eamq; ob causam Cecilianum cum Romano Pontifice; & cæteris communicantem, potuisse *non curare conspirantem multitudinem Donatistarum*, septuaginta videlicet Episcoporum Afrorum, qui eum in Concilio Carthagine condemnaverant, quia coram eo causam suam dicere paratus esset, auxilium & justitiam expetendo, *si Adversarij ejus ab eo, illas Ecclesias alienare conarentur.* Quis non videat, auctoritatem illam ex ore Augustini, supremam extitisse, aliàs Principatus iste Romanæ Ecclesiæ, ante Concilia Generalia in Orbe Catholico vigens, sinè Principali potestate ridiculus esset, nec unquam Cecilianus contra tot Episcopos ad Romanam Sedem juxta Augustinum confugere potuisset: satiùs dixisset S. Doctor, Cecilianum potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret omnibus Episcopis per communicatorias literas esse conjunctum, coram quibus generaliter congregatis paratus esset causam suam dicere. Nihil horum dicit Augustin. sed ad Sedis Apostolicæ recurrit Principatum, qui semper in Ecclesia viguit.

3. Hoc ipsum confirmat inferiùs de auctoritate Melchiadis disserens: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades cùm Collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris septuaginta, ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerit terminatum.* Cur tantam Melchiadi tribuit libertatem? quâ & potuit & debuit contra septuaginta Episcopos, Synodicum illud usurpare sibi judicium, nisi quia soli Romanæ Ecclesiæ, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*, hoc jure Divino com-

ead Epist. 162.

competit privilegium, suprema & universali in totam Ecclesiam, etiam congregatam, gaudere potestate, *ad quam omnes quasi ad Caput* (inquit gloriosus Pont. Marcellus) *juxta Apostolorum eorumq; Successorum sanctiones, Episcopi quibus necesse fuerit confugere debent: quia Episcoporum judicia, & summarum causarum negotia, cunctaq; dubia, Apostolicæ Sedis auctoritate peragenda sunt & finienda.* Quod autem auctoritate illâ non usus fuit Melchiades in convocandis motu proprio Episcopis, pro peragenda Ceciliani causa, subdit rationem: *Quid, quod nec ipse usurpavit? Rogátus quippè Imperator, judices misit Episcopos, qui cum illo sederent, & de tota illa causa quod justum videretur* (cum Melchiade) *statuerent: hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.* Quid luculentiùs his Augustini testimonijs pro jure Pontificiæ auctoritatis, & jurisdictionis?

Epist. ad Episcop. Antioch.

Epist. 162.

4. Prosequens continuò discursum S. Doctor, ad sententiam accedit Melchiadis cum deputatis ab Imperatore Episcopis factam, quam tamen non ijsdem Episcopis, sed soli tribuit Melchiadi. *Qualis* (inquit) *ipsius Beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm provida atq; pacifica, quâ neq; Collegas, in quibus nihil constiterat, ausus est de Collegio suo removere: & Donato solo, quem totius mali Principem invenerat, maximè culpato.* Donatistas verò ab eo appellantes vocat improbos, insanos, malos litigatores, *cum fuerint etiam manifestissimâ veritate separati: ac eorum improbitas* (judicio Melchiadis) *declarata est.* Si Pontificis sententiam ultimam, integram, innocentem, providam atq; pacificam deprædicat, ut quid ad Concilium Generale in favorem illorum recurreret, nisi sibimet apertè contradiceret, quod Augustino imponere, nihil est aliud dicere, quàm tantum Ecclesiæ Patrem, auctoritate velle exuere.

Ibid.

5. Recensens præterea laborem Melchiadis in recipien-

cipiendis ad Ecclesiam Donatistis, hæc scribit: *Sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere etiam ijs, quos à Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscunq; locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuerit ordinatus prior &c.* Quando Augustinus Melchiadem paratum dicit communicatorias literas mittere, Episcopis Donatistis, nonnè eo ipso confitetur, in manu solius Pontificis Rom. positum fuisse, ut Donatistæ non haberentur ampliùs pro hæreticis, idq; propter communicatorias à solo Pontifice literas. Non hoc privilegium tribuit Generali Concilio, sed soli Romanæ Ecclesiæ, quam verò ob causam? jam protulit rationem, quia in ea sola *Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*, quem qui servat, de cætero securus est, sicuti è contrario, qui excidit ab eo, per nullius communionem in Ecclesia esse poterit. Hæc sunt Augustini de Melchiade oracula, quæ si non dempsisset Adversarius, quid possit apparere veriùs? ibid.

6. Jam seqvuntur ejusdem S. Patris de Concilio Plenario verba, in titulo argumenti posita, licet ab Adversario aliqua permutata, recisa multa, ,, *Contigerit illud* (inquit) *ut malè judicati & condemnati fuerint Donatistæ* ,, *&c.* Non sic legit Augustinus, sed modo sequenti: *Ecce putemus* (inquit) *illos Episcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse, restabat adhuc Plenarium Ecclesiæ Vniversæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus, causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti fuissent, eorum sententiæ solverentur.* Non de judicio *Iuris* loquitur S. Doctor, sed *facti* ab informatione hominum dependentis (in cujus examine judices Ecclesiæ quandoq; decipi posse, ob mẽdacium & astutiam testium, ut inferiùs fusiùs declarabitur) ita ut sensus Augustini sit: dato, supposito, quòd causa Donatistarum Romæ ab Episcopis deputatis non benè examinata fuerit, utpotè quæ puri facti erat, ibid. circa medium. Responsio ad 1.

N restas-

restasse adhuc Plenarium universæ Ecclesiæ Concilium pro majori & diligentiori facti discussione; non quòd illud sit auctoritate potestatis Pontifice superius, ut optimè advertit Orthodoxus *Baarlamus* Episcopus Gyracensis ad suos in Græcia amicos: ,, *Non eo* (inquit) *quod sit*
Epist. 1. *majoris auctoritatis, & magis possit Generale Concilium, sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint, & majori indigent discussione.* ,,

7. Ad eundem modum dixisse omninò Augustinum, deducitur ex ejusdem Epistolæ immediatè antecedentibus verbis ab Adversario resectis: *Sed jam tamen* (inquit) *quasi haberent quod dicerent, malos judices esse per-*
Epist. 162. circa med. *pessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cùm fuerint etiam manifestissimâ veritate superati.* id est; & testibus, & rei evidentiâ convicti, quod *facti* negotium est; deinde prosequitur: *Quasi non ad hoc eis dici posset, & justissimè dici, ecce putemus, illos Episcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse, restabat adhuc Plenarium Universæ Ecclesiæ Concilium.* Id ex occasione dicit Donatistarum, Cecilianum coram Imperatore accusantium, (ut idem lib. de Unic: Bapt: commemorat) quód non planè fuerit Romæ causa discussa, eamq; ob causam subdit: *Restabat adhuc Plenarium Concilium*, id est præfati accusatores, qui causam proclamabant non ritè Romæ examinatam, debuissent expectare convocationem Plenarij Concilij, ubi præsente ipso Pontifice discussio melior fieret.

8. Quòd veró addit: *ut si malè judicati essent, illorum*
Responf. ad 2. *sententiæ solverentur*: non ita accipiendum, quòd auctoritate Concilij, tamquàm superioris judicij solverentur, cum ille hîc, & passim alibi confiteatur in sola Christi Cathedra Auctoritatis, potestatis, & judicij vigere Principatum: sed intelligendum, quòd illud fieret, auctoritate ipsius Pontificis, in Plenaria Synodo consulti meliùs & informati, cujus auctoritate ipsa Generalis Synodus

dus veniret congreganda. Nec ullum inde inconveniens esset, quòd suam ipse solveret sententiam in materia *facti*, diligentiori habito examine, quia tunc nullus esset error *Iuris*, sed *facti* duntaxat, ex mala informatione hominum proveniens. Quod pluribus evenisse Concilijs Generalibus ostendam inferiùs. Id accidisse quoq; Vigilio multi asserunt, qui malè informatus, tribus subscripsit Capitulis, quæ postea convocato Generali Concilio, & prævio maturiori examine, in, & extra Synodum eadem condemnavit. Simile quid scribit S. Gregorius, ut habetur in *Cap. si quis 2. qu. 7. Si quis* (inquit) *super his vos arguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere contendat, veniat ad Apostolicam Sedem, & ibi ante confessionem B. Petri mecum justè decertet, quatenùs ibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Ex quo constat, sententiam, si Pontificem ut judicem in facti quæstionibus decipi contigerit, non nisi auctoritate Apostolicâ ejusdem Pontificis ferendam esse. Cæterùm Melchiadem, in materia facti Ceciliani, & Donatistarum, non errasse, nec errare potuisse in materia juris, ostendit S. Doctor ejusdem Epistolæ verbis sequentibus, probationem à Donatistis exigendo, an in judicio eorum, Melchiades cum Episcopis malè judicaverit? vel judicare potuerit? *Quod utrum fecerint probent: Nos autem non factum esse, facilè probamus, quia totus orbis non eis communicat* (Donatistis nimirùm ob sententiam Melchiadis) *aut si factum est, etiam ibi victi sunt.* Quis non intelligit S. Doctorem infallibilitatem *Iuris* Sedis Apostolicæ propugnasse? si enim non benè judicati fuissent, certè victi non fuissent, victos tamen ibidem asserit, etiam *si factum est* quod Melchiades cum Collegis Episcopis tantisper in facti quæstione deceptus fuisset. Igitur contendit Augustinus ex utroq; capite, Donatistas à judicio Apostolico, ad aliud licitè ac legitimè provocare minimè potuisse. ibid.

9. Falluntur præterea, qui existimant Augustinum nomen Concilij Plenarij cum Generali & Oecumenico confundere, certùm enim est illum, per Concilium Plenarium, Arelatense primum intellexisse, in quo causa Donatistarum iterum peracta est, illud autem non Oecumenicum fuisse, consonum est inter omnes, licet fuerit Plenarium, quia ex 600 quasi totius orbis Episcopis conflatum, ut refert Ado Gallus Episc. Viennensis: quia non fuit auctoritate Pontificiâ generaliter indictum, sed jussu Imperatoris congregatum, & ante Nicænum celebratum, quod primi Concilij Generalis post tempora Apostolorum nomen sortitum est, ut ostendit Bail Sorbonicus, contra Syrmondum & Launojum. Præterea idem Augustinus Concilium Carthaginense 6tum, appellat Plenarium Epist. 47. ad Valent. quod tamen inter Generalia minimè numeratur. Ex quo sequitur, prædictum S. Doctoris textum *Restabat adhuc Plenarium Concilium &c.* (quid de Arelatensi intelligit) nihil agere contra nos, cùm ipsi fateantur Adversarij, à Sede Apostolica ad Provinciale *vel* Nationale, vel aliud non auctoritate Pontificiâ congregatū Concilium, appellari non posse.

In sum. 4ti sæculi.

10. Porrò Concilium illud Plenarium, de quo loquitur S. Doctor; ostendit hâc eâdem Epistolâ, fuisse auctoritate Melchiadis inferius, quia non ampliùs necessarium post controversiæ à Pontifice decisionem, sic enim habet inferiùs: *Dedit ille* (Imperator videlicet) *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omninò cupiens tantam impudentiam cohibere: neq; enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret.* Si Concilium illud Plenarium Arelatense (quod multi ex Gallis Generale contendunt)

Epist. 162. post med.

non

non jam necessarium fuisse asserit, eo ipso plenitudinē potestatis Melchiadi tribuit, non Plenario aut Generali Concilio. Videant ergò Adversarij, an illis Augustinus faveat, aut exemplum Donatistarum à Pontificis sententia ad aliud tribunal provocantium deserviat, quos ideò passim insanos vocat, & ab omnibus delusos in Concilio: *Ab omnibus* (inquit) *risi sunt, sed quia risus non poterat ab exceptoribus excipi, verbis suis apud acta risos se esse testati sunt.* Tandem concludit: *Objiciunt nobis crimina malorum hominum, non nostra sed aliena.* hucusq; Augustinus. Epist. 152.

PARAGRAPHVS II.

Ex eodem Concilio Arelatensi contra Donatistas habito, Gallicanæ fides declaratur Ecclesiæ, de inerrabili judicio Romani Pontificis, & absoluto in dirimendis controversiis iure.

I. NOn est quod nobis objiciant, auctoritatem Melchiadis fuisse diminutam, per iteratum in Concilio Arelatensi ejusdem examen controversiæ; cùm (ut modò declaratum ex Augustino) non ex rigore juris, & ut necessarium concessum erat Donatistis Arelatense judicium, sed tantùm ex indulgentia, ut hâc benignitate frangeretur Donatistarum pertinacia: sed datâ necessitate hujus Concilij, pro meliori videlicet causæ discussione, inde nullum auctoritati Apostolicæ præjudicium, quinimò gravissimum depromitur argumentum pro absoluto Romani Pont: jure; quoniam hæc ipsa Synodus subditam se esse confessa est in Epistola synodica ad Sylvestrum Melchiadis successorem data, juxta antiquum Ecclesiæ Catholicæ morem, ut quæ statueret, ipse auctoritate Apostolicâ roboraret. Legant

qni nedum compererunt dictam Epistolam, & videbitur, quàm concors fuerit illo sæculo Ecclesiæ Gallicanæ pietas, unanimis sensus, consonaq; confessio, de singulari Sedis Apostolicæ privilegio, in dirimendis subortis dubitationibus, discutiendis ac roborandis Conciliorum diffinitionibus.

ex biblioth. Pithæi edit. Parisien.

2. Dilectissimo Papæ Sylvestro, Marinus, Egregius, Cecilianus, Faustinus &c. in Domino æternam salutem. Communi copulâ charitatis & unitatis Matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensem Civitatem Pijssimi Imperatoris voluntate adducti, inde Te Religiosissime Papa cum merita reverentia salutamus, ubi graves ac perniciosos legi nostræ atq; traditioni, effrenatæ mentis homines pertulimus, quos & DEI nostri præsens auctoritas, & traditio, ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis, aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret, antiquum dicendi genus ideo judice Deo & Matre Ecclesiâ, quæ suos novit & comprobat, aut damnati sunt aut repulsi. Et utinam Frater Charissime ad hoc tantum spectaculum interesses, tanti fecisses profecto credimus, quia in eos severior fuisset sententia prolata; & te nobiscum judicante, cætus noster majori lætitia exultasset, sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sinè intermissione DEI gloriam testatur: non tamen hæc nobis sola visa sunt tractanda Frater Charissime, ad quæ fuimus invitati, sed hæc consulendum nobismetipsis censuimus, & quàm diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere: Placuit ergo præsente Spiritu Sancto, & Angelis ejus, ut & his qui singulos quos .... monebat, judicare proferemus de quiete præsente. Placuit etiam antequam edantur .... à Te, qui majores Diœceses tenes

per

per Te potissimùm omnibus insinuari. Quid autem sit „
quod censerimus, scripto nostræ mediocritatis subjun- „
ximus. „ Mox recensent omnia & singula, quæ in Sy- „
nodo acta & statuta sunt, ea judicio Apostolico sub-
mittendo.

3. Jam ostendant nobis Syrmondus cum Launoio Concilij hujus, (quod universale fuisse totis propugnant viribus) supremæ jurisdictionis vestigium. In eonè illius elucet superioritas? quod acta sua referant ad Apostolicam Sedem, rationes omnium quæ facta sunt eidem expendendo, & robur à Cathedra illa expectando? *in qua Apostoli quotidiè sedent, & cruor ipsorum sinè intermissione DEI gloriam testátur.* Frustra rationes redderentur, atq; inutiliter Synodicæ sanctiones Sylvestro mitterentur, si ejus non intererat Ecclesiæ Congregatæ scire negotia. Ut quid ejus desiderabant præsentiam? nisi quia Romanus Pontifex fuit principium & Caput, totius Catholicæ communionis, à quo quicquid profectum esset, id Catholicum, & ex omnium Episcoporum sententia, vel jam statutum, vel statuendum sciretur. Legatur hujusce Synodi Canon 1. jam relatus superiùs de Paschate celebrando, ubi profitentur, Romani Præsulis tantùmmodò muneris esse, de his quæ observanda in Ecclesia essent statuere, & Christiano orbi literis significare.

4. Audiatur Gallorum decus Franciscus Rothomagensis Archiepiscopus, quid de hac Synodo, & Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis ibidem coadunatis referat, quàm Romano Pontifici communione strictissimè juncti, ei primi Acta sua exponant, debitamq; reverentiam exhibeant. „En (inquit) ad Apostolorũ limina primi Gal- „ lib. 2. de reb. Eccle- siast.
lorum expectant. Quod autem Archiepiscopus Mari- „
nus, cætusq; Episcoporum in capite Canonum, & in „
Synodica vocat Sylvestrum, fratrem, mirùm quàm hic „
deli-

„ delicati quidem avidè annotant, Canonem verò sequen-
„ tem, ac omnium primum intactum supervolant; cum
„ alioquin & Christum omnium Caput, quotidie audiant
„ non confundi vocare nos fratres, sic à nobis vicissim
„ Primogenitum in multis fratribus dici, nosq; ejus appel-
„ lari, crediq; cohæredes: sed & magis urgent contra
„ Novatores verba hæc, quæ à Synodica ad Sylvestrum
„ continentur: *Sed quoniam recedere à partibus illis minimè*
„ *potuisti, in quibus & Apostoli quotidiè sedent, & cruor ipso-*
„ *rum sinè intermissione Dei gloriam testatur.* „ Ex his numquid obscurum est, quid tot tantorumq; Ecclesiæ Gallicanæ Antistitum, Synodus illa in Romano Pont. crediderit? re ipsâ & scripto confessa est, ab ejus anctoritate tamquàm Universæ Ecclesiæ, non dispersæ tantùm, sed etiam Congregatæ, Principis; statui, corroborari, concediq; debere Acta, statutaq; Synodalia omnia.

Et hic erat unanimis Ecclesiæ Gallicanæ illius sæculi sensus, pro Sacræ Sedis auctoritate.



EX

EX CONTROVERSIA V. SÆCVLI

Quæ videlicet gesta sunt in Causa Apiarij Presbyteri, ab Episcopis Africanis, tempore S. Augustini, & SS. Pontificum, Zozymi, Bonifacij, & Cælestini primi.

OPPOSITIO V. Auctoris Anonymi.

GRadu (inquit) & communione semotus Apiarius, ad Sedem Apostolicam confugerat, causæ cognitionem susscepturus, mittitur à Zozymo Faustinus Episcopus in Africam legatus à latere cum duobus Presbyteris socijs: discutitur causa Apiarij præsente ipso Faustino, propriâq; confessione convictus est criminum Apiarius, ob quæ fuerat à suo Episcopo Siccensi depositus. Sed Africani Patres, quorum unus erat S. Augustinus, Epistolam ad Cælestinum Zozymi successorem scribunt, in qua graviter de Faustino conquesti, eum de tribus rogant: Primò; nè ab ipsis excommunicatos, aliâ vice in communionem recipiat: 2do, ne Presbyterorum & inferiorum Clericorum appellationes admittat, quia nullo Concilio id derogatum erat Eccle-

" siæ Africanæ. 3tio, Nè Legatos à latere mittat ampliùs
" in Africam. Sed ex his (inquit) constat, Concilij Gene-
" ralis auctoritatem superiorem esse Pontificiâ; si quidem
" volebat Augustinus, cum eoq; tota Ecclesia Africana,
" debere Pontificem Rom. moderari Ecclesiam secundùm
" Canones; credebat Romanum Pont. teneri Canonibus
" Concilij Nicæni, neq; posse quemlibet judiciorum or-
" dinem invehere in Ecclesiam, ejus moribus repugnan-
" tem; igitur & S. Augustinus, & alij Africani Patres,
" non crediderunt Romanum Pontificem esse supra Con-
" cilium, imò verò subjectum esse existimaverunt. "

CAPUT V.

Ex allata Controversia, & alijs eiusdem seculi gestis, Augustiniq; testimonijs, ostenditur suprema prædictorum Pontificum in Universam Ecclesiam, etiam Africanam, eamq; Congregatam, plenitudo auctoritatis, & obiectio diluitur.

I. TOta quæstio, quæ in hoc Africanæ Ecclesiæ Concilio, Carthaginensi videlicèt sexto, de Appellatione ad Sedem Apostolicam agitata fuit, puri quoq; *facti* erat, non *juris*, ista ex occasione orta; quòd Zozymus Pontifex, in Commentario Africanis per Legátos misso, quosdam de Appellatione ad Romanam Sedem citaverit Canones, sub nomine Nicæni Concilij. Hinc inter Patres Africanos controversia facta, an appellatio ad Romanum Pontificem inter Nicænos Canones reperiretur? ut in responsione ad oppositionem fusiùs dicetur. Ex hoc Concilij Africani facto potissimum Calvinus deprompsit argumentum adversùs Apostolicam Sedem,

Lib. 4. Instit. cap. 7.

Sedem, quasi ei Africani restiterint Episcopi, negaverintq; fidem Romano Pont. dandam esse in propria causa, nullamq; appellationem ad eum admittendam, cùm (inquit) fraude Sardicensem Synodum pro Nicæna supposuisset.

2. Nisi esset perfrictissimæ frontis impudentissimus historiarum prævaricator Calvinus, nunquam tantùm effutijsset, cùm ex ipsorum Africanorum PP. literis apertè constet, eos falsitatis Zozymum nequaquam arguisse, sed de *facto* Canonis, num esset ex numero Nicænorum, tantùmmodò dubitasse; nec jus Pontifici denegasse, sed precibus cùm eo egisse, nè à Synodo excommunicati, præproperè & festinatò in communionem reciperentur; audi ipsius Synodi verba: *Impendio precamur* (inquiunt) *ut deinceps ad vestras hinc venientes, non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere.* Et paulò post: *Nè in sua Provincia à communione suspensi à Tua sanctitate uti festinatò, vel præproperè, videantur communioni restitui.* Conc. Afric. c. 105.

3. Iterùm impius & imperitus Dogmatista impunè mentitus, Zozymum, Canonem Sardicensem Nicæno fraudulenter supposuisse, cùm ex antiquissimis scriptoribus omnibus, compertum ex exemplaribus Romanæ Ecclesiæ, ubi integra custodita sunt decreta omnia Nicæná, prædictum Canonem de Appellationibus deprompsisse, qui cùm alijs subreptus fuerat ex Orientalis Ecclesiæ codicibus ab Arianis, illis viginti exceptis, qui Arianæ hæresi nihil præjudicabant, de quo fusiùs Parag. 2do. Præterea quis non videat astutiam Calvini, contra solitas Dialecticæ regulas ab esse *facti*, & secundùm quid, ad esse *juris* & simpliciter argumentantis.

4. Nolo dicere Auctorem Anon. similia Sedi Apostolicæ convitia velle impingere, sed modum impugnandi non absimilem observare, ex facto quippe unico

Concilij Nationalis Carthaginensis, jus absolutè denegat Pontifici in recipiendis appellationibus, eo cum discrimine, quòd Calvinus illud simpliciter tollat, quò ad omnia Ecclesiæ Concilia; Auct. Anon. tantùmmodò per ordinem ad Generalia, cùm tamen hoc, quod opponit Africanum Concilium, non fuerit Generale, sed Nationale duntaxat, quia ex solis Episcopis Africanis auctoritate Præsulis Carthaginensis congregatum; nullus enim dixerit, unius particularis Ecclesiæ, Gallicanæ v. g. Episcopos, Universalem Ecclesiam repræsentare posse, maximè absq; interventu Universalis Ecclesiæ Pastoris.

5. Augustinum perperam allegat, quasi voluerit ipse, Romani Pont. auctoritatem Canonibus Nicænis limitatam fuisse, cùm idem S. Pater (ut ostendam inferiùs) eo ipso tempore coactus fuerat, ad Apostolicam Sedem recurrere, & plura adducere exempla, quibus antiquum appellationis Episcoporum Africanorum usum demonstraret. Canones Nicænæ Synodi, qui circumscribant jurisdictionem Pontificiam, nullos citat, quia nulli sunt. Contrarium nos ex ejusdem Concilij actis suo loco declarabimus. Poterat faciùs Auct. Anon. alias Ecclesias nominasse, uti Græciæ, Persidis, Ægypti, Angliæ, quæ potestatis Apostolicæ jugum excusserunt, quò meliùs curreret argumentum; nos tamen pro cunctis unicam responsionem adhiberemus, omnes illos temerè fecisse, à majorum suorum obedientia, & exemplis abscessisse. Aliam nihilominùs pro Africanis Patribus dabo solutionem, illos ex allata controversia nusquam juri Pontificio præjudicari voluisse, quòd illi soli debitum, pluribus, tùm ejusdem sæculi, tùm aliorum, ante, & post Nicænum Concilium factis, atq; Ecclesiæ Gallicanæ gestis, & exemplis comprobabitur.

PARA-

PARAGRAPHVS I.

Ante Concilium sextum Carthaginense, in usu erat Africanis Episcopis, ad Sedem Apostolicam à suis Synodis nemine contradicente provocare.

I. NOn hìc numerabo antiqua Africanorum ad Romanum Pontif. appellantium documenta; ut *Fortunati* & *Felicissimi* qui à S. Cypriano depositi, à Cornelio Papa admissi sunt. Marcionis, ab Episcopo Ponti excommunicati. Prisci, Provinciæ Cæsariensis Episcopi, Ceciliani, Episcopi Carthaginensis, de quo superiùs ex Augustino, qui ad Petri Cathedram à suis Synodis, & Episcopis, per interpellationem refugiebant: non inquam hæc, & sexcenta alia commemoro facta, sed recentissima ejusdem sæculi exempla produco.

2. Cælestius Pelagij Hæresiarchæ Antesignanus ab Episcopis Africanis in Concilio Carthaginensi, tempore Innocentij damnatus, appellavit ad Pont. Zozymum, cum libello supplici, in quo hæc ad finem apposuit: *si fortè ut homini quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur.* qui licèt hæreticus, credidit tamen Romani Pont. esse muneris, errata Apostolicâ sententiâ corrigere, & communioni fidelium posse restituere. Stomachantur fortè Africani Patres, de Cælestij ab illorum Synodo appellatione? aut jus negant Pontifici, pro iteranda causæ discussione? Audiatur primus eorum Augustinus, Pontificem laudans, quòd causam Cælestij susceperit, & leniùs cum eo egerit, spem concipiens eum Ecclesiæ Catholicæ restituturum. *Ejus prælocutionem* (inquit) *Venerabilis Papa Zozymus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta damnaret: à vinculis tamen ex-*

Ex Augustino lib. de Peccato Orig. cap. 6.

lib. de Peccato Orig. cap. 7.

communicationis, nondum est creditus esse solvendum; sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus, sub quadam Medicinali sententiæ lenitate concessus est. Item ad Bonifacium scribens: *Profectò: quidquid interea leniùs actum est cum Cælestio, servatâ duntaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio.*

lib. 2. cont. Epist. Pelag. cap. 3.

3. Post præfatam appellationem Cælestij, Zozymus Africanis Patribus significaverat literis, lectu sanè dignis, instaurandum fore Romæ judicium in causa Cælestij, pariterq; admonuerat, ut si quæ contra ipsum haberent Adversarij, deponerent. Paulinus Africanorum nomine, libellum quendam Carthagine misit Pontifici, ut ex eo appellans Cælestius, coram tribunali Apostolico examinaretur; hæc autem in prædicto libello adnotantur: *Beatitudinis Tuæ justitiam obsecro D. Zozyme Papa Venerabilis. Numquam fides vera turbatur, & maximè in Ecclesia Apostolica, in qua parvæ fidei Doctores, ut deprehenduntur facilè, ita veraciter puniuntur, ut moriantur in illis nisi correxerint, quòd deterius perpetrarant.* Non requirerent autem justitiam à Pontifice in causa Cælestij, jam in Africana Synodo damnati, nisi jus suscipiendi appellationes, & judicia restaurandi in illo recognovissent.

apud Labeum.

4. Pelagius quoq; eadem cum Cælestio fuligine tinctus, tametsi à Carthaginensi, & Milevitana Synodo anathemate perculsus, & in Palæstino Concilio jam quasi justificatus; recurrit nihilominùs ad Innocentium, & iterum ad Zozymum: Quid de illorum auctoritate in decisis ex appellatione Pelagij sententijs proferat S. Prosper? legantur sequentia: *Erravit* (fortè) *Sacrosancta benedictio sedes Petri, quæ ad universum orbem Papæ Zozymi ore sic loquitur. Nos autem tamen instinctu DEI &c. Erraverunt* (fortè) *Africani Episcopi ad eundem Papam Zozymum rescribentes, eumq; in sententiæ huius salubritate laudantes,*

lib. contra Cassianum.

tes, cùm *ajunt: Illud verò quòd in literis tuis, quas ad Universos curasti esse mittendas, posuisti dicens: Nos autem tamen instinctu DEI &c.* Et post multa. *Tunc istorum agmina fracta sunt, tunc in superbiæ socijs, & Principibus corruerunt, quando Beatæ memoriæ Innocentius, nefarij dogmatis Capita, Apostolico mucrone percussit, quando Pelagium ad proferendam pro se suosq; sententiam Palæstinorum Episcoporum Synodo coarctavit, quando Africanorum Conciliorum decretis, Beatæ memoriæ Zozymus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem, gladio Sancti Petri, dexteras omniũ armavit Antistitum.*

5. Disertioribus verbis hoc ipsum de Pelagio à Synodis Africanis, ad Sacram Sedem provocante explicat Augustinus. *Fefellit enim* (inquit) *judicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus, Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaq; non potuit, quamvis & hoc fuerit utrumq; conatus, sed ut dixi minimè valuit. Recoluit enim B. Papa Zozymus, quid imitandus Prædecessor ejus, de ipsis* (Palæstinis videlicèt) *senserit gestis. Attendit etiam, quid de illo sentiret prædicanda Romanorum fides, quorum adversùs ejus errorem pro veritate Catholica studia consonantia concorditer flagrare cernebat.* Et paulò post: *Quid ergò de Palæstinæ Synodi gestis, quibus se Pelagius absolutum esse gloriatur, Sanctus Papa INNOCENTIVS judicaverit, quamvis & in literis ejus, quas nobis rescripsit legere possitis, & commemoratum cum Venerabili Papa Zozymo Synodus Africana respondit, quod vestræ charitati cum cæteris instructionibus misimus.*

De Peccato Originali cap. 8.

6. Prosequitur continuò discursum S. Pater, Innocentij & Zozymi sententiam iterum recensens. *Videtis certè in his verbis, quemadmodùm Papa Beatissimus INNOCENTIVS, non tamquam de incognito loqui videatur. Videtis quantam tulerit, de illius purgatione sententiam. Videtis quid Successor ejus Sanctissimus Papa Zozymus recolere debuerit,*

ibid. cap. 10.

sicut

sicut recoluit; ut in eo sui Prædecessoris judicium, remotâ cunctatione firmaret. Addit præterea, eundem Zozymum literis suis Universam monuisse Ecclesiam, ut Pelagij blasphemias de cætero vitarent fideles omnes: *Literis* ibid. cap. 21. *suis quas conscripsit, per orbem Catholicum perferendas Papa Zozymus, execranda sicut legere potestis annexuit &c. &c.* Hucusq; lumen Africanorum Augustinus de Appellationibus eorum, & jure Romanorum Pontificum. His controversijs, successit causa Apiarij, & dissensio quædam, Romanam inter, & Africanam Ecclesiam, unde autem hæc obvenerit perturbatio, aperitur sequentibus.

PARAGRAPHUS II.

Literis Africani Concilij in argumento Auct. Anonymi relatis, nihil omninò minuitur Romanæ Sedis auctoritatis.

I. NOn ex sola Apiarij appellatione, moverunt quæstionem Africani Patres cum Romana Sede, sed literæ commonitoriæ Zozymi per Legatos in Africam missæ, (ut in Cap. insinuatum) causa fuerunt motûs istius. Tres ibi Zozymus inseruit Canones Sardicensis Concilij, sub titulo Nieænæ Synodi: Primum, *de appellationis prosecutione à Concilijs ipsorum, ad Romanam Sedem:* Secundum, *De Comitatu Episcoporum.* Tertium, *De Appellatione Clericorum à suis Diœcesanis, ad finitimos Episcopos:* qui cùm recitarentur Carthagine in Concilio, objectum fuit ab Aurelio Carthaginensi Episcopo, Romanæ Ecclesiæ parum amico, prædictos Canones inter Nicænos nusquam reperiri. Hinc (ut dixi) suborta dubitatio, num ex Nicæni Decretis eruti essent, eidem Zozymo, instigante Aurelio refragari visi sunt, sed sublato tunc è vivis Pontifice, Bonifacio successori scribunt, modestissimè

simè tamen, omnia jura secundùm mandata se integra servaturos, quoadusq; de Nicænis Canonibus fieret exactior exploratio: Extant hujusce rei literæ in Concilio Africano. *Literis* (inquiunt) *nostris ad eundem Venerabilis memoriæ Zozymum Episcopum datis insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus, usq; ad inquisitionem statutorum Concilij Nicæni. Et nunc de Tua poscimus sanctitate &c. &c.* Conc. Afric. c. 101.

2. Rebus sic stantibus missi sunt Legati ex Africa in Orientem; Constantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam pro fidelissimis exemplaribus Nicæni Concilij Canonum. Moritur interea Bonifacius, & Cælestinus in locum ejus sufficitur. Redeunt post explorata Græcorum exemplaria Legati, non invento in eis citato à Zozymo Canone. Quid verò Africani tunc egerint? literæ eorum ad Cælestinum insinuant, non (ut asserit A. A.) prohibent appellationes ad Romanum Pont. sed submisso animo rogant, ut majori cautella Romani Pont. ex Africa querelas ingerentes susciperent, ne sic judicia ritè ac probè facta perirent. En eorum Epist. verba: *Domino Dilectissimo, & honorabili Fratri Cælestino, Aurelius, Palatinus &c. & cæteri, qui in Vniversali Africano Concilio adfuimus &c. Præfato igitur debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures, hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè advertet Venerabilitas Tua: nam si de inferioribus Clericis vel laicis videtur ibi prævaricari, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, nè in sua Provincia à communione suspensi, à Tua Sanctitate uti festinatò vel præproperè videantur communioni restitui: Presbyterorum quoq; & sequentium Clericorum refugia (sicuti dignum est) repellat Sanctitas Tua.* Quibus, non denegant jus Pontifici in admittendis appellationibus, sed exigunt, ut maturiori causæ tractentur examine.

Responsio 1. ad opp.

Conc. Afric. c. 105.

P 3. Per-

3. Perniciosum quoq; quod à quibusdam opponitur, quasi Zozymus conatus fuerit appellandi jus ab Africana Ecclesia suffurari, & quòd ipse Nicæno Concilio Canonem Sardicensem supposuerit, ex eo quòd in Orientalis Ecclesiæ codicibus ab Africanis inventus non fuerat. Impostura hæc est Calvini; cùm ex omnibus antiquis & modernis scriptoribus compertum sit, Nicænam & Sardicensem Synodum, pro una & eadem Synodo habitam fuisse, eò; quòd ferè ijdem Episcopi interfuerint, ac eandem contra Arium rem tractaverint, ut optimè ostendit Bail. Unde pro appendice Nicæni Concilij ab omnibus reputatur. Et *Caranza*, ipse qui omnibus hac in parte videtur contraire, in præfatione ad Nicænam Synodum fatetur, nonnulla ex ea translata fuisse in Sardicense Concilium. A S. Athanasio autem (cui præ cæteris fides hîc danda est) Sardicensis Synodus, titulo Oecumenici, æquè ac Nicæna insignitur: *In magno* (inquit) *Sardico Concilio, nostram innocentiam plures quàm trecenti Episcopi, qui ex multis Provincijs Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Traciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epyri, Tessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Sisciæ, Panormiarum, Norici, Italiæ, Picini, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bratiorum, Siciliæ, Africæ Vniversæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, eo se ad Concilium contulerant.* Tum quia (ut dixi,) Canones Nicænos translatos fuisse in Sardicensem Synodum, ut consulens & confrontans dictorũ Concilorum Acta, videbit Canonem 5 Nicæni, sub numero 16 Sardicensis positum, Decimumquintum, & decimumsextum, sub numero primi. Cur autem sub nomine Nicæni potiùs, quàm Sardicensis citaverit Zozymus? non alia ratio, quàm quòd illud notiùs erat, & majoris apud omnes venerationis.

Hist. Concil. 5. sæculi.

Apolog. 2. in princip.

4. Quod

4. Quòd verò in exemplaribus Ecclesiæ Græcæ, Resp. 2.
& Africanæ, non inventus fuerit citatus à Zozymo de Appellationibus Canon. Ratio in promptu est: & quidem de Africana, quæ longo tempore plurima passa est naufragia, factione Donatistarum, qui cum Arianis fædus injerant, horum nequitià, plurimi Canones subrepti, plurimi corrupti: Immò & Sardicense Concilium, cui triginta Africani interfuere, penitùs interceptum, ut omninò posteris Africæ Patribus incognitum fuerit, lib. 3. cap.
testatur Augustinus contra Crescon. agens, se nullum 34. & E-
aliud cognovisse Sardicense Concilium, nisi unum Ari- pist. 165.
anorum hæreticum. ad Fortun.
Et in literis Synodalibus Africanorum ad Cælestinum dicitur: *In nulla Patrum Synodo esse constitutum, ut aliqui, tamquam Legati à latere mittantur*: quasi dicerent se nec in Nicæna, nec Sardicensi invenisse, tametsi ipsius Sardicensis verba erant, quæ Faustinus protulerat: utriusq; igitur Concilij Canones ignoti, erant Africanis.

5. Ecclesias quoq; Orientales per plurimos annos fluctibus jactatas fuisse, idem refert August: Arianis Episcopis Præsidentibus, eradicatis penè Catholicæ communionis Pastoribus: cogitandum, quid cum exemplaribus Conciliorum egerint? in quorum manibus erant omnium Ecclesiarum codices. Confitetur ingenuè S. Athanasius Orientis Patriarcha, cum Universis Ægypti, Thebaidæ, & Lybiæ Episcopis, ad Felicem Romanum Pontificem scribens, multos Nicænos Canones malitiâ hæreticorum fuisse suppressos: *Scimus* (inquit) *in Nicæ-* Epist. Syn.
na magna Synodo 318 *Episcoporum ab omnibus concorditer esse* Alexandr.
roboratum, non debere absq; Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. Licèt hæc & alia quàm plura necessaria ab hæreticis (qui nos quotidie infestant, & perdere nitantur, ut faciliùs nos capere possint) sint Synodica Capitula incensa, nobisq; sublata:) Quâ de re hâc inventâ occasi-

occasione, indifferenter omni canonicâ, & Apostolicâ postpositâ auctoritate, Nos vi, à proprijs, Vobis inconsultis illicitè expellunt sedibus, ovesq; nobis à Christo Domino Apostolicâ commissas gratiâ invadunt, gradibus privant &c. &c. His omnibus malis cùm caruerit Ecclesia Romana, à temporibus Constantini, usq; ad Zozymum & Cælestinum, ut ex historijs liquet, facius sine dubio credendum, fideliores esse, & magis authenticos habendos Romanæ Ecclesiæ Canones; ut potè à Concilijs dictis Romam transmissos, & integrè conservatos hucusq;. Quos vidisse in Codice antiquissimo Bibliotecæ Vaticanæ, testatur Baronius in suis Annalibus.

5. Sæculo.

6. Per illud, quòd in literis ingerunt Africani, de non mittendis Legatis à latere in eorum Ecclesiam: non intendunt jus suscipiendæ appellationis Romano Pont. adimere, potiùs derogarent Sardicensis Concilij Constitutioni, quâ cavetur, ut ipse Pontifex possit, si velit, appellantis subvenire justitiæ, vel per literas scribendo Episcopis finitimæ Regionis, ut diligenter de causa inquirant, atq; definiant; vel mittendo delegatos, qui præsentes cum Episcopis causas audiant appellantium, atq; judicent: De modo tantùm prosequendæ appellationis, & sententiæ Pontificiæ executionis conqueruntur, idq; ea de causa.

Resp. 5.

7. In usu jam erat illis sæculis, Legatos à Pontifice mitti cum Clericis & apparitura militari, ad comprimendos si qui invenirentur Sedi Apostolicæ refragantes, quò Decreta Pontificia executioni faciliùs mandarentur; testis est Augustinus Epist. 161 inferiùs referenda. Illud ipsum practicatum fuisse in Africana quoq; Ecclesia, refert idem S. Doctor, & eruitur ex hoc Concilio Africano, ubi Cælestino scribunt in illa verba: *Executores etiam Clericos vestros, quibusvis petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typum sæculi in Ecclesiam Christi, videa-*

Conc. Afric. cap. 105.

deamur inducere. Quia verò Legati isti, & Clerici executores, protervius functiones suas agere videbantur, ex quorum numero fuerat Faustinus à Zozymo missus, qui (ut ipsi contestantur) diversas Episcopis Africanis inferebat injurias, causam Apiarij sustinendo: inde graviùs permoti Africani, Bonifacio scribunt, quòd non essent ejusmodi fastus de cætero supportaturi; defuncto tunc Bonifacio, prosequuntur instantias apud Cælestinum, eundem flagitando, nè ampliùs Faustinum pro charitate sua Legatum in Africa patiatur: *Nam de Fratre nostro Faustino securi sumus, quòd eum Fraterna charitas ulteriùs in Africa minimè patiatur.* ibid.

8. Ex his apertâ luce comperiet quisq;, Africanos Patres, nusquam appellationis jus derogatum voluisse, sed de modo tantùm prosecutionis conquestos. Id evidenter iterum deducitur ex ipsorum literis ad Bonifacium, nomine totius Synodi Africanæ. *Nunc de Tua poscimus sanctitate, ut &c. si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo dejecerint eum, & appellasse videatur, & confugerit ad Beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen; scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant.* Si auctoritatem supremam, & ultimati judicij tribunal, sibi usurpassent, (ut contendit Adversarius,) in vanum utiq; delegationem literalem à Pontifice postulassent, pro iterando causæ ex appellatione ab eorum Concilio examine: Postulant autem pro suis Episcopis, si renovandum judicaverit Pontifex, judicij instituendi auctoritatem; tum quia Romæ summâ cum difficultate producendi essent testes: Tum quia Legatos suos executores cum brachio sæculari ferebant indigniùs. ibid. cap. 101.

9. Unum restat, quòd reponatur; modum vide-

licèt illum Apostolicas exequendi sententias, à PP. Africanis reprehensum fuisse in Pontifice: sed hac in parte ipsum appello Augustinum, qui hujus sententiæ firmum defensorem se præbuerat plurimis in locis; & inter alia, Epist. ad Vincentium, ubi inquietos Donatistas per Potestates corrigi, & cohiberi potuisse, non inutile judicat. Item Epist. 261, de Fussalensibus scribit, id non nisi manu militari expleri potuisse, quòd Romanus Pont. suâ sententiâ definijsset. Hæc de Apiarij causâ, & Africanorum ad Cælestinum literis: Quòd iterum ex Augustino magis illustrabitur.

Edit. Plant.

PARAGRAPHVS III.

Augustinus illo eodem tempore, recenset plura appellantium Episcoporum Africanorum exempla, ipse quoq; recurrit ad Sedem Apostolicam.

I. AD comprobandam supereminentem Sedis Apostolicæ prærogativam, eo ipso tempore, quo de Nicæno Canone, inter Africanos Patres controversia agitabatur, Deus Opt. mirabilem permisit casum, cujus occasione ipsemet Augustinus (qui eidem Concilio in qualitate Legati Numidiæ intersuerat) compulsus erat quærere, & in medium plura adducere exempla, quibus inolitum morem appellationis Africanorum, ad Romanam Ecclesiam demonstraret. Erat autem casus iste.

2. Antonius quidam nomine, quem S. P. Augustinus sedi Fussalensi Episcopum præficiendum curaverat, aliqua in Episcopatûs munere perpessus crimina, & scandala aliqua, ut Africani querelas Cælestino Papæ ingesserint adversùs Augustinum, quòd perditissimum hominem dedisset illis Episcopum, idcirco in Plenario

Patrum

Patrum Conventu, administratione Episcopatûs privatus fuit Antonius, relicto ei tantùm sedis titulo: appellavit ille ad Sedem Apostolicam proclamando, *aut in Cathedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui.* Augustinus ex judicibus eum condemnantibus unus, plura Africanorum Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellantium producit exempla, declarans sæpiùs accidisse, ut Episcopis à Pontificibus Romanis administratione Episcopatûs privatis, honor tantùm cum nomine Episcopi, eisdem relictus fuerit. En ejus verba.

3. *Extat exemplo* (inquit) *ipsâ Sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicia firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos; quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia numerabo. Clamet Priscus Provinciæ Cæsariensis Episcopus, aut ad Primatum locus sicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius ejusdem Provinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit, nusquam sibi in Diœcesi ejus ab alio communicabatur Episcopo; clamet inquam, aut ubiq; communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Clamet tertius eiusdem Provinciæ Laurentius Episcopus, & prorsus huius vocibus clamet: aut in Cathedra cui ordinatus sum, sedere debui, aut Episcopus esse non debui. Sed quis ista vituperet? nisi quia parum attendit, nec inulta omnia relinquenda, nec uno modo omnia vindicanda.* Recentia tantùm Augustinus appellantium Africæ Episcoporum recenset exempla, unius duntaxat Provinciæ, imò unius generis casus, non est dubium quòd alia crebra atq; frequentiora in alijs Africæ partibus esse contigerit differentibus alijs occasionibus.

Epis. 261. edit. Plant.

4. Accipiens postea S. Pater Augustinus ex rumoribus, Antonium appellantem, sententiâ Pontificiâ ad Episcopatûs pristini administrationem cum militari manu (ut

nu (ut solitum erat) fore remissurum, evitando majores adversùm se querelas Africanorum, eidem Cælestino supplices dedit literas, in quibus hæc notantur. *Accipe nunc quæ post ejus sanctæ memoriæ viri* (loquitur de Bonifacio) *in Africa literas gesta sunt, & subveni hominibus opem Tuam in Christi misericordia multò avidiùs quàm ille poscentibus, à cujus inquietudine desiderant liberari. Iudicia quippè illis, & publicas potestates, & militares impetus, tamquam executores Apostolicæ Sedis sententiæ, sivè ipse, sivè rumores celeberrimi comminantur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident à Catholico Episcopo (Antonio) Non sinas ista fieri, obsecro Te per Christi Sangvinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum Præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratribus.*

extat. tom. 2. editio: Plant. Epist. 161.

Confir. Resp.

5. Ex his Augustini dictis exploratum est unicuiq; quid ille de auctoritate Romani Pont. intellexerit? & quid in illo eo ipso tempore, quo de appellatione agebatur, recognoverit? Non refugit Cælestini sententiam, etiam Concilio Africanorum dissonam, in restituendo sedi suæ Antonio, imò nec executionem judicij illius, si ita decrevisset; sed modum exequendi, per militares impetus, & publicas sæcularium potestates, ne de cætero patiatur Pontifex, humillimè deprecatur. Hæc erat mens cæterorum Africæ Episcoporum, quamvis Aurelius Carthaginensis Archiepiscopus totius Africæ Primas, aliquid aliud contra Pontificem molitus fuerit, ut suum honorem tueretur, neminemq; seipso superiorem in causis morum & disciplinæ agnosceret, tamen Augustinum, & alios Africæ Patres, aliter fuisse affectos, ac aliud omnino ab Aurelio sensisse, ex hactenus dictis est manifestum.

PARA-

PARAGRAPHVS IV.

Ex Ecclesiæ Gallicanæ eiusdem sæculi gestis, nec non antiquissimis Episcoporum appellationibus, idem ius firmatur Rom. Pont. de hæresibus, & Ecclesiæ dogmatibus absolutè iudicandi, & peremptoriè negotia omnia terminandi.

1. TAntus apud Ecclesiæ Gallicanæ Antistites vigebat erga Romanum Pontificem cultus & obseruantia anteactis sæculis, ut ab ipsius decretis, vel tenui lineâ declinare, ducerent esse sacrilegum, atq; impium. Quam quidem dum tenuit obseruantiam, ab omni hæreticorum labe illibata permansit omnium ore laudatissima Ecclesia Gallicana, cujus Episcopi antiquæ gloriæ memores, Antecessores suos ad numeros omnes sequuti sunt, inhærentesq; supremæ auctoritati, retinentes quas à Majoribus accepere Catholicæ fidei regulas, more illorum ad Romanam Sedem semper recurrebant, in exortisq; dubijs, eam non nisi consulebant.

2. Primum produco Magnum illum Victricium Rothomagensem Episcopum, doctrinâ ac miraculis clarissimum, qui anno 404 adversùs novam emergentem in Gallia Vigilantij hæresim, primùm omnium judicavit Sedem Apostolicam consulendam, quò faciliùs nova Hæresiarchæ extirparentur dogmata. Id eruitur ex Epist. Innocentij Pont. Credidit ille, in Ecclesia Catholica ubiq; servandum, quòd ab Apostolica Sede nosceretur esse servatum, & custoditum, à cujus desciscere velle Decretis, idem planè esset, quòd in Castris profiteri Schismaticorum aut hæreticorum.

tom. 1. Epist. Rom. Pont. Ep. 1. ad Victr.

3. Sequenti anno laudatissimus S. Exuperius To-

losanus Episcopus, ex occasione ejusdem Vigilantij hæ-
ibid. Epist. 2. ad Exup. reseos, Innocentium Pont. interpellavit, quonam pugnandi genere mortifera hæretici semina excuteret. Sanctissimi atq; Doctissimi Antistites, ab ipso præcipuè Ecclesiæ Catholicæ vertice, sibi arma comparanda duxerunt, quorum vel uno ictu conficerent reptantem ventre bestiam super terram.

4. Anno 422 Patroclus ab Episcopis Gallicanis delatus est ad Apostolicam Sedem, quòd sibi favore Constantij, sedem usurparet Arelatensem, & alienæ Metropolis jura pervadens, in Narbonensi Provincia vacantis Pastore Sedis, ausus est Episcopum ordinare: ejus teme-
ex Epist. 3 Bonif. ritatem repressit Bonifacius, datisq; literis ad Hilarium Narbonensem Episcopum, jussit, ut jure Metropolitani ex mandato Apostolicæ Sedis, ad locum accederet, & quæ agenda sint circumspiceret, Sediq; Apostolicæ deferret.

5. Anno 428 In Ecclesia Narbonensi & Vienensi, Novatores quidam pullularunt, novum in vestitu Clericorum usum inducere satagentes: hos reprehendit Cælestinus, vetuitq; ne novus atq; diversus ab eo, qui hactenus usui fuisset, induceretur Clericorum habitus, sed
Ex Epist. 1. Cælest. illum quem à majoribus accepissent, retinerent. Redarguit etiam eos, quòd ad sedes Episcopales ab eis laici provecti fuerint, & criminosi; exprobrans factam ab illis Danielis cujusdam ad Episcopatum, contra jus, fasq; promotionem: Nec non Massiliensis Episcopi, qui Arelatensem Patroclum necaverat, quâ de causa dedit ad Arelatensem Episcopum literas, cum præceptionibus, ut ad judicium Episcopale uterq; destinaretur.

6. Anno 431. Non levis perturbatio Gallicanam exagitabat Ecclesiam, ob petulantiam quorundam Presbyterorum, temerè sugillantium S. P. Augustini Commentarios adversùs Palagium editos, quæ cum rationi-

bus &

bus & persvasionibus Prosperi contineri minimè potuit, idem S. Præsul, adhibito Collega Hilario, profectionem ad Cælestinum Romanum Pont. instituit, studioséq; apud eum egit, ut ejusmodi nugatoribus in S. Ecclesiæ Doctorem insanias effutientibus ora compesceret: Perceptâ S. Pontifex plenissimâ à Prospero & Hilario relatione, ad Episcopos Galliæ scripsit Epistolam, redarguens imprimis eos, quòd finerent ipsis tacentibus in Ecclesia loqui Presbyteros, postea in reprehensionem eorundem sinentium, & Clericorum in Sacra Augustini dogmata sugillantium, subdit: S. Doctorem mirificè prædicando, & scripta ejus contra Pelagianos, ut optimi Ecclesiæ Magistri, auctoritate Pontificiâ approbando. Incipit Epist: *Apostolici verba præcepti.* Quantæ fuerint existimationis & ponderis in Gallijs istæ Pontificis literæ, legatur S. Prosper adversûs Collatorem propè finem.

Epist. 8. Cælest.

7. Idem Vir Sanctus anno 433, reviviscente in Gallia Pelagianorum Hæresi, Cælestini successorem, Sixtum Pontificem, in Joannem Cassianum Massiliensem concitavit, ad frangendam resuscitantis Pelagij errores procaciam: *Confidimus* (inquit) *Domini protectione præstandum, ut quòd operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, operetur & in Sixto, & in custodia Dominici gregis; hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos: illo auribus suis Doctissimi senis* (Augustini) *insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est dicens: sunt enim quidam &c. &c.* ubi recitat Augustini verba, scripta olim ad ipsum Sixtum cùm Presbyter esset, quibus eum in insectandos semipelagianos commovet.

lib. adver. Collat.

8. Anno 445 suborta fuerat Controversia, inter Hilarium Episcopum Arelatensem, & Episcopum Viennensem, quòd ille prætenderet jus ordinandi Episco-

pos Provinciæ Viennensis, spectare ad Arelatensem Episcopum, quæstio quidem jam pridem inter Præsules dictarum Galliæ Ecclesiarum agitata, & in Concilio Taurinensi terminata; sed Hilarius haud his contentus limitibus, in Provinciam Vienensem Primatum sibi vendicabat. Querela ad Sedem Apostolicam perlata est adversùs Hilarium, quòd in Provincia Vienensi ordinatum præsumpsisset Episcopum deponere Celidonium; rursumq; alium in locum projecti Episcopi nondum mortui, substituere. Romam B. Hilarius ad dicendam causam coram Leone spontè se contulit, & mucroni Apostolico cervicem submittere minimè recusavit. Extat hâc in causa, Leonis Epistola ad Episcopos Galliæ, Vienensis Provinciæ, quæ incipit: *Divinæ cultum Religionis.* ubi quoq; de Primatu Romanæ Ecclesiæ tractat; (habetur in fine hujus Parag. fragmentum istius Epistolæ.) Præfecitq; ibi Leontium Episcopum, ut ejus consensu, futuræ Synodi in ea Provincia celebrarentur, non Vienensis aut Arelatensis Episcopi auctoritate: hujusmodi præceptionibus ad nutum paruit Gallicana Ecclesia.

Epist. 89. S. Leon.

9. Legitur in eadem Hilarij causa, & Imperatoris Valentini Constitutio, ad Ætium agentem in Gallia Magistrum militiæ data, S. Leone instante, quâ supremam Pontificis Rom. in omnes Ecclesias auctoritatem profitetur, utq; ab omnibus Galliæ Præsulibus sarta tectaq; custodiatur, præcipit pius Imperator. ,, Cùm (inquit) Sedis Apostolicæ Primatum, Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas Civitatis, Sacræ etiam Synodi firmavit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax ubiq; servabitur, si Rectorem suum agnoscat Universitas. Hæc cùm hactenus inviolabiliter fuerint

rint custodita: Hilarius Arelatensis contumaci quodam ,,
ausu &c.,, Et inferiùs: ,, Erat ipsa quidem sententia, ,,
per Gallias, etiam sine Imperiali Sanctione valitura. ,,
Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Ecclesias non ,,
liceret? sed nostram quoq; præceptionem hæc ratio pro- ,,
vocavit, ne ulterius vel Hilarius &c. nec cuiquam al- ,,
teri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis ,,
Romani Pontificis liceat obviare &c. Perenni sanctione ,,
decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm a- ,,
liarum Provinciarum contra consvetudinem Veterum, ,,
liceat sine Viri Venerabilis Papæ Urbis æternæ, auctori- ,,
tate tentare, sed illis omnibus pro lege sit, quicquid san- ,,
xit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas.,, Hæc o- ,,
mnia eodem sæculo acta. Nec desunt antiquiora ap-
pellantium Episcoporũ ad Apostolicam Sedem exempla.

10. Briccius S. Martini successor in Turonensi E-
piscopatu; iniquo judicio à Sede depulsus, ad Roma-
num Pontificem confugerat, ejusq; auctoritate sedem re- lib. 2. cap. 1. & lib.
cuperasse ablatâ injuriâ, testatur Gregorius Turonensis, 10. cap. 31
de Gestis Francorum.

11. Salonius Ebredunensis Episcopus, & Sagitta-
rius Vapingensis, per Synodum Lugdunensem, à suis se-
dibus dejecti, ad Joannem III Pont. provocarunt, qui
literas ad Regem Hunteranum misit, quatenus suis Ca- lib. 5. cap. 20.
thedris restituerentur, refert idem Turonensis.

12. Libro 7mo Capitulorum Francorum Cap. 124
deciditur, ut Episcopi comprovinciales ad Universalis
Ecclesiæ Pastorem, non ad Concilium Generale, appel-
lationes interponant, ut ab eo quicquid justum ac pla-
citum Deo fuerit, terminetur. Legatur & liber 6 Ca-
pit. Franc. cap. 289, & 299 ubi non ad alium judicem,
quàm Rom. Pont. plurimi appellarunt.

13. Constat item ex Galliæ Annalibus Massonij in
Hugone Capeto, Arnulphum Archiepiscopum Rhemen-

sem ab Episcopis auctoritate privatum ad Joannem 13 appellasse, illiusq; mandato sedem pristinam obtinuisse. Item ex S. Iræneo Lugdunensi Episcopo jam sæpius laudato, disertè affirmante: *Ad hanc sedem propter potentiorem Principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undiq; fideles, in qua semper conservata est, ea, quæ ab Apostolis est traditio.*

lib. 3. cont. hær. cap. 3.

14. Ecclesiæ Vienensis in Gallia Martyres, ad Pium primum per Astalum sæpius scripsere; Postmodum per Iræneum tunc Presbyterum, ad Eleuterium Pij successorem, quibus de suo statu & persecutione monent, rogantq; ut curet pacem & concordiam in Ecclesijs constitui, ut Baronius ex Eusebio refert. Hæc autem factâ ante Concilium Nicænum. S. Leo antiquam Gallis recurrendi ad Sedem Apostolicam consvetudinem esse asserit, ita ad Episcopos Provinciæ Vienensis scribens: *Nobiscum itaq; Vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentia, à Vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarũ (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.* Ex his Lector dignoscere poterit, qui nam antiquissimorum & Sanctissimorũ Ecclesiæ Gallicanæ Præsulum fuerit sensus, de Pontificis Romani auctoritate & judicio.

ad annum 179.

Epist. 89.

PARAGRAPHVS V.

Ex antiqua consvetudine Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Episcoporum appellantium, id ipsum perspicuè demonstratur.

I. NOn à recenti memoria, sed ab antiquis temporibus, antiquissimis regulis in Ecclesia Christi sancitum, inviolataq; consvetudine SS. Præsulum, & Martyrum, tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ roborabora-

boratum est, ut quicquid etiam in remotissimis Ecclesiæ Provincijs super Episcoporum querelis ageretur, non ante, firmitatem obtineret, vel robur, quàm ad Sacræ hujus Sedis, esset relatum notitiam. Testis est Gloriosus Christi Confessor Athanasius Alexandrinus Patriarcha, cum Orthodoxis Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopis, in Epist. Synodica ad Felicem Romanum Pont. *Quia semper* (inquiunt) *Beatissime Pater, Antecessores nostri, & nos à Vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & nostri curam habere cognovimus, præfatam Apostolicam Sedem, juxta Canonum Decreta expetimus, ut inde auxilium capiamus; unde Prædecessores nostri ordinationes & dogmata acceperunt.* Et post: *Canonibus namq; jubentibus de majoribus causis, nos absq; Romano Pont. nihil debere agere, ideoq; ad propositum currentes &c. Vestræ Apostolicæ Sedis imploramus auxilium:* Et parum infra: *Nam scimus in Nicæna Magna Synodo ab omnibus concorditer esse roboratum: Non debere absq; Romani Pont. sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.* ex Conc. Alex.

2. Hæc Canonica sanctio inviolabiliter observata erat ab Orientis Ecclesiæ Præsulibus, ante & post Athanasij tempora, testis est iterum ipse Athanasius *Epist. ad solitariam vitam agentes*, de Marcello Episcopo Gallatiæ scribens, à quo reprehensi Eusebiani de Hæresi, ejusdem hæreseos criminationem illi vicissim impingentes, Marcellum Episcopali honore spoliarunt, & in exilium ejecerunt: *ille verò Romam profectus, se innocentem docuit.*

3. Idem Athanasius Alexandriæ, Paulus Constantinopolitanus, alius Marcellus Ancyræ, Asclephas Gazæ, Lucius Adrianopolis, Episcopi Orientales, in Synodis damnati, atq; potentiâ hæreticorum oppressi, ad Julium provocarunt, cujus ex appellatione benignitatem, & judicij æquitatem in recuperandis sedibus experti sunt,

Sozomen. lib. 3. cap. 7. sunt. Scripsit insuper Pontifex ad Orientales Episcopos, eorum judicia graviter objurgando, quòd inconsultò de hisce judicassent viris, Ecclesiasq; perturbassent, mandatum quoq; dedit, ut quidam illorum omnium nomine, ad diem constitutum Romam accederent, declaraturi sententias, quas de his tulerant, æquas, justasq; esse: Quin etiam minatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent.

Ex Annal. ad an. 404. 4. Petrus Catholicus Alexandriæ, & Felicianus ad Damasum; Joannes ad Leonem, Theophilus Alexandrinus, & S. Chrysostomus per summam injuriam condemnatus, & in exilium violentâ militum manu pulsus, ad Innocentium I; & Petrus Hierosolymitanus ad Agapitum appellavit. Theodoretus Cypri Episcopus in Pseudosynodo Ephesina 2da, de Collegio Episcoporum exclusus, conqueritur de injuria, & judicium à S. Leone deposcit. (Epist. 113. ad Leon.) ,,Ego autem (inquit) Apostolicæ
,, Vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico, & obse-
,, cro Vestram sanctitatem, ut mihi appellanti justum
,, Vestrum, & rectum judicium opem ferat, & jubeat ad-
,, accurrere, & ostendere meam doctrinam, vestigia Apo-
,, stolica sequentem. ,,

5. Basilius, defert Eustatium Damaso, (erat ille Arianus Sebastæ Armeniæ Episcopus) & jam in Oriente damnatum, petit à Pontifice rursus damnari. S. Ignatius Episcopus Constantin. apud Nicolaum primum justitiam requisivit. S. Gregorius, privat sacrà communione Joannem Episcopum Græcum, quòd judicasset Episcopum Thebanum, qui ad Apostolicæ Sedis judicium confugerat. (lib. 2. Greg. Epist. 6.) S. Hieronymus, Damasum proclamavit supremum judicem, Oriente in lites discisso: *Cathedram* (inquit) *fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam.* (Epist. ad Damas.) Et ad Demetriadem: *Cùm Sanctus ac B. memoriæ Athanasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis*

partibus

partibus sæva tempestas, simplicitatem fidei quæ Apostolico ore laudata est, polluere conata est, sed vir Apostolicæ solicitudinis, statim noxium perculit Caput.

6. Ursatius & Valens Pannoniæ Episcopi, unà cum libellis profecti sunt ad Julium Rom: Pont. pro ratione reddenda de suis erroribus & delictis, quòd calumnias struxissent Papæ Athanasio: *At suscipe* (inquiunt) *nos in communionem, ac ad pœnitentiam*: hæc S. Epiphanius. Et Sozomenus lib. 3 Cap. 22. „Hoc quoq; (inquiunt Ursatius & Valens) confitemur, si quando nos Episcopi Orientis, vel Athanasius ipse præ malitia in judicium de hac re vocare voluerint, nos ab eo quæ tu statueris minimè descituros.„ Extant quàm plurima alia in Concilijs appellantium Orientalium exempla, qui variè vexati, in carceres missi, & ab Ecclesijs suis dejecti, tum à Synodis, tum à Principibus, ad Summos Pontifices ut ad veros & legitimos judices confugierunt.

Hær. 68.

7. De Occidentalibus Episcopis, Eruditus Pater Lupus excurrit per multa sæcula, quàm plurimas antiquissimorum SS. Præsulum appellationes ad Rom. Pont. reproducendo, quem Lectori licebit consulere. Protulimus quoq; superius nonnulla de Africanis & Gallicanis agendo: Generalia hìc SS. Patrum sufficiet recensere testimonia, Occidentalium Episcoporum recursus ad Apostolicam Sedem in Universum comprobantia.

lib. de Appellat.

8. S. Hieronymus ad Eustachium, asserit: *Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales literas contraxisse.* Et ad Principiam: *Et me* (inquit) *Romam cum Sanctis Episcopis Paulino, & Epiphanio, traxit necessitas*. S. Athanasius Papa *in Epist. ad Germaniæ & Burgundiæ Episcopos*, monet Universos, ut ad Romanam Cathedram, tamquam ad Caput querelas suas mittere non dubitent, quia hic erat antiquissimus omnium usus.

Epist. 27. tom. 1.
Epist. 16.

9. S. Cyprianus testatur, Episcopis Hispanis con-
Epist. 68. svetum fuisse ad Pontifices Roman. in causis eorum confugere; ex quibus specificat Basilidem, qui Episcopatu turbatus, Romam uenit ad Stephanum, & suæ sedi re-
lib. 10. stitutus est. S. Ambrosius Epist. 81. refert, seipsum cũ Bassiano, Euentio, Maximo, Felice, Geminiano, Eustasio, Constantio, Episcopis, & alijs Ordinibus ad Syricium Papam confugisse: *Quos* (inquit) *Sanctitas Tua damnavit, scias apud Nos quoq; secundùm iudicium Tuum esse damnatos.* Et Epist. 78 innumeris Occidentalium & Orientalium Episcoporum appellantium convictus exemplis, Theophilo Alexandrino Episcopo consilium suggerit: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem Nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.* Et parum infra: *Cùm id gestum esse cognoverimus, quòd Romana Ecclesia haud dubiè comprobaverit, læti fructum ejusmodi examinis adipiscamur.*

10. Legatur & S. Gregorij Nazianzeni Epistola ad Celadonium de Apolinaristis, ubi de Appellatione Occidentalium multa refert. Quis autem efrons dixerit, tot ac tantos Ecclesiæ Patres, judicio prudentiæ, & scientiæ caruisse, ibi supremum tribunal recognoscere, ubi nulla esset ultimati judicij auctoritas? aut quis asseruerit Africanos, unico illo facto, juri Pontificio præjudicari potuisse? nisi fortasse ille, qui se reputat tantis Ecclesiæ Doctoribus sapientiorem, sed videat ne se comperiat præsumptiorem.



EX

EX CONTROVERSIA
Ejusdem Sæculi
In Causa Nestorij?
OPPOSITIO VI.
Auctoris Anonymi.

EX Causa (inquit) Nestorij, quæ cùm Romæ agitata fuisset à Cælestino primo; discussa adhuc fuit in Concilio Alexandrino ex tota Diœcesi Ægypti; cui cùm in erroribus suis pertinax Nestorius, parere nollet, opus fuit congregare Synodum Oecumenicam, quam Theodosius Augustus indixit Ephesi celebrandam. Non est igitur (inquit) judicium Pontificis ultimum Ecclesiæ tribunal, sed post ejus sententiam, causæ fidei & Religionis, ad superius tribunal deferri possunt, ut deinceps retractari non possint. „

C A P U T VI.

Causas Fidei & Religionis à sententia Pontificis ad aliud tribunal deferri non posse; ex causa Nestorij & Concilio Ephesino luculenter deducitur, & argumentũ A: A: falsitatis arguitur?

I. JAm ab initio quæstionis monueram, de solis Oecumenicis Concilijs disputationem institutam, per ordinem ad Summum Pontificem, non de Particularibus: unde facilè conijcio, argumenta deesse Adversario, cùm ad Provincialia Concilia convertatur. Nec Pontifici

modò convitiatur, verùm etiam laudatissimæ Ecclesiæ Gallicanæ non veretur tribuere, quòd nusquam propalaverat. Nulla enim Catholica Ecclesia unquam professa est, Pontificiam auctoritatem ita limitatam esse, ut ejus judicium à Congregationibus Episcoporum Particularibus discuti, & causæ fidei ab illo terminatæ, ad Conventus Provinciales, vel Nationales, ut ad tribunal superius evocari possint. Id tamen foras emittere non erubescit Adversarius, asserens: Causam Nestorij Romæ agitatam, & à Cælestino (ut certum est) judicialiter finitam, iterum (ut ait) à Synodo Provinciali Alexandrina fuisse discussam.

2. Alexandrinam Synodum congregatam à S. Cyrillo fuisse, post damnationem Romæ errorum Nestorij, loquuntur omnes, at discussionis causæ, aut examinis sententiæ Cælestini, nullus meminit. Hæc autem quæ hic infero, referunt Conciliorum Scriptores Universi, cum *Isidoro Peltano*, qui ex Græco *Gelasij Cizyceni* codice, Latinæ lingvæ reddidit omnia acta in causa Nestorij; vixit autem Gelasius eodem sæculo cum Nestorio.

3. In prædicta Synodo nihil aliud actum, nisi perlecta illa, quæ à Cælestino Pontifice adversùs Nestorium scripta erant, quibus percognitis, quatuor Legati selecti sunt, qui Constantinopolim proficiscerentur, reddituri literas Cælestini ipsi Nestorio, cum decreto damnationis Romæ condito, nisi infra præscriptum ibi terminum resipisceret. Nec audiendus hac in parte Bail, asserens: prius Alexandrinam Synodum à Cyrillo convocatam; ex literis enim Synodicis ad Nestorium, & Clerum Constantinopolitanum Alexandriæ scriptis, clarissimè evincitur, causam Nestorij in Concilio Romano auctoritate Apostolicâ fuisse jam terminatam; sancitum enim fuit, ut ijsdem Pontificijs literis, adijciantur aliæ Synodicæ, cum duodecim anathematismis, quæ præterea fidei

Resp. ad 1. de Conc. Alexandr.

in hist. Conc. Ephesini.

apud Isod. Pelt. tom. 1. cap. 14.

fidei Orthodoxæ confessionem continerent. Hæc autem leguntur in dicta Epistola.

4. *Ecce igitur* (inquiunt) *unâ cum S. Synodo, quæ in Magna Romanorum Civitate, Pijssimo Episcopo Fratre ac Comministro Nostro Præsidente convenit, jam tertiò hisce literis contestamur, & obtestamur, ut consilium nostrum secutus, stolidis illis absurdisq; dogmatibus, quæ foris publicèq; doceas, quamprimùm nuncium mittas: quòd sanè nisi juxta tempus in literis Cælestini Sacratissimi Reverendissimiq; Romanorum Episcopi expressum, præfinitumq; præstiteris, certò scias, nullam tibi deinceps cum Episcopis, & Sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum &c.* Tempus autem à Cælestino præfixum fuerat Nestorio, decem duntaxat dierum, ut in Epist. ipsius ad Nestorium, & ad Cyrillum legitur: subditur quoq; in eadem Epist. de quibusdam literis à Cyrillo Alexandriâ Nestorio missis: *Ad Epistolas porro quòd attinet, quas Alexandrina Ecclesia ad te misit, eas à Sacra Romana Synodo, ab omni errore & vitio immunes judicatas esse scias.*

5. Præterea in dicta Synodo composita fuit Epistola, ad Clerum Constantinopolitanum, quâ ex Decreto Romani Pont. damnationem Nestorij significent, & eorum qui cum eo communicant, declarantes pariter eos, qui ab eo fuissent causâ fidei separati, in communionem Ecclesiæ Catholicæ, auctoritate Apostolicâ recipi. *Sperabamus* (inquiunt) *Religiosissimum Episcopum Nestorium consultationibus & admonitionibus Ecclesiasticis, absona sua dogmata deserturum, & eam fidem nobiscum amplexurum, quæ Ecclesijs à Sanctis Apostolis & Evangelistis, Apostolicisq; vocibus est tradita. Quoniam verò non cessat &c. jam necessariò eò devenimus, ut opus sit illum Synodicis literis contestari, quòd nisi ad terminum à Sanctissimo ac Pientissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo Cælestino præfixum, novis suis dogmatibus abstineat, & scripto anathemate detestetur, nibil cum Sacerdotibus Dei habiturus commercij &c.*

ibid. cap. 15. & apud Cyril. Epist. 11.

6. His

6. His tandem, adjectæ sunt aliæ, ad Patres Monasteriorum Constantinopolitanæ Urbis, eos non tam Synodi, quàm Cælestini nomine commonentes, ut viriliter quòd cæperunt adversûs Nestorium, prosequantur. *Iam tribus literis, his videlicet, quæ jam à nobis, & præterea quæ à Sanctissimo & Pijssimo Fratre Cælestino magnæ Romæ Episcopo missæ sunt admoniti, exigendum censuimus, ut si resipiscere, ac super ijs quæ dixit illachrymando perversa sua dogmata scripto anathematisari, & rectæ ac inculpatæ Catholicæ Ecclesiæ fidem confiteri velit, veniam si hanc petat,* (quam ei videlicet obtulerat Cælestinus) *si autem ista facere nolit, alienum se esse & exortem ab Episcoporum choro, & docendi dignitate sciat.* Nihil aliud in dicta Alexandrina Synodo, præter ea quæ hactenus ex Isidoro relatum, factum legitur. Nemo autem non viderit, coadunatos ibidem Patres, totis viribus in sententiam Cælestini ivisse, absq; ulla causæ Nestorij, vel judicij Apostolicæ Sedis discussione.

apud Cyril. Epist. 19.

7. Sed ex alijs anterioribus Actis, quæ Synodum Alexandrinam præcessere, satis convincitur Ægypti Patres, nusquam de tali discussione cogitasse. Sanctus enim Cyrillus Alexandrinus Patriarcha; qui huic præsedit Synodo, Nestorium jam ante proclamabat Hæreticum, post evulgatam à Cælestini Concilio sententiam, ut fatetur ipse in literis ad Nestorium: *Et quid nunc obsecro consilij capiam (tuam hic namq; pietatem appellare compellor) quandoquidem Cælestino Religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo jubente, cæterisq; Pijssimis Episcopis, qui illi adfuere, ita postulantibus investigare cogor &c.* Idem S. Præsul post judicium Romæ latum, ad diversarum Provinciarum Episcopos literas dederat, uti ad Joannem Antiochenum, ad Juvenalem Hierosolymitanum, ut in lib. Epistolarum suarum quisq; comperiet.

apud Isod. tom. 1. ca. 2.

Epist. 15. & 16.

8. Ante habitum Romæ Concilium, Constantinopolita-

politanus Clerus, libellum quendam adversûs Nestorium compositum, misit Alexandriam ad Cyrillum, ut de eo judicaret, & sententiam cum suis Coepiscopis ferret: recusavit judicium S. Præsul; tamquam non sui muneris de hæresibus judicare. *Libellum supplicem vestrum* (inquit ad Clerum Constantin.) *opera ad me missum accepi & legi. Verùm quòd prolixè in eum incurrat, qui illic agit, hactenus suppressi, ne adversùs nos insurgens, se per nos hæreseos apud Imperatorem delatum cavillaretur.* Et ad Cælestinum hac de re scribens, rationem affert, cur se à sententia in eum ferenda subtraxerit. *Quid vetabat* (inquit) *& nos quoq; vocibus illius, contraria scribere, ac sentire, Anathemata, si quis Mariam Deiparam esse negaverit? verùm id hactenus propter illum facere nolui, ne sint, qui Episcopum Alexandrinum, Ægyptiorumve Synodum, anathematis sententiam in Nestorium tulisse dicant.* Disertissimis attestatur terminis Sanctissimus Patriarcha, genuini esse Romani Pont. officij, contra hæreses decretaliter agere, non Ægyptiorum, aut cujusvis alterius Synodi, tametsi quisq; vocibus voces, vel scriptis scripta refellere valeat. Quomodo autem ausus fuisset in coacta ab ipso Synodo, causam jam finitam, vocare iterum in examen, cujus negotium ante subterfugerat; Adversarij merum commentum est.

ibid. tom. 1. cap. 8.

9. Unicum illud superest perquirendum, quòd difficultatem videtur ingerere; cur videlicet Alexandrinum Concilium, & iterum Oecumenicum Ephesinum convocatum fuerit? quandoquidem jam sufficiens causæ discussio, in Synodo Pontificia, & definitiva sententia à Cælestino præcesserat: De his, sequentibus tractatur, & suprema potestatis jurisdictio in Apostolica Sede, ex utroq; demonstratur.

Status difficultatis.

PARA-

PARAGRAPHVS I.

Cur Alexandrina Synodus à Cyrillo coacta, supposito ultimato & peremptorio Pontificis Romani judicio?

I. NOn præjudicat (ut opinantur in contrarium Adversarij) præpostera Alexandrina Synodus, in dicta Nestorij causa, post sententiam Apostolicam habita, supremo juri Pontificio; quinimò supereminentem illius jurisdictionis, in omnes Universum, & omnium Catholicæ Ecclesiæ Synodorum, probat excellentiam, si causæ, convocatæ à Cyrillo Synodi, exactiùs perpendantur. Cùm enim B. Patriarcha Cyrillus frustra tentasset curandam Nestorij insaniam, quam ex Cælestini literis procuraverat: quò de omnibus, ipsum Romanum Pont. redderet certiorem, ad ipsum delegavit Possidonium Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum cum literis, judicium ab eo requirendo: Quibus Cælestinus perlectis, convocavit Romæ Episcopos, factâq; Synodo, fuit hæresis Nestorij condemnata; Auctori verò decem dierum (ut dixi) ad resipiscendum concessum est spatium, eadem damnatione feriendus & ipse, si in asserto errore persisteret. Mox eandem sententiam Cælestinus Cyrillo mittit, vices ei suas cum potestate in exequenda sententia committendo, utq; legitimus esset Decreti Apostolici executor, his ad finem Epistolæ mandat verbis.

Epist. 3. Cælest. in fin. 2. *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascitâ, nostrâq; vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absq; exquisita severitate sententiam exequeris; nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam, conceptis verbis anathematiset &c. sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.* Et in Epist. ad Nestorium: *Quam formam nostri judicij per filium meum Possidonium*

nium Diaconum cum omnibus chartis, ad Sanctum Consacerdotem meum, memoratæ Alexandrinæ Vrbis Antistitem, qui ad nos super hoc ipso plenius retulit, destinavimus, ut agat vice nostra. Ex superioribus autem ejusdem Epistolæ constat, pro inurendo anathemate Nestorio, vices illi commissas, non pro discutienda iterum causa, aut examinandis Hæresiarchæ erroribus; hæc enim verba habentur superius: *Hanc nostram sententiam esse scias.*

3. Præterquam quòd ex his apertè liqueat, Cælestinum Cyrillo in prosequenda personali Nestorij causa, auctoritatem suam delegasse, tradit Nicephorus, ad eundem Cyrillum à Pontifice missam fuisse mitram, quâ Romani tunc utebantur Præsules, nec non nomen Papæ, sed & concessum dicit, u appellaretur Universalis judex in Oriente, in causa videlicet Nestorij. Et Theodoretus *in Nomoc. Photij* affirmat ab eodem Pontifice transmissum fuisse Phrygium, ipsum nempe Pallium, quo plena potestas significaretur, eoq; Cyrillum usum fuisse in Alexandrina & Ephesina Synodo, nec non in Sacris Solemnijs, more Romani Pontificis. lib. 14. ca. 34.

4. Sed & Cyrillus ipse *Epist. in Cap.* laudatâ ad Nestorium, palam attestatur, se mandato Apostolicæ Sedis pressum, ad convocandam Synodum, pro exequenda illius in Personam Nestorij sententia. *Quid nunc obsecro consilij capiam, quandoquidem Cælestino Religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo jubente, &c. investigare cogor.* Et ad Cælestinum iterum scribens, protestatur: se nihil fecisse, nec aggredi cum Nestorio certamen voluisse, absq; nutu & auctoritate S. Sedis Apostolicæ. *Si quidem* (inquit) *silere licuisset, ut non omnia quæ agitantur Pietati Tuæ scriberem, potuissemq; extra querelas esse & quòd molestum videtur effugere, præsertim in rebus ita necessarijs, ubi & ipsa fidei rectitudo, à quibusdam distorquetur, sanè mihi ipsi dixissem, bonum est & securum ut sileam, & ut quiescam melius est, quàm ut perturber:* Epist. 18. edition. Basilien.

quoniam verò & Deus sobrietatem à nobis in hisce rebus exigit, & mores isti qui longè dissident ab Ecclesijs, hoc suadent; ut Sanctitati Tuæ ista communicem, iterum necessariò scribo, illud significans, quòd satan etiam nunc omnia perturbat. Et in fine: *Vt verò Sanctitas Tua dilucidè, cùm quæ ille sentiat & dicat, tum quæ Beati & Magni Patres nostri docuerint cognoscat, tomos misi, habentes Capitum pericopas: Curavi autem ut exponerentur* (in latinum videlicet) *Et Epistolas quoq; à me scriptas dilecto Possidonio dedi, mandans illi, ut & has Tuæ Sanctitati exhibeat.*

5. Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in suo *Breviario* (quem laudibus celebrat Filesacus Facultatis Parisiensis Decanus) asserit: Cyrillum habuisse vices Cælestini in convocanda Synodo, & fulminanda Persona Nestorij. Ex quibus satis perspicuè intelligitur, Alexandrinam Synodum à Cyrillo coactam, argumentum esse supremæ, ac in toto orbe reverendæ, metuendæq; Romani Pontificis auctoritatis, quandoquidem illi demandata sententiæ Apostolicæ in Nestorium executio, nisi intra præscriptum à Cælestino spatium impia sua dogmata ejurasset; à cujus præcepto, ne ungve quidem secessit Veneranda Alexandrina Synodus.

In 1. part. Comment. Vinc. Lyrenen.

6. De Ephesina Oecumenica, major videtur difficultatis moles: cur nimirum tanto cum labore ex omnibus ferè Orientis Episcopis, auctoritate Theodosij convocata fuerit in eadem causa Nestorij? explorato jam & finaliter terminato auctoritate Pontificis toto illius negotio.

PARA-

PARAGRAPHVS II.

Causæ afferuntur propter quas congregatur Generalis Ephesina Synodus, post finale Pontificis Romani Decretum, absq; ullo Potestatis Pontificiæ præiudicio.

I. PErperam reponunt in Concilijs Generalibus supremam regiminis Ecclesiastici auctoritatem, occasione Synodorum ab Imperatoribus indictarum; quasi verò ad ponderanda vel retractanda judicij Apostolici diplomata, aut iterando & renovando causæ examine, illis opus fuisset? Hæreticorum Romanæ Sedi refragantium pertinacia, & Imperatorum zelus, ad comprobandas irrefragabiles Pontificum sententias, convocandorum Conciliorum causa extiterat. Primi eorum fuere Donatistæ, à sententia Melchiadis ad Constantinum contra Cecilianum provocantes, & judicium aliud ab eo exposcentes, ut *Cap.* 4 disseruimus. Eorum exemplo impius Nestorius, eadem castra secutus, mucrone Apostolico perculsus, apud Theodosium Imperatorem patrocinium requisivit: acceptis namq; Synodicis à Cyrillo literis, quibus executio sententiæ Pontificiæ continebatur, ad vitandum rigorem Ecclesiasticum, sententiamq; ab eo latam eludendam, Imperatorem interpellavit. *Cognoscens itaq; Nestorius* (inquit Liberatus) *quòd Cyrillus non pateretur Ecclesiam sic esse in perturbationibus, & populos sub scandalo, subrepsit Pio Imperatori Theodosio, ut sacram ad eum dirigeret, & à sua eum persecutione compesceret.* In Breviar. cap. 4.

2. Scandalum ipse Imperator passus, gravius corripuit calcitrantem Nestorium *scribens ad eum sacram, & arguens eum tamquam inquietum, & scandala suscitantem.* ibid.

 Verùm

Verùm cùm nihil in admonitionibus proficeret, videretq; Theodosius Episcopos Syriæ, & Macedoniæ opera Theodoreti patrocinium Nestorij suscepisse contra Cyrillum, tamquam dogmata Apolinaris instaurantem, scriptis pervicacius egisse, refert idem Liberatus, de quo conqueritur & ipse Cyrillus ad Cælestinum scribens. Ad sedandas istas, quibus Ecclesia conflictabatur, procellas; quippe quòd non Nestorius tantùm, sed & Cyrillus reus criminis hæreseos ab Episcopis Orientalibus Nestorij defensoribus diceretur, apud Cælestinum de convocando Ephesi in annum sequentem Universali Concilio egit, per Petronium postea creatum Bononiensis Ecclesiæ Episcopum, ut ejus vitæ acta loquuntur. Congregatum est igitur Ephesi Concilium Thedosij quidem edicto, sed non sine antecedenti Pontificis consensu, ipso Imperatore & Cyrillo id requirente.

Epist. 18. in med.

apud Sigonium in vita Petronij.

3. Porro consensum Cælestini pro hac Synodo, probant uariæ Epistolæ: imò Ep st. eiusdem Pont. ad eandem Synodum, in qua idem ipse Cælestinus profitetur, suâ uoluntate fuisse collectam, & post alia in fine subdit: *Misimus* (inquit) *ad vos Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum Sanctos fratres, unanimesq; ac probatos nostros Comministros, qui nostrâ in se curâ susceptâ, actis uestris intererunt, quæq; à vobis fuerint constituta, suo calculo denuò cōprobabunt.* Quin etiam præscriptam fuisse formam Ephesini Concilij ab eodem Cælestino Pont; *Firmus* Cæsareæ Cappadociæ Episcopus in ipsa Synodo testatus est.

apud Bail. part. 2. Cōcil. Ephes.

4. Secundò: Epistola responsoria Cælestini ad Theodosium declarat, ex consensione, & impertitâ auctoritate ab eodem Pont., hanc collectam esse Synodum: *Hæc* (inquit) *Gloriosissime, & Tranquillissime Imperator Auguste (quia in uestro corde esse nouimus Deum in esse non dubium.) Augustis etiam auribus per Fratres & Coepiscopos meos Arcadium & pro-*

apud Anton. de Aquino in Dec. Epist. Rom. Pont.

& Projectum quos misimus, intimamus: hoc à Pietate Tua deposcentes, quòd vos habere credamus in votis, ut quòd à Deo petitis, hoc in fide ipsius causâ præstetis. De Consilio autem Ephesi congregando, pro pace & unitate Ecclesiarũ, locutum fuisse Cælestinum, colligitur tum ex eo, quòd Projectum & Arcadium se asserat misisse, qui in Synodo Ephesina de latere Legati extitere; tum ex Superioribus eiusdem Epistolæ: Tum deniq; ex posterioribus eiusdem Cælestini litteris ad Cyrillum datis, Sub Nonis Maij, quæ incipit: *Intelligo Sententiam Sapientissimi Salomonis &c.* Vbi de Concilio cogendo mentionem facit: *Super hæc* (inquit) *quæ quæris, utrum Synodus hominem à se prædicta damnantem recipere debeat, utq; consultatione communi, communem Dominum consulamus*: Ad Theodosium autem literæ datæ Idibus Maij: Concilium verò Ephesinum congregatum fuit, vigesima secunda Mensis Junij ejusdem anni, ut innuit Epistola 1. Synodalis ad Imperatorem; quicquid in oppositum dixerit Baronius. ibid.

5. Tertiò: Sancta Synodus Ephesina idipsum apertè confessa, in literis Relationis ad Theodosium: *Hæc quidem & antea, priusquam Sanctissima Synodus congregaretur, Sanctissimus Cælestinus Magnæ Romæ Episcopus literis suis significavit, injungens Sanctissimo magnæ Vrbis Alexandrinæ Episcopo, ut vices suas in hac causa subiret, & nunc iterum alijs literis, hæc, Sanctæ Synodo manifestavit, quam Dominatio Vestra Ephesi congregari præcepit, quas per Sanctissimos Episcopos Arcadium & Projectum, & Deo dilectissimum Philippum magnæ Romæ Presbyterum misit, qui Sanctissimi & Deo dilectissimi Cælestini vices hîc subijt.* Recognoscit S. Synodus, eandẽ præcepto Imperatoris, id est literis ad Orientales, & Occidentales Episcopos datis, fuisse indictã, at non sine assensu & voluntate Romani Pont. nam & in Epist. Synodica ad Cælestinum attestati sunt SS. Patres, eundem curam & causæ, & Concilij, specialem gessisse, apud Cyril. lib. Epist. Synod. Epist. 7.

 & stu-

ibid. Epist. 12. & studijs suis eidem robur addidisse. *Sanctitatis quidem Tuæ, circa pietatem, zelum, & curam illam de recta fide, nostri omnium servatori gratam & placitam, cum omni admiratione meritò suspicimus. Est enim hoc Vobis ita in consueto, ut in omnibus celebres sitis, & studia vestra Ecclesiarum fulcra constituatis.* Et *Evagrius* unus ex Episcopis qui Concilio huic interfuerant, scribit: *Tum Ecclesiæ Canonibus, tum Epistolâ Sanctissimi Patris Nostri Cælestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessariò compulsi, ad hanc sententiam, idq; non sine crebris lachrymis contra Nestorium pronunciandam venimus.*

Evag. cap. 4. de Eph. Synod.

6. Nec mirùm videri debet, Imperatores pristinis sæculis, in alienam messem falcem mittere solitos; ut enim optimè ait *Optatus Milevit: Ecclesia illis temporibus erat in Imperio, non Imperium in Ecclesia* propter paupertatem & inopiam (ut optimè differit P. Lupus) sine notando Imperij motu, pro impensis & evectionibus suppeditandis, non poterat fieri Synodus Generalis, ideoq; illi per edicta dum modò Canonibus conformia, commisceri Principes Ecclesia olim toleravit: Immo aliquando interventum eorum poposcit, ad prostrandos impetus hæreticorum, ut innuit S. Prosper de Bonifacio scribens: *Sanctæ memoriæ Bonifacius Papa, Pijssimorum Imperatorum Catholicorum devotione, & contra inimicos Gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, verùm etiam Regijs utebatur edictis.* Verùm edicta illa postea odijt, & excutere gestijt Ecclesia, cùm modum frequenter Principes excederent. Excutere cæpit Gregorius 2, ob violentias Leonis Isauri, tandemq; planè excussit Leo 3, sub earum stipulata renunciatione, dans Carolo Magno Imperium Occidentis: unde in octava Synodo nullus Imperialis sanctionis meminit. Græci hanc Imperialem usurpationem resuscitare volentes, nec audire Latini voluerunt in Synodo Florentina, ut in ejus Hist. refert Sylvester Sguropulus, Nemo igitur inficias ibit, hanc

lib. de Appellat.

lib. adverf. Colator.

lib. 10. ca. 2.

Uni-

Universalem Synodum Edicto Theodosij fuisse convocatam, propter rationes allatas, intacto tamen Pontificiæ auctoritatis jure, cum consensu videlicet & voluntate antecedente illius. Sed jam ad Concilium ipsum progrediamur, independenterne à Pontifice, vel prævio illius judicio, contra Nestorium egerit?

PARAGRAPHVS III.

Sacrosanctum Ephesinum Concilium recognoscit supereminentem Cælestini Potestatem in condemnando Nestorio, atq; omnia Acta Synodalia auctoritati eius penitus subesse, & ab ea prorsus dependere.

I. NOn alijs utimur armis, quàm gladio Goliad, ad Philistæi Caput truncandum: Ex Conciliorum namq; antiquorum Generalium, quæ opponunt, & præferunt Adversarij, luculentissimis testimonijs unicuiq; apparebit, non modò convocationem eorum ad Petri, successorumq; ejus Ecclesiæ Catholicæ Præsidentium, auctoritatem propriè pertinere: sed & omne eorum robur, omnemq; firmitatem Actionum Synodalium ab hujus Sedis jurisdictione dependere, idq; ex Universis Concilijs Orientalibus; & quidem ex Ephesina ejusdem rei probationes accipiet Lector adeo crebras; ut nisi pertinaciâ nimiâ cæcutiat, perspiciet haud dubiè.

2. Parti primæ hujus Oecumenici Concilij, inserta est Epistola Cyrilli vices Pontificis Summi agentis, ad Cælestinum, cujus verba considera: *Quoniam verò Deus hisce in rebus vigilantiam à nobis exigit, & vetus Ecclesiarum consvetudo svadet, ut ejusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur,* apud Lab. 1. part. ca. 14.

centur, scribo sanè necessitate adactus, illud significans, nempe satanam pessimam illam i. frenentem bestiam &c. quæ contra Dei Ecclesias insanire, necnon in omnium ubiq; populorum, qui in rectæ fidei semita ambulant, subversionem studiosè eniti &c. Non prius autem illius communionem palam apertèq; deserimus, quin hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus; Digneris proinde, quid hic sentias præscribere, quò liquidò nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat? an verò liberè eidem denunciare, neminem cum illo communicare, qui ejusmodi doctrinam erroneam fovet & prædicat. Porro Tuæ integritatis mens, & super hac re sententia, Pijssimis Deoq; devotissimis Macedoniæ Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Jam dogma Nestorij Romæ damnatum erat, de communione tantùmmodo cum Persona illius agebatur, detrectat nihilominus S. Patriarcha cum transfusa sibi auctoritate absq; interventu Pontificis, suum hac in parte dare judicium. Sed at quid recursus ad Pontificem! si ipse Concilio inferior, deterior, errabilis, *Vetus Ecclesiarum consvetudo svadet* (ait Cyrillus) *ut ejusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur.* Si vetus Ecclesiarum consvetudo est, Apostolicam Sedem consulere, & sententiam suam expectare: Ergo novum erit dogma, praxi antiquæ Ecclesiæ obvium, Concilijs Generalibus dissonum, Pontificem auctoritate illâ velle exuere.

3. Rescriptum Cælestini ad Sacri Concilij Oecumenici Præsidem Cyrillum ibidem habetur: *Hunc nos* ibid. Cap. 15. *igitur ab ovibus arcere oportet, nisi ut optamus ad bonam fidem sese receperit. Desideramus autem ut convertatur & vivat. Quòd si in pertinatia sua perstiterit, aperta mox condemnationis sententia, in eum feretur*: Et in fine: *Eadem hæc ad Sanctos quoq; fratres & Coopiscopos nostros, Ioannem, Rufum, &c. perscripsimus, quo nostra, imò verò Divina Christi Domini Nostri sententia pluribus de eo sit manifesta.* Hæc Epist. à S. Synodo ejusdem Actis honorificè inscripta.

4. In

4. In alia Epistola ejusdem Cælestini ad Clerum & Populum Constantinopolitanum, manifestatur sententia Apostolicæ Sedis, adversùs Personam Nestorij: *Vtinam noveritis, sub qua definitione literas miserimus, ipsam sententiam fecimus subter adnecti, ut datam de ipso formulam cognoscatis.* Est autem post alia hæc sententia in proprijs verbis, eidem Epist. annexa: *Apertè igitur agnosce, hanc nostram esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ & Romana & Alexandrina, & omnis Catholica sentit Ecclesia: ac nisi hanc perfidam novitatem intra decimam diem à primo innotescentis tibi hujus executionis die numerandam deposueris, noveris te ab Vniversalis Ecclesiæ communione dejectum, & ad omnia quæcunq; Sacerdotalis auctoritatis sunt, minimè idoneum.* Hæc Pontificis Epist. cum appensa sententia, à Sacra Ephesina Synodo publicè lecta est, post depositiones contra Epistolam Nestorij factas, quæ & relata in Commentarios, antequam S. Synodus ad definitionem accessisset. ibid. cap. 19.

5. In accessu Concilij, omnes Episcopi Synodaliter congregati, unanimi voce exclamaverunt: *Sanctissimi Romani Episcopi scripta legantur.* Perlectâ igitur Epistolâ Cælestini ad Nestorium, & alterâ, quam de Fide scripserat, executioni mandant Pontificis sententiam, imò se coactos fuisse per Cælestini Epistolam, in sententia depositionis palam attestati sunt. *Sancta Synodus dixit &c. Coacti per Sacros Canones & Epistolam Sanctissimi Patris nostri Cælestini &c.* Post damnationis decretum; subsecutæ fuerunt Episcoporum acclamationes, quibus Cælestinum Pont. qui justo judicio impietates Nestorij jam ante confoderat, mirificè laudaverunt: testantur id literæ Synodales, die sequenti scriptæ ad Imperatores, quibus fatetur S. Synodus se â Pontifice præmonitam fuisse, in ferendo adversûs Nestorium anathematis fulmine. *Ipsum à Sacerdotio semovimus, Canonicèq; exauctoravi-* Part. 2. Conc. Eph. action. 1. ibid.

 mus,

mus, & laudavimus Cælestinum Sanctissimum Deoq; dilectissimum Magnæ Romæ Episcopum, qui ante nostram sententiam hæretica Nestorij dogmata condemnarat, nosq; in ferenda contra ipsum sententia anteverterat, prospiciens securitati Ecclesiarum, & piæ salutariq; fidei, à Sanctis Apostolis, Evangelistis, SS. Patribus nobis traditæ.

6. Manifestiora perhibentur testimonia supremæ Sedis Apostolicæ auctoritatis Act. 2. Die quâ Legati Cælestini Ephesum advenere, in Synodum à Patribus introducti, honorificèq; excepti, literas obtulerunt legendas à Pontifice ad Synodum datas, quibus executio sententiæ Pontificiæ præcepta erat. Quantâ omnium sententiâ dictæ literæ prædicatæ, & acclamationibus faustis exceptæ? loquuntur Acta Concilij: *Omnes Episcopi simul acclamaverunt. Hoc justum judicium, novo Paulo Cælestino: Cælestino custodi Fidei: Cælestino Vniversa Synodus gratias agit, unus Cælestinus, una fides Synodi, una Fides orbis terrarum.* Vincentius Lirenen. scriptor ejusdem sæculi, ait: *Omnes Episcopi acclamaverunt: hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces? atq; omnium vota? nisi ut quòd erat antiquitùs traditum, & Apostolico ore firmatum teneretur, quòd adinventum nuper, exploderetur.*

Act. 2. Conc. Ephes.

2. part. Cōmen. ca. 2.

7. Post hæc Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, de his quæ hactenus acta essent, quomodo uidelicet ex præscripto literarum Cælestini ad Cyrillum, Iuvenalem, & Rufum Episcopos, Nestorium ut hæreticum & contumacem, omnium Sententiâ condemnassent, formam præscriptam executioni mandantes, iudiciumq; Apostolicum in illum proferentes, eosdem Legatos certiores reddidit. At cùm postulassent Legati Apost. Sedis, ut Commentaria acta in depositione Nestorij legerentur, ipsorumq; Suffragio firmarentur, & auctoritate approbarentur, absq; reluctatione ulla subsecuta fuit lectio Actorum, prælibato

Act. 3. Conc. Eph.

bato in laudem Cæleſtini elogio à Theodoreto Ancyræ Epiſcopo totius Synodi nomine, Philippo Legato adijciente: *Nulli dubium* (inquit) *imò Sæculis omnibus notum est, quòd Sanct. Beatis. Petrus Apostolorum Princeps & Caput, Ecclesiæ fundamentum &c. Huius itaq; secundum ordinem Successor & locum tenens S. & Beatis. Papa Noster Cælestinus, Nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit.* Replicante continuò Cyrillo: *Quæ Arcadius & Projectus SS. Episcopi & Phylippus Religiosiss. deposuerint, perspicuè S. Synodus percepit. &c. Quare cùm ea quæ à Cælestino Sanctis. decreta iam fuerant, executi sint, Sanctæq; Synodi, quæ in hac Ephesiorum Metropoli convenit contra Nestorium, Sententiæ latæ adstipulati sunt; consequens est, ut eorum quæ hesterno hodiernoq; die acta sunt, commentarij superioribus Actis attexantur, ipsorum Pietati offerantur, quò propriâ obsignatione ut moris est, planam faciant ac manifestam cum omnibus Nobis Canonicam assensionem.* Mox acceſſit Legatorum cum inſcriptione depoſitionis ſententiæ confirmatio, iterataq; in præſentia eorundem Neſtorij condemnatio. Iam igitur moris fuerat priſcis illis ſæculis, ut Conciliorum Generalium Acta, firma, rataq; haberentur, Legatorum Apoſtolicæ Sedis opus fuiſſe munimine.

8. Nec illud ſilentio honorandum, quòd inter alia in hac S. Synodo actum eſt in cauſa Iuvenalis, Epiſcopi Hieroſolymitani, qui cùm primatum totius Syriæ & Palæſtinæ ſibi & ſucceſſoribus ſuis arrogandum tentaverit, Epiſcopis Synodi ferè omnibus voluntati ſuæ faventibus, ſolus Cyrillus auctoritate fretus Apoſtolicâ, cum Romanæ Curiæ Legatis, reſtitit Iuvenali, uotaq; omnium irritauit: Facit huius rei teſtimonium S. Leo *Epist. ad Maximum* Antiochenum Epiſcopum, licet in Actis Conc. Eph. nulla prorſus mentio habeatur. *Sicut etiam* (inquit) *in Ephesina S nodo quæ impium Nestorium cum illo dogmate suo perculit, Iuvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ Provin-* Epiſt. 62.

ciæ Principatum, credidit, se posse sufficere, & insolentiam au-sus est per contumacia scripta firmare: Quòd S. Cyrillus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit indicavit, & solita prece multùm poposcit, ut nullus illicitis cona-tibus præbeatur assensus.

9. Pro damnatione nonnullorum Pelagianorum, & Cælestianorum Nestorio adhærentium, lecti imprimis sunt Commentarij Romæ à Cælestino conscripti adversùs eosdem hæreticos, ex quorum præscripto, consecuta est eiusdem hæresis, & nominatorum hæreticorum damna-tionis acclamatio; eorum autem nomina tantùmmodo specificata sunt à S. Synodo, quæ in Commentarijs à Cæ-lestino connotata, inuenta fuerant. Additq; ibi eadem S. Synodus, adiumento precum Pontificis, hæreses uicis-se, & pietatis splendorem recepisse. Hoc totum adno-Ex Act. 5. Conc. Eph. tatur in *Epist. Relationis* ad Cælestinum.

10. Præterea referunt Pontifici sigillatim omnia & singula, quæcunq; in Synodo gesta fuere, idq; se præstare ex obligationis officio ipsi fatentur: *Quia verò necesse est,* Ibid. prope fin. *ut omnia quæ consecuta sunt Sanctitati Tuæ significarentur, non possumus non scribere &c.* Tandem universa adversùs Ne-storium, & eius asseclas acta, quò maius robur, firmita-temq; obtineant, iudicio Apostolico subijciunt: *Verùm quò illius temeritatem longanimitate uinceremus, etiamsi illam iustissimè legitimèq; subijsset, Pietatis Tuæ iudicio hoc reserua-uimus, iterum illos excommuincationi subijcentes, omniq; Sacer-dotali potestate exuentes. &c.* Et in fine: *Vt autem omnia quæ gesta sunt, clarè cognoscas, etiam Commentarios misimus, & Sy-nodi Subscriptiones, Valere Te & Nostri memores esse oramus Dominum, Dilecte & desideratissime.* Ex his omnibus per-cipit Lector, S. Synodum potestatem suam non aliam a-gnovisse, quàm Supremam revereri Pontificis Rom. au-ctoritatem, quæ in celebri totius planè terrarum orbis theatro, aperto ore depredicatur, à cunctisq; Concilij

Patri

Patribus, præclarissimis præconijs confitetur.

11. Audiatur tandem S. Prosper eorundem temporum scriptor, quid de Nestorij facto, & gloria Cælestini proferat: *Non erat* (inquit) *nouâ cum istis acie dimicandū, nec quasi contra ignitos hostes specialia ineunda certamina. Tunc istorum agmina fracta sunt: quando Venerabilis memoriæ Pontifex Cælestinus, Cælestium totius Italiæ finibus extrudi iussit, adeo, ut Prædecessorum suorum statuta, & Synodalia Decreta inuiolabiliter obseruanda censebat, ut quòd semel meruerat abscindi, non permitteret retractari. Nec verò segniori cura ab eodem morbo Britannias liberavit, siquidem inimicos quosdam gratiæ Dei: etiam ab illo secreto Oceani exclusit: Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ, geminâ peste purgatæ sunt, quando B. Cyrillo Alexandrino Antistiti fidei defensori, ad extirpandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio. Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehenderunt, maleloquentiæ est adepta libertas, quando librorum pietate laudata, quid oporteret de eorum pietate sentiri, sancto manifestavit eloquio.* hucusq; S. Prosper. Non tam Conciliorum, quàm Apostolicæ Sedis jurisdictionis gladio asserit S. Doctor in Orientalibus & Occidentalibus, etiam Galliarum Ecclesijs hæreses prostratas, serenitatem Catholico orbi restitutam, post sævas ac diras excitatas à Nestorio & Pelagio tempestates. lib. adver. Collat. prope fin.



EX CONTROVERSIA Ejusdem Sæculi *In Causa Eutychetis* OPPOSITIO VII. Auctoris Anonymi.

„ IN Concilio (inquit) Chalcedonensi, examinata est
„ Epistola S. Leonis, & causa Eutychetis magno judi-
„ cio retractata, cùm tamen antea errorem Eutychetis
„ S. Leo, celeberrimâ illâ Epistolâ ad Flavianum confo-
„ disset: Impetraverat etiam antea Dioscorus Alexandri-
„ nus Patriarcha, qui susceperat Eutychetis Patrocinium
„ favore Crisaphij Eunuchi à Theodosio Augusto, ut quod
„ Romæ judicium latum erat, in judicium revocaretur,
„ cui annuit S. Leo, Legatosq; misit ad Synodum. Per-
„ svasum igitur habuit S. Pontifex, hocq; omnis credebat
„ cum eo cætus fidelium, judicium suum non esse irretra-
„ ctabile, supremumq; & ultimum judicium residere non
„ in Pontifice Romano, sed in Ecclesia Universali, per
„ Concilium Oecumenicum repræsentatâ. „

CAPUT VII.

Ex Causa Eutychetis, & Chalcedonensi Concilio, clarissimis argumentis iudicium ultimum & irretractabile Romani Pont. ostenditur, & argumentum A. A. auctoritatibus publicis confutatur?

I. SEx noto in oppositione A. A. momenta; Primum recen-

recenset dicens: *In Chalcedonensi Synodo examinatam fuisse S. Leonis Epistolam, quâ errores Eutychetis damnaverat.* Secundò subdit: *Causam Eutychetis magno judicio retractatam.* Tertiò: *Dioscorum à Theodosio favore Crisaphij Concilium impetrasse, ut quòd à Leone decretum fuerat, in judicium revocaretur.* Quartò subijcit: *S. Pontificem eidem Concilio annuisse.* Quintò: *Legatos ad eandem Synodum auctoritate Imperatoris coactam, misisse.* Sextò tandem infert: *ipsum eundem Pontificem, cum toto fidelium cœtu persvasum habuisse, supremum & ultimum judicium residere non in Pont. Romano, sed in Ecclesia Vniversali per Concilium Generale repræsentatâ.* Non dubito certum fore consequens argumenti, si de assertorum antecedentium constaret certitudine, quam demonstrare Adversarius tum poterit, cùm textores Conciliorum universos errasse docuerit. Cavillationes sunt A. A. nihil habentes soliditatis, dicam clarius: nec umbram veritatis, quòd utiq; ex Actis Chalcedonensis Concilij uniformibus, palam aperietur.

2. Quò ad examen Epistolæ Leonis, nullum reperitur vestigium in toto Chalcedonen: Concilio apud Crabbe, Binum, Labbeum, Bail, collectores actuum Conciliorum celeberrimos, neq; in tomis Conciliorum Romanæ editionis. Actione 2da tantùmmodò notatur, lectam fuisse publicè Encyclicam S. Pontificis Epistolam, quâ Eutychetis blasphemias confoderat, hoc autem ideo actum est, Legatis Sedis Apostolicæ præcipientibus, ut Dioscori fides perscrutaretur, an doctrinam Catholicam quam S. Leo juxta traditionem Apostolicam constanter in Epistola expresserat, sequeretur? an aliam, quam Eutyches docuerat? idcirco primum omnium lectum in Actione dicta, Sacrum Nicæni Symbolum, secùndumq; ejus definitionem sensisse veteres Patres, Cyrillum quoq; & Leonem, contestati sunt omnes. Recitatum est pariter Symbolum Constantinopolitani Concilij Oecume- Respon. ad 1.

nici:

nici: postea duæ S. Cyrilli Epistolæ. Tandem gloriosa
ex Actio. Epistola S. Leonis publicè recitari jussa est. Quid autem
2da Conc. post lectionem ejus egerint conscripti Patres? nihil aliud
Chalced. legitur, quàm quòd unanimiter exclamaverint: *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: Orthodoxi ita credimus: anathema qui ita non credit: Petrus per Leonem locutus est: Apostoli ita docuerunt: piè & verè Leo docuit, Hæc vera fides: Catholici ita sapimus: hæc Dioscorus occultavit &c.*

3. Fuerunt quidem nonnulli ex Ilyrico, & Palæstina, Episcopi, qui ex aliquibus Epistolæ uerbis dubitationem concepere, quòd insertum audierant, Naturam Divinam ita inviolabiliter humanæ unitam esse, ut mori posset ex uno, & mori non posset ex altero, at conquiescentibus & comprobantibus cæteris omnibus, quidam deputati sunt Episcopi, ut ignorantes Illyricos, in his quæ fidei essent, intra quinq; dierum spatium instruerent, quibus peractis, Actio secunda finita est. Hoc tantùm de Epistola S. Leonis legitur; de examine illius, nullibi quicquam comperitur, producat Adversarius sessionem, baptiset Auctorem, ubi de tali mentio fit discussione.

4. De Causa Eutychetis magno judicio retractata, nec unum jota notatum in omnibus Synodi sessionibus,
ad 2dum. quinimo ad nutum Apostolicæ Sedis, conclamantibus Universis, unâ cum Dioscoro condemnatum fuisse, loquuntur passim Concilij paginæ. Novimus equidem Eutychetis causam, post damnatum illius errorem, retractatam fuisse, at non in Chalcedonensi Concilio, verùm in Ephesino latrocinio, rectore atq; auctore Dioscoro, illud ni fallor Chalcedonensis loco voluit posuisse Adversarius: sed quid concluderet inde? certè non aliud, quàm hæreticorum, vel schismaticorum Conventicula, auctoritate veri & legitimi Ecclesiæ Catholicæ Pastoris, esse superiora. 5. Im-

5. Impetraverat etiam (inquit) antea Dioscorus, ,,
qui susceperat Eutychetis patrocinium favore Crisaphij ,, ad 3.
Eunuchi à Theodosio, ut quod Romæ judicium latum ,,
erat, in judicium revocaretur. ,, Fateor Dioscorum à ,,
Theodosio iteratum impetrasse judicium in præjudicium
Apostolicæ Sedis. sed quale? truculentam illam Ephesinam Synodum, in qua nihil, nisi per vim & metum tentatum, & extortum, in qua locò Sacrorum Canonum, gladij & fustes, *milites cum gladijs & fustibus instabant:* locò libertatis suffragiorum, *violenta facta est vis cum plagis*, in qua pro Dei laudibus, *minæ exilij tendebantur:* in qua siluerunt Episcopi, clamaverunt hæretici, *Timebamus & fustes & gladios:* In qua hæresis est stabilita, nullus servatus est à SS. Patribus sancitus ordo judicij, nulla viguit censura Canonum & Decretorum, *minabatur nobis damnatio:* in qua de oppressa fide Catholica, impietas triumphavit. De qua in universa Catholica Ecclesia auditi sunt undiq; gemitus, luctus & clamor. De qua ijdem ipsi qui subscripserant Orientales Episcopi, repleti sunt undiq; lachrymis, seipsos erubescentes, aspectusq; suorum vitantes, quòd tam ignaviter fidem Catholicam prodidissent, infamem hæresiarcham restituissent, & Sanctū Flavianum cum Orthodoxis Episcopis condemnassent: *Milites propter hoc accepit Dioscorus: unde quicquid egimus terrore compulsi fecimus. Peccavimus tamen omnes, veniam postulamus, etiamsi per vim & necessitatem in pura charta coacti fuerimus tunc subscribere.* Omnia ista ijdem Antistites, qui Ephesi interfuere, in Chalcedonensi Concilio vivâ voce confessi sunt. Hoc ita ideo utiq; factum, quia absq; auctoritate Romani Pont. perperam actum. Hæc de retractatione judicij Pontificij ex Actis Concilij Chalcedonensis.

ex act. 1. Chalced. Conc.

ibid.

6. Annuit (prosequitur A: A:) S. Leo eidem Concilio, Ephesino videlicet, quod Dioscorus impetraverat

favore Crisaphij. Alterum indigestibile commentum, veritati historicæ omnino dissonum, de assensu Pontificis in congreganda Pheudo-Synodo Ephesina. Audiantur ex ore Leonis prodeuntia in contrarium testimonia, in rescriptis ad Theodosium, à quo binis Epistolis sollicitatus erat, de indicendo Ephesi Episcoporum Conventu: In Responsorijs ad primam, ut anteverterat mala, quæ præsagiebat inde esse ventura, persvadere Imperatori conatus est, ut ab ejusmodi instituenda Synodo abstineret, sineretq; potius aliud in Italia haberi Concilium: *Pro integritate* (inquit) *fidei Catholicæ, Christianum Principem convenit, esse solicitum, & hoc indefessis precibus Divinam misericordiam posco, ut cordi vestro id quod est veritatis inspiret, neq; falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur.* hæc ingerit ideo exordio Epistolæ S. Leo, quòd bene nosset malignitate Crisaphij in odium S. Flaviani, omnia ista dolosè peragi: sed prosequitur: *A me autem atq; ab omnibus Catholicis Sacerdotibus, quæ Evangelicæ fidei pietas defendit, satis plenè ac dilucidè literis meis ratum est &c. Nos enim Venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma persvasum meritò anathematisavimus, ita justè horum etiam impietatem damnamus. Vnde si Pietas vestra suggestioni nostræ dignetur annuere; ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, cito auxiliante Deo, poterunt omnia scandala resecari.*

ad 4tum.

Epist. 9.

7. Rursum verò, cùm alijs instaret Theodosius, pro eodem Ephesi Concilio, rogaretq; Pontificem, ut suam quoq; præsentiam ibidem exhiberet, disuadere iterum conatus est, non iudicans in re tam perspicua, aliam esse consultationem adhibendam, Suamq; ut adesset præsentiam, nullam permittere rationem asseruit. *Acceptis* (inquit) *Tuæ Clementiæ literis: unde ad diem Concilij Episcopalis, quem Pietas Vestra constituit, occurrere me nulla ratio permittit, cùm nec aliqua de hoc exempla præcesserint: præsertim cùm*

Epist. 17.

cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: Quin non talis quæstio orta est, unde aut possit, aut debeat dubitari. Illud ipsum clarè testificatur Chalcedonensis Synodus *Actione* 1*mâ* inferius referenda, ubi Dioscorus à Synodo eijcitur, quòd absq; consensu Apostolicæ Sedis, indultu Imperatoris, Synodum congregaverit; *quòd nunquam factum est, nec fieri licuit.*

8. Quòd autem S. Leo miserit ibidem postea Legatos potentiæ Imperatoris cedens, necessitate adactus erat, ne fidei causa dispendium aliquod pateretur, quam sciret in Concilio temerariè facto præcipitem, studijs fautorum Eutychetis Imperatorem abducentium; Epistolam per eosdem misit, quâ legem Synodo præscriberet, quid decernendum esset, quidve de Verbi Incarnatione sentiendum, ex sententia Apostolicæ veritatis universi acciperent. Verùm cùm & Legati auctoritate exuti, & Catholica Leonis Epistola à scelestissimo Dioscoro suppressa esset, idcirco tam ægregium nomen Synodus illa consecuta est, ut non Sacrosanctum Concilium Oecumenicum diceretur, sed Synodus Prædatoria, & Latrocinium Ephesinum nuncuparetur.

9. Persvasum igitur habuit (concludit Adver.) S. ,,
Pontifex, hocq; omnis credebat cum illo cætus fide- ,,
lium, judicium suum non esse irretractabile. ,, Ex falso ,,
antecedente, non nisi falsum sequi consequens, necesse est. Falsitatem antecedentis satis opinor demonstratam, Summum Pont. Leonem pro cogenda Ephesina Synodo, in qua judicium suum exuflatum fuerat, nequaquam consensisse. Falsitas Consequentis superest præterea declaranda, ex vivis ipsius S. Leonis oraculis, quàm constantissimè ille supremam Sedis Apostolicæ auctoritatem, multis in locis propugnaverit.

10. Primò; in hac ipsa Eutychetis causa, Aposto-

 lici

lici throni absoluta contra hæreses vindicavit jura: Perceptâ namq; Eutychetis querimoniâ, tabellariorum industriâ Romam perlatâ, S. Pontifex tamquam pro tribunali eminentiori sedens, ut legitimus Universalis Ecclesiæ judex, monet S. Flavianum, ut res gestas significet Apostolicæ Sedi, ibiq; parandum esse judicium: *Fraternitas Tua, per idoneam maximèq; aptam Personam, plenissimâ nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quòd severiori sententiâ, dignum fuerit vindicari: ut amputatis dissensionibus, fides Catholica inviolata servetur, & his qui prava defendunt ab errore revocatis Auctoritate Nostra, quorum fides probata fuerit, muniatur.* Non digreditur ad Oecumenicum Concilium, sed ad solius Apostolicæ Sedis forum provocat.

Epist. 8.

11. Et ad Ephesinam sub Dioscoro PseudoSynodum, quæ sibi Oecumenicæ nomen arrogaverat, scribens; validissimis demonstrat scripturæ argumentis, omnia occurrentia in fide dubia, in Petri Cathedra esse resolvenda, cujus confessionem qui non vult capere, Christi Evangelio vult contradicere. *Religiosa* (inquit) *Clementissimi Principis fides: hanc reverentiam Divinis detulit institutis, ut ad Sanctæ dispositionis effectum, auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tamquam ab ipso Petro cuperet declarari, quòd in ejus confessione laudatum sit, quando dicente Domino: quem dicunt homines &c. Princeps Apostolorum plenitudinem fidei brevi sermone complexus est: Tu es inquit Christus &c. Quòd si Eutyches intelligeret & veraciter crederet, nequaquam à hujus fidei tramite deviaret, propter quam ipsi respondetur à Domino, Beatus es Simon Bariona &c. nimis autem à compage hujus ædificij alienus est, qui & B. Petri confessionem non capit, & Christi Evangelio contradicit &c.*

Epist. 15.

12. Ad Archimandritas Constantinopoli degentes, de sua pervigli, & absoluta in protegenda fide Catholica auctoritate, hæc habet: *Memor sum, me sub illius nomine Eccle-*

Epist. 32.

Ecclesiæ præsidere; cujus à Domino IESV Christo est glorificata confessio, & cujus fides omnes quidem hæreses destruit, & intelligo mihi aliud non licere, quàm ut omnes conatus meos, ei causæ in qua Vniversalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam.

13. Concilio tandem Chalcedonensi, prohibet in disputationem vocare ea, quæ ab ipso in Epistola ad Flavianum contra Eutychetem de fide declarata & definita erant. *Vnde FF. Charissimi rejectâ penitus audaciâ disputandi contra fidem Divinitus inspiratam, variæ errantium in fide lites conquiescant, nec liceat defendi, quòd licet credi, cùm secundùm Evangelicas auctoritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicam doctrinam, plenissimè & lucidissimè per literas, quæ ad Beatæ memoriæ Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramenti Incarnationis Domini Nostri pia, sinceraq; confessio.* Ex his ipsiusmet Leonis auctoritatibus unicuiq; constat, quid S. Pontifex de Apostolica in Concilia Generalia Potestate, persvasum habuerit, & num Adversarius absq; notabili in veritatem crimine, in oppositione retulerit. Epist. 47.

14. De Fidelium cætu, sicut & Ecclesiæ Gallicanæ fide Antistitum, quid eo ipso tempore cum Leone, & in ipso crediderint? referam inferius: percunctanda prius Generalis hujus, Chalcedonensis videlicet Concilij causa, ob quam S. Pontifex, absq; juris sui discrimine, eidem convocandæ, assensum præbere compulsus est, cùm ante Ephesinæ renuerat.

PARAGRAPHVS I.

Cur S. Leo permittit Concilium Generale Chalcedonense post damnatum dogma hæreticum, & percussum anathemate Eutychetem.

I. TOtam breviter ac dilucidè exponendam putavi historiam, quò clarius Lector intelligat, quàm multa

dissona & Religioni Catholicæ obvia, etiam in Conventibus Synodicis, plerumq; fuerint perpetrata, quæ erant contra voluntatem Romani Pontificis disceptata; illa è contrario omnia orthodoxè habita, quæ mentem ac judicium Pontificis secuta sunt: Ex quo & auctoritatem Romanæ Sedis in Concilia, & eorum convocandorum motiva intelliget.

2. Damnato in Constantinopolitana Provinciali Synodo Eutychete, nihil non movit Crisaphius Imperatorij cubiculi Præfectus in Hæresiarchæ favorem, à quo olim Sacro baptismatis fonte fuerat ablutus, ut legitimè à Flaviano confecta in Synodo acta, irrita redderet, & in ipsum damnationis pœnam converteret. Hujus rei causa imprimis permovit Theodosium, ut ad S. Leonem pro Eutychete scriberet: cùm verò ejus postea sciret infracti animi robur, & non nisi solidam & justam sperandam ab eo sententiam, judicium antevertit Crisaphius, & quod parabatur examen, conatus est eludere, dum persvasit Imperatori, ut Constantinopoli Episcopos convocaret, qui causam Eutychetis sint cognituri; eidemq; triginta Episcoporum Concilio, quem vellet Eutyches, ut præsideret Theodosius Cæsareæ Episcopus, suâ dexteritate præfecit. Verùm cùm nihil Eutyches in dicta Synodo proficeret, petijt Dioscorum Alexandrinum Episcopum, ut quæreret quæ de illo acta sunt, ageretq; apud Imperatorem, Universale fieri Concilium, ut improbaretur Synodus Flaviani. Scripsit Dioscorus Theodosio; quia aliam omnino fieri Synodum oporteret, & quòd ut fieret persvasit; annuit Imperator, ut non alibi, quàm Ephesi convocetur. Hoc favore factum esse Crisaphij tradit Nicephorus. lib. 14. ca. 47.

3. Quoniam verò Imperator noverat, nullum fore Concilium Oecumenicum absq; Romani Pont. nutu, (quòd ex literis Cælestini in convocanda Ephæsina Oecumeni-

menica Synodo didicerat) cognosceretq; S. Leonem Eutycheti adversaturum; illud inijt consilium, ut ita vocaret eum, ut tamen ne adesset, caveret; idcirco angustissimo termino tempus clausit, ut adesse non nisi cum magno incommodo potuisset, ut ipse testatur *Epist.* 13. Obstitit Imperatori idem Pontifex, eumq; blandè licet reprehendit, haud dignam existimans causam, pro qua Synodus Generalis deberet congregari, cujus negotium sententiâ Apostolicâ terminatum fuerat. sup. Epist. 17.

4. At cùm S. Pontifex nec reprimere Theodosium valuisset, ab ejusmodi cogendo Ephesi Concilio, nec ut commodiori in loco ageretur persvadere potuisset: Deus Opt. ad confundendam Imperatoris præoccupati arrogantiam, quâ Pontificem per Ephesinam Synodum fallere voluerat, & demonstrandam Apostolicæ Sedis obsérvantiam, rem mirabiliter disposuit. Conveniunt Ephesum Episcopi; Dioscorus Eutychetis fautor, Rector Concilij, Imperatoris sacrâ præficitur. Scribit per Legatos Epistolam S. Pontifex, quâ lex Synodo datur, quidve decernendum sit præscribitur, sed quoniam non Sanctorum Concilium, sed violentorum grassatorum fuerat Latrocinium, petulanter Sacræ Pontificiæ literæ rejectæ sunt: Legati minimè recogniti; eò res prosilijt, ut anathema à Synodo diceretur ijs, qui duas in Christo naturas constituerent. Appellavit S. Flavianus à nefaria Impij Concilij sententia, ad Leonem; verùm cùm scriptum appellationis palam obtulisset, cæsus est, (inquit Liberatus) & multis injurijs affectus, migravit ad Dominum. sup. Epist. 15. in Brev. cap. 12.

5. In tam perhorrendo negotio, sola navicula Petri salvatur emergens incolumis, cùm enim omnes Episcopi, & Eutychetis impietati, & ejus restitutioni suffragati essent, tantùm modò Apostolicæ Sedis Legati in faciem Synodo restitere, contestantes; nullius esse roboris, quæ contra mandata ac judicium Apostolicum,

per

per vim & metum extorquerentur. Quia verò Sacrilegum Conciliabulum edicto Theodosij fuerat roboratum, totaq; Orientalis Ecclesia in luctu, bienni fermè temporis spatio perseverasset. S. Leo pro resarcienda Ecclesiarum ruina, conciliandis ac deducendis in viam rectam Orientalibus Episcopis, hæretico adhærentibus, de instituendo in Oriente Oecumenico Concilio summoperè cogitavit, scripsitq; Theodosio cum lachrymis & gemitibus, ut eidem peragendo succurreret: digna lectu Epistola, quâ Imperatorem gravius obstringit, & reprehendit: *à temporibus* (inquit) *Pietatis Tuæ, omne*
Epist. 25. *Christianæ fidei Sacramentum excluditur, nisi hoc scelestissimum Eutychetis facinus aboleatur.*

6. Inobediens Pontifici Rom. Imperator Theodosius, (ut ex literis ejus ad Valentinianum colligitur) à Deo terribili, qui aufert spiritum Principum, è medio
lib. 14. ca. 49. viventium sublatus est, non tamen sine debita (ut refert Nicephorus) in expiationem commissi sceleris pœnitentia. Hæc erat convocandi Concilij Oecumenici causa, non ad damnandas præcipuè Eutychetis impietates, quæ jam Decreto Apostolico explosa fuerant; aut explorandam Decretalem Pontificis sententiam, ut fabulantur Adversarij, sed ad sepeliendos in Oriente Episcoporum tumultus, qui favore Theodosij invaluerant, vindicandamq; contra Dioscorum supremæ Catholicæ Ecclesiæ Præsulis reverentiam, atq; toti orbi depredicandam Apostolicam Petri per os Leonis loquentis, adversûs Eutychetem sententiam.

congregat. Syn. Chalc. cum assensu Roman. Pont.

7. Insulsè quoq; inijciunt malevoli, hanc Universalem Synodum, solâ Imperatoris sacrâ fuisse congregatum, absq; prævio Romani Pont. assensu, & auctoritate. Legant qui necdum compererunt literas Martiani, Theodosij in Imperio successoris, & digitis labella compescant: „Pro reverentia (inquit) & Catholica Religione

Catholicæ fidei, cujus auxilijs virtutem noſtræ poten- ,, apud
tiæ confidimus gubernari, Tuam Sanctitatem Principa- ,, Lab.
tum in Epiſcopatu Divinæ fidei poſſidentem, ſacris lite- ,, part. 1.
ris in principio juſtum credimus alloquendam &c. Ta- ,, Conc.
le propoſitum atq; deſiderium habeamus, quatenus o- ,, Chalc.
mni impio errore ſublato, per celebrandam Synodum, ,, Epiſt.
TE Auctore maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei ,, 33.
Catholicæ fiat, ab omni ſcelere pura & incontaminata ,,
perſiſtens. ,, Et in alijs ad eundem Pontificem. ,, Su- ,,
pereſt ut ſi placuerit Beatitudini Tuæ in has partes ad- ,, ibid.
venire & Synodum celebrare, ſi verò hoc onéroſum eſt, ,, Epiſt.
ut Tu ad has partes advenias, hoc ipſum proprijs literis ,, 34.
Tua Sanctitas manifeſtet, quatenus & in omnem Orien- ,,
tem, & in ipſam Traciam, & Illyricum noſtræ literæ ,,
dirigantur; ut ad quendam deſtinatum locum ubi Vo- ,, locus
bis placuerit, omnes Sancti Epiſcopi debeant convenire, ,, Conc.
& quæ Chriſtianæ Religioni, & Catholicæ fidei proſint, ,, petitur
ſicut Sanctitas Tua definierit, ſua diſpoſitione declaret.,, ,, à Pont.
Hæc ad Leonem Martianus pro Synodo Oecumenica, quam inconſulto Pontifice haud celebrandam exiſtimavit.

8. Reddidit reſponſorias Pontifex, de differendo agens Concilio. Anno verò ſequenti miſit alias eidem Imperatori, de indicta Synodo ſignificans, & ut fidei Catholicæ Patrocinium ſuſcipiat ſolicitans. Item ad Concilium Chalcedonenſe Epiſtola apertè ſignificat, Imperatorem non alio modo hanc voluiſſe celebrari Synodum, quàm *Beatiſſimi Petri jure, atq; honore ſervato.* Jam ad ipſam Sanctam, Oecumenicam, omniumq; mamam Synodum accedendum, quidve de viſibili Capite, ejuſq; auctoritate differuerit? qualem ipſa recognoverit? per omnes ſeſſiones tranſcurrendum.

Epiſt. 43.

Epiſt. 47.

W PARA-

PARAGRAPHUS II.

Sexcenti Patres in Maxima Chalcedonensi Synodo, Universalem repræsentantes Ecclesiam, scriptis, factisve recognoscunt à Sede Apostolica dependentiam, omnemq; Potestatis Plenitunem in Romano Pontifice vivis vocibus profitentur.

1. SI nullum aliud extaret documentum pro demonstrando Throni Apostolici culmine, super Universam tam Dispersam, quàm Congregatam Ecclesiam, unius Chalcedonensis & omnium Maximi Concilij, sufficèret auctoritas, quod factis scriptisq; adeo plenum est testimonijs, ut facilè sit illud ingredi, difficilè exitum invenire: brevibus nihilominus quæ judicio meo videntur clariora, hìc reproducentur.

2. Consedentibus in Synodo Patribus, prima à Paschasino Apostolicæ Sedis Legato vox intonuit: *Beatissimi atq; Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio.* Adjecit Lucentius, alius ejusdem Sedis Legatus, ipsum non esse dignum qui in Synodo sedeat, eò quòd Synodum ausus est congregare, absq; consensu Apostolicæ Sedis, *quòd nunquam ritè factum est, nec fieri licuit.* An Sacra Synodus mandato Leonis obtemperaverit? audiantur verba illius: *Nunc vestra Sanctitas* (alloquitur Legatos) *auctoritatem tenet Sanctissimi Leonis; & cognovistis singula quæ in Epheso injustè facta sunt, & omnia quæ ibi gesta sunt vestræ Sanctitati innotuerunt, Petimus igitur vestram Sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum Sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum, & re-*

act. 1. Concil. Chalc.

ibid.

& regulis insitam contra eum proferre sententiam, omnis enim & tota Universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis sententiæ. Tria hîc observantur: Primò, S. Synodus non propriâ sed S. Leonis auctoritate procedit contra Dioscorum: Secundò, sententiam postulat ab Apostolicæ Sedis Legatis. Tertiò: concors efficitur Universa Synodus, quidquid Legati Leonis adversûs Dioscorum pronunciaverint.

3. Paschasius ergo Lucentius, & Bonifacius, locumtenentes Romani Pont. sententiam formaverunt in tenore sequenti: *Quia Eutychetem regulariter damnatum, irregulariter suscepit &c. super hæc verò neq; Epistolam legi permisit Beatissimi Papæ Leonis scriptam ad sanctæ memoriæ Flavianum: sed & secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit, præsumpsit enim excommunicationem dictare, adversûs Sanctissimum & Beatissimum Archiep. Magnæ Romæ Leonem: ideo contra se elicuit sententiam, unde Sanctissimus & Beat, Archiep. Magnæ Romæ Leo per Nos & præsentem Sanctam Synodum, unâ cum ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est Petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatûs dignitate, quàm etiam omni Sacerdotali alienavit mysterio.* Hanc Legatorum sententiam, sequuti sunt Patres Universi, sigillatim unusquisq; damnans Dioscorum, eò quòd ita à S. Leone statutum; & ab ejus Vicarijs pronunciatum fuerat.

act. 3. Concil. Chalc.

4. Tres, in hac Synodica adversûs Dioscorum sententia, damnationis causæ recensentur. *Prima*; quòd Eutychetem à S. Leone è numero fidelium proscriptum, in communionem susceperit: Per quod, jus absolutum de Hæresibus judicandi independenter ab Universali Concilio, Romano Pont. adstruitur. *Secunda*: quòd Epistolam Leonis Ephesum ad Synodum missam, quâ Decretum fidei continebatur, & lex Concilio præscribebatur,

tur, suppresserit: Hinc Jurisdictio Pontificia dignoscitur, dubia in fide terminandi, & Concilijs quid decernendum observandumve sit, officij esse Apostolicæ Sedis præscribendi. *Tertia*: Sententiatur Dioscorus ob temerarium Synodaliter factum adversùs Leonem judicium: Unde & Conciliorum officium, & Apostolicæ Sedis haud ab aliquo judicandæ, intelligitur privilegium.

5. Completâ tertiâ sessione, Sacra Synodus duas expedijt Epistolas, ad Valentinianum & Martianum Imperatores unam, factum de damnatione Dioscori denunciando, in qua hæc notantur: „Nos igitur considerantes: hujus rei Auctorem comperimus Dioscorum, quondam Alexandrinorum Episcopum: Primum quidem *quia Epistolam à Sanctiss. Archiep. Senioris Romæ Leone directam, recitari prohibuit RR. Episcopis Ephesi congregatis*: Secundò verò Eutycheti ægrotanti impietate Manichæi, & legitimè abdicato, tàm Sacerdotum, quàm Monachorum Principatum ante Decretum Synodale irregulariter reddidit: *& hæc cùm Sanct. & Beat. Magnæ Romæ Episcopus Leo per easdem literas convenientia decrevisset, & scelestissimam Eutychetis inscriptis damnasset perfidiam &c.* Sed quoniam super alias suas nequitias, *& adversùs ipsam Apostolicam Sedem latravit, & excommunicationis literas adversùs Sanct. & Beat. Papam Leonem facere conatus est &c.* decenter ab Universali Synodo Sacerdotio est denudatus, & ab Episcopali dignitate pronunciatus est alienus.„ Quibus, iterum à Synodo vindicatur suprema Pontificis Potestas in dirimendis fidei controversijs; hîc pœnâ plectitur Dioscorus, quòd contra Leonem in Synodum Ephesinam agentem latraverit.

habet. post act. 3. Concil. Chalc.

6. In secunda Epistola ejusdem S. Synodi ad Pulcheriam Augustam, hæc inserta sunt præconia. „Consonamus (inquiunt) Universis magisterijs pietatis: qui enim dispergebat extinctus est, Sopitus est persecutor,

Ibidem.

Prin-

Princeps tempestatis explosus est: ipsiq; naves suas in ,,
cursu repetiere Rectores: Christo ad intelligentiam pro- ,,
sperè dirigente, *qui ostendit in Leone mirabili veritatem, quia sicut sapiente Petro, ita & isto utitur assertore.* Assertor veritatis appellatur Leo à Synodo in damnando Dioscoro, tametsi in Concilio Generali judicatus fuerat.

7. Non prætereundæ Sacræ aliæ Valentiniani Placidæ & Eudoxiæ ante hoc Concilium ad Theodosium datæ literæ, quæ in hac S. Synodo lectæ, & ejusdem Cathalogo inscriptæ sunt. ,, Rogatus sum scribere Vestræ mansvetudini de fide, quàm nos à Nostris majoribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, & *dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam*, & in nostris temporibus conservare; *quatenus Beatis. Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotio judicare:* Dom. San. ac Ven. Imperator. Hujus enim gratia, *secundùm solemnitatem Conciliorum*, & Constantinop. Episcopus cum per libellos appellavit, propter contentionem quæ orta est de fide. Huic itaq; postulanti & conjuranti salutem nostram communem: ad Mansvetudinem Tuam petitionem ingerimus, ut prædictus Sacerdos congregatis &c. *Sententiam ferat, quam fides, & ratio veræ Divinitatis expostulat.*,, Credebatur ergo pristinis illis sæculis à Principibus, mundum universum Monarchicè gubernantibus, Pontificis Romani in Concilia præeminentia, ab antiquitate jam ante dudum agnita, quandoquidem congregandis ex omni orbe Sacerdotibus soli Leoni adjudicatur ferenda de fide sententia.

Epist. 25. 1. part. Conc. Chal.

8. Prodeat ex ijsdem Actis, & illud Pijssimæ Placidæ, & Augustæ Matris, ad eundem Theodosium: ,, Hâc itaq; gratiâ Tua Mansvetudo turbis resistens, veritatem fidei Catholicæ Religionis immaculatam servari præcipiat, ut se-

ibid. Epist. 26.

„ *ut secundum formam & definitionem Apostolicæ sedis, quam &*
„ *Nos tamquam præcellentem, similiter veneramur in statu Sacer-*
„ *dotij: ad concilium Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in*
„ *qua Primus ille, qui cælestes claves dignus fuit accipere, Princi-*
„ *patum Episcopatûs ornavit.* „ Tandem concludit: Diligen-
„ tius autem etiam in hoc providete, ne quòd priscis tem-
„ poribus nostra generatio custodivit, Sub Nobis imminui
„ videatur, & per præsens exemplum Schismata generentur
„ inter Episcopos, & Sanctas Ecclesias. „ Hæc erat antiquorum Fides verè Catholicam Religionem profitentium, de Cathedræ Petri præcellentia; hæc Universalis Orthodoxorum regula, à cuius tramite nec ungue secessit hæc Sacra Oecumenica Synodus, magnis vocibus acclamando: *Anathema ei, qui ita non credit: Petrus per Leonem ita locutus est: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credunt: Catholici ita sapimus:*

9. Sessione quarta, proposita est causa Episcoporum qui cum Dioscoro præfuerunt improbo Ephesino Conuẽtui, ingrediq; Synodum permissi, à qua expulsi erant, mox iussi sunt ab Apostolicæ Sedis Legatis dicere in Eutychetem & Dioscorum anathema, sed detrectantes id facere ante Episcopi Alexandrini electionem, quem in subscriptione essent secuturi; omnes Episcopi acclamaverunt: *quare dogma non anathematisant? subscribant Epistolæ Leonis: Epistolæ Leonis consentiant: eludere nos volunt & discedere.* Apostolicæ Sedis Legati per Paschasinum dixerunt, *Dicant qui consentiunt Epistolæ Apostolicæ Sedis:* Hieracus Ægypti Episcopus nomine cæterorum reposuit: *Si quis præter ista, quæ à Nobis in petitionibus porrecta sunt, sapit; sive Eutyches, sive alter aliquis, anathema sit: De Epistola autem Sanctiss. & Deo dilectissimi Archiep. Romani Leonis, sciunt omnes Sanctissimi Patres Nostri, quia in omnibus expectamus sententiam Beatissimi Nostri Archiep. Rom.* Urgentibus iterum Patribus, ut literis Leonis subscriberent, renue-

ex Act. 4. Conc.

nuerunt calcitrantes Episcopi, de fide esse certamen respondentes; sed audi disceptationis finem.

10. Paschasinus Leonis vices agens, renuentibus Episcopis: *Tot annorum* (inquit) *Episcopi in Ecclesia senescentes, usq; ad hoc tempus fidem rectam Catholicam ignorant, expectant adhuc alienam Sententiam.* His Paschani verbis subsecuta fuit rursus Synodi acclamatio: *Qui non consentit Epistolæ Sanctis. Leonis hæreticus est: anathema Eutycheti & credentibus ei: subscribant Epistolæ Leonis, qui non ei subscribit hæreticus est.* Duodecies misericordiam postulasse leguntur dicti Episcopi prostrati super terram, ne inter hæreticos computarentur, sed si placeret S. Synodi, primùm in locum Dioscori, Antistes Alexandriæ deputaretur, quem in subscriptione pro more sibi solito sequerentur. At S. Synodus voci Leonis in puncto obtemperans, nihil petitioni eorum annuere voluit, sed ut subscriberent Epistolæ Leonis continuò acclamavit. Moderata nihilominus fuit sententia, adhibitâ cautione per Paschasinum, cujus firmum judicium Universi Patres confessi sunt. ibid.

11. Sessione 6ta, Lecta fuit Epist. Martiani Imperatoris, ex qua colligitur, arbitrio Romani Pont. hanc Synodum peragi voluisse, cùm inter alia illud magnopere inculcaverit, quòd à S. Leone admonitus fuerat, Patribus significandum, ne aliquis de Incarnatione Dominica super ea audeat disputare, quæ à S. Leone, qui Apostolicum gubernat Thronum, ad Beatæ memoriæ Flavianum in literis definita erant. Et in responsorijs ad Principem, eadem S. Synodus pro Pontifice, quem Eutychiani jam blasphemijs proscindere inchoarant calumniantes, nimirum ab ipso innovatam Catholicam fidem, hæc subdidit: „ Conferre namq; oportet Vestram Pietatem, quia nihil præter fidem, quæ olim à Sanctis PP. annunciata est, Venerabilis Pontifex innovavit: atq; ut nulla his, Ex act. Conc.

„ la his, qui Apostolicum Virum per invidiam lacerare ni-
„ tuntur, relinquatur occasio, consonantiæ Epistolæ ejus,
„ ad Sanctorum PP. testimonia ad certiorem notitiam
„ Vestræ Pietatis, ex multis pauca subdimus &c. „ Tandem prosequuntur: adijci debere auctoritates tum Græcorum, tum Latinorum Patrum, quibus Pontificis Epistola, in omnibus firmæ & solidæ veritatis esse, luce clarissima demonstraretur. Donotant SS. Chalcedonenses Episcopi, officium Concilij non esse aliud, quàm auctoritatem Apostolicæ Sedis ab insultantibus vindicare, ejusq; sanctiones dogmaticas unanimi comprobare suffragio.

12. Recitata fuit eadem sessione per Ætium Archidiaconum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quædam definitio, tamquam fidei Catholicæ; quæ tamen ut minùs perfecta, immo quodamtenus Religioni, non minus quàm Epistolæ Leonis contraria; explosa est ab Apostolicæ Sedis Legatis, vetitaq; Actis inseri, quæ nisi reuocata fuisset, rursumq; omnes consensissent recitatæ superius S. Leonis Epistolæ, fuisset condemnata, & Synodus dissoluta, aliaq; in Occidente habita.

13. Octava Sessione, de causa Theodoreti in Ephesino Conventu quondam depositi, actum est; qui à Sancta Synodo ideo pristinæ sedi restitutus, quia iam ante, à Leone in communionem susceptus, & declaratus fuerat, & dogmaticæ Epistolæ subscripserat, En verba Synodi:
act. 8. Conc. „ „ Gloriosissimi Iudices dixerunt: omnis dubitatio de
„ Theodoreto Reverend: Episcopo soluta est: quippe &
„ Nestorium anathematisavit. *Et à Sanctis. & Deo aman-*
„ *tissimo Archiepiscopo Vrbis Romæ susceptus est, & in super E-*
„ *pistolæ memorati S. Leonis subscripsit*, deest igitur ut sen-
„ tentia proferatur à Reverentia Vestra, *Sicut Sanctissimus*
„ *Leo iudicavit.* Omnes Episcopi clamaverunt: Theodo-
„ retus dignus est Sede, *Leoni multos annos: Post Deum Leo*
judica-

judicavit. „ Plura ex ijsdem Actis similia comperiet Lector testimonia, ex quibus intelliget, quàm exactè in omnibus obtemperaverint tot tantiq; Patres Sedis Apostolicæ mandatis, & sibi ab ea præscriptis legibus: Immo nec ilud ipsum fecisse satis fuerat, sed Acta in super Synodalia ad Leonem mittunt, eius auctoritate & judicio eadem expectantes firmari, & robur ejsdem impartiri, cùm Synodica Epistola, quam hîc in parte recensendam meritò duxi ad obturanda ora Sybillantium, quasi eo nomine solitas Oecumenicas Synodos, conditas ab ipsis leges, præsentare Apostolicæ Sedi, ut ab eius Antistite, Primatum in Catholico orbe tenente, tantummodò publicentur, particularibusq; Ecclesijs observandæ tradantur, non ut firmitatem, aut robur aliquod sortiantur. Audiantur Epistolæ Synodicæ verba, & tumens eorum opinio, Sexcentorum Patrum testimonio, veluti fluctibus obruetur.

acta mittuntur Romam ut robur accipiant.

14. *Beatissimo & Sanctissimo Apostolicæ Sedis & Vnisalis Ecclesiæ Episcopo Leoni* Repletum est gaudio cor „ Nostrum & lingua Nostra exultatione &c: quam fi- „ dem Tu, velut aureum quoddam flumen ad nos per Te „ deductum custodisti: *omnibus D. Petri interpres & expo-* „ *sitor constitutus:* Confirmavimus autem & centum quin- „ quaginta Patrum in Concilio Constantinop. regulam sub „ piæ memoriæ Theodosio, quæ præcipit post vestram „ Sanctissimam & Beatissimam Sedem, honorem habere „ Constantinopolitanam; confidentes quia lucente apud „ vos radio Apostolico, & usq; ad Constantinopolitanam „ Ecclesiam consvetè gubernando illum spargentes, hunc „ sæpius expandistis, eò quòd absq; invidia consveveritis „ vestrorum bonorum participatione ditare domesticos: „ Hæc sicut propria & amica ad decorem convenientissima „ dignare complecti Sanctiss. & Beatiss. Pater. Qui enim „ Sanctitatis Tuæ locum obtinent SS. Episcopi Paschani- „

ibid.

X nus

„ nus &c. ijs ita constitutis vehementer insistere tentarunt,
„ proculdubiò à vestra Providentia hoc bonum inchoari
„ volentes, *ut sicut fidei, sic & bonæ ordinationis vobis deputetur*
„ *effectus*. Nos enim curantes tam Pijssimos & Christianis-
„ simos Imperatores: hæc velut à Tua Sanctitate fuerint
„ inchoata (eò quòd favere semper studeas) roboravimus,
„ præsumentes dum noverimus, quia quicquid rectitudi-
„ nis à filijs sit, ad Patrem recurrit. *Rogamus igitur, Tuis*
„ *Decretis nostrum honora judicium, & sicut nos cupidi in bonis*
„ *adjecimus consonantiam, sic & summitas Tua filijs, quòd decet*
„ *adimpleat*. Ut autem cognoscatis, quia nihil alicui do-
„ nando per gratiam fecimus: *Omnem vobis gestorum vim*
„ *insinuavimus, ad eorum quæ à nobis gesta sunt firmitatem*. „
„ hactenus Concilij Epistola.

15. Universalis Ecclesiæ Episcopus, Leo, idq; tanti Concilij testimonio nuncupatur: si autem Universa Congregata Ecclesia, recognovit Leonem Universalem Patrem & Pastorem, consequens indubitatū erit, eandem Universalē Ecclesiā sine discrimine, Petri, successorumq; ejus cōmissam regimini, atq; adeo non esse Ecclesiæ Congregatæ in ipsum, sed ipsius, in Ecclesiam Congregatam regiminis auctoritatem superiorem. Sed ex alijs ejusdem verbis Epistolæ, quid ante, in reliquis Oecumenicis Synodis fieri consveverit, facilè quisq; poterit colligere, nempe à Concilijs, ad Romanum Pontificem solita mitti, quæ à Patribus definita essent, ut auctoritate ipsius firmarentur, & Decreto roborarentur, quod maximum Pontificiæ in Concilia Potestatis argumentum existimo.

16. Nec illud impar judico, quòd Universi non dispersi, sed Congregati sexcenti Patres, seipsos licet ordinatione Collegas scirent, filios tamen appellant, eum esse Patrem Congregatæ Ecclesiæ intelligentes, cujus sit, & gradus summos in Ecclesia distribuere; quòd profitentur, dum iterum supplices flagitant, ut concedat

Constan-

Constantinopolitanum Episcopum, secundum in Ecclesia locum habere; unde auctoritatem ejus tanti æstimant, ut putent esse infirma & non posse subsistere, quòd in duobus Concilijs Oecumenicis esse decreta dicebant, Constantinopolitano nempe & Chalcedonensi, nisi accedat ipsius Romani Pont: cum approbatione declaratio. Præterea Principium à quo omnia inchoata; Petri interpretem, per quem omnia omnibus, quæ fidei sunt, exposita depredicant. Hæc de Universali Chalced. Concilio: ad particularia convertamur, à Gallicana exordiendo Ecclesia.

PARAGRAPHVS III.

Quid Ecclesia Gallicana illo eodem tempore crediderit, de auctoritate Romani Pont. in propulsandis hæreticorum erroribus?

I. NUllum officium ab Ecclesia Gallicana temporibus illis prætermissum, quo non prosecuta fuerit ipsum Primarium Christianæ Religionis Antistitem, & Universalis Ecclesiæ visibile Caput S. Leonem, eum Universalem Pastorem ita profitens, ut non alibi inesse crediderit, doctrinæ, sanctitatis, fidei originem, atq; in profligandis hæresibus jurisdictionis gladium, quàm soli Apostolicæ Sedi. Cùm Epistolam Encyclicam S. Leonis describendam accepissent Occidentales, & inter alios Galliarum Præsules, ex illis tres insignioris nominis Episcopi, Cretius, Salonius, atq; Veranus, cùm eam exscripsissent, ipsum ab eis exaratum exemplar, Romam ad eundem S. Leonem mittendum putarunt, ne quid minus à prototypo in eo haberetur exscriptum: post multa enim de eadem Epistola ab ipsis effusa præconia, hæc tandem inserunt:

2. *Deprecamur, ut opus & præsentibus & futuris temporibus*

ribus

apud S. Leon. post Epist. 98. *ribus profuturum, quod nos asservandi studio folijs mandare curavimus, Sanctitas Vestra percurrere, & si quid librarij errore defuerit, emendare dignetur: uel si salutarem lecturis omnibus paginam, ab aliquo studij uestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic, solicitâ pietate iubeatis, ut non solùm plures Sancti Episcopi fratres nostri per Gallias, uerùm etiam multi ex laicis filij Vestri, qui Epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & Sancta manu vestra emendatam transcribere, legere, & tenere mereamur.* Orthodoxi verè Episcopi, retinere punctis omnibus uolentes religionis Catholicæ observantiam; ne ab ea, Romani Pontificis manu signata uel atomo disceparent, more Antecessorum prototypum consulunt in Archivio Romæ seruatum, ipsum Catholicæ Epistolæ Auctorem.

3. Præter tres illos nominatos, quadraginta quatuor Galliarum Episcopi, ubi sacram eandem Epistolam Leonis receperunt, ineuntes in Gallia Narbonensi Concilium, quod nomen Vasensis vendicat, gratias agentes, reddiderunt aliam Synodicam ad eundem S. Pontificem, quâ unanimiter gaudentes & exultantes, recognoscunt fidei in Epistola Leonis exaratæ, sensum, gratulanturq; se in ijs quæ Religionis Catholicæ sunt, doctrinâ Apolicâ esse instructos: exordium est Epistolæ: *Perlata Epistola Beatudinis vestræ.* ubi paulò post: „Exultavimus (inquit) Christo propitio, lectis Beatitudinis vestræ literis. & omni instructione patefactâ, omnes intra Gallias constitutos exultare fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt, *quæ Apostolatûs vestri scripta, ita ut symbolum fidei* quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. Multi itaq; in ea gaudentes pariter & exultantes recognoverunt fidei vestræ sensum, & ita

apud S. Leon. post Epist. 51.

se sem-

se semper ex Paterna traditione tenuisse, ut vester Apo- „
stolatus exposcit, jure lætantur. Nonnulli verò solici- „
tiores facti *Beatitudinis vestræ admonitione perceptâ* modis „
omnibus se gratulantur instructos, datamq; sibi occasio- „
nem gaudent, quâ liberè ac fiducialiter suffragante Apo- „
stolicæ Sedis auctoritate, loquatur & afferat unusquisq; „
&c. *Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod* „
non solum Gallias, sed totum mundum velut quibusdam precio- „
sissimis gemmis ornavit, dignas æstimet laudes posse resol- „
vi. *Doctrinæ post Deum vestræ* debet quisq; fidelis, ut con- „
stanter teneat quòd credebat, debet etiam quisq; infide- „
lis, ut à perfidia sua, agnitâ veritate discedat, & Aposto- „
licæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras dere- „
linquat, magisq; sequatur & credat, *quòd per os vestrum* „
Dominus IESVS Christus de Sacramento Incarnationis docet. „

4. Et ad finem Epistolæ, hæc de ipso S. Leone. „ Quòd nos ante oculos semper habentes, non desine- „
mus Deo ac Domino nostro gratias agere, & pariter „
supplicare gratulantes, quòd tantæ Sanctitatis, tantæ fi- „
dei, tantæq; doctrinæ Apostolicæ Sedi, *unde Religionis* „
nostræ fons & origo manavit, *Antistitem dederit*, petentes e- „
tiam, ut ad d tum concessumq; munus Pontificij vestri, „
longissimè ad ædificationem suarum Ecclesiarum ætate „
custodiat. „ Hæc illi ante Concilium adhuc Chalcedo- „
nense, de irrefragabili, & infallibili in propulsandis hæreticorum erroribus judicio, Apostolicæ Sedis, cujus scripta ut symbolum fidei venerati, Religionis quoq; suæ fontem & originem ab illa manasse professi sunt, non ut Novator *Maibourg*, ab Asianis, Ecclesiam Gallicanam, non ab Apostolica Sede fidem accepisse, effutire non est veritus; nam si qui vel ex Asia, ut Iræneus, vel ex Græcia, ut Dyonisius, Episcopale munus in Galijs obiêre, haud negari poterit, quin jubente vel assetiente Clemente 1mo, vel ante, cùm cum Apostolis Petro & Pau-

lo eò profecti fuerint: credo satius antiquioribus & omni exceptione majoribus Ecclesiæ Gallicanæ viris, Romanam Ecclesiam Matrem fidei universæ attestantibus, & Præsidentes eidem Pontifices Christiani orbis Magistros, ac velut ex eminenti Cathedra docere omnes Catholicam fidem, absq; distinctione profitentibus.

5. Ab ijsdem in Gallia Narbonensi Congregatis Patribus, quædam antiqua Clementis Papæ pro Episcopis commonitio, omni cum reverentia excepta, & ejusdem Concilij actis, pro conservanda ejus perenni memoria honorificè inserta. ,, Placuit (inquit) propter ,, venerandam antiquitatem statutis præsentibus roboran- ,, dum, præsenti tempore Ecclesijs necessarium, quòd su- ,, pradictus B. Martyr de Beat. Petri Apostoli constitutione commemorat dicens: *Quædam autem etiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sint quæ ipse propter insidias hominum malorum, non potest evidentius & manifestius proloqui, verbi gratia, inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis, ut volunti ejus, videlicet qui Ecclesiæ curam gerit absq; commonitione obsecundare, & averti ab eo, cui ipsum sentitis aversum, sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, & unusquisq; qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum sibi gratiam reparare, citius festinet reconciliari ei, qui omnibus vobis præest, ut per hoc redeat ad salutem.* Quid melius dici potuit de Pontificis excellentia? dum tanta præcipitur Galliæ Præsulibus obedientia, hucusq; ex Galliæ testimonijs.

Concil. Vasen. cap. 6. apud Bail.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Orientalium & Occidentalium, pro irretractabili eiusdem Leonis judicio, alia producuntur testimonia Antistitum.

I. SAtis perlucidum existimo ex relatis hactenus documentis, quomodo Catholicus orbis Primatum in Apostolica sede intellexerit, quidve in illa de jure inerrantiæ crediderit. Sed Aduersarius pungit, ut alia præter ea, particularia quærantur documenta, dum in oppositione asserit: Cætum quoq; fidelium sæculo illo in Concilio Generali, non in Pont. Rom. Leone, judicij tribunal ultimum collocasse. Non de fabris utiq; aut pincernis, plebejoq; populo locutum credo A. Anonymum, quem stultum judicem, nemo unquam sapiens non planè censuit: quomodo enim fieri possit ut tam profundum dogma discerneret populus, qui vix dijudicare valet boni discrimen à malo: De solis ergo Pastoribus greges suos repræsentantibus, & in Ecclesia auctoritate polentibus, si rectè sapit, disserit Adversarius. Cæterùm videamus, quid in utraq; Ecclesia, Orientali nempe & Occidentali Patres docuerint; an ad judicium à Pontifice Leone ferendum, accerserint Generale Concilium?

2. S. Flavianus Orientalis Ecclesiæ Primas, discusso Constantinopoli Eutychetis errore, ad S. Leonem literas dedit, cupiens ab ipso rata haberi, quæ ab eo contra Hæreticum statuta essent, tantamq; agnoscit vim inesse Apostolicæ Sedi, ut Concilio dicat Oecumenico non indigere id, quòd ejusdem Pontificis literis fuisset terminatum. *Commotus itaq;* (inquit) *Sanctissime Pater, in his omnibus quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea, quæ in nos & Sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atq; fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, propriamq; faciens communem causam, &* apud S. Leon. ante Epist. 9.

Sancta-

Sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decerne damnationem adversùs eum, & per propria scripta dignare, causa enim solummodò eget vestro solatio atq; defensione, quâ debeatis consensu proprio, ad tranquilitatem & pacem cuncta perducere, sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ quæ propter eam factæ sunt, facilè destruentur. Deo cooperante per vestras Sanctissimas literas: Removebitur autem & Concilium quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam aliter Sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.

3. Anatholius S. Flaviani in dignitate successor, in Conventu Provinciali Episcoporum Constantinopoli habito, ex S. Leonis literarum præscripto, fidei confessionem edidit, omnibus Pontificis scriptis consentiens, & Epistolam ejus ut Catholicam recipiens. Post Anatholium alij Orientales Episcopi, eandem fidem professi sunt: absentibus autem demandatum, quatenus idem exequerentur. Tandem ex eadem Synodo per Apostolicæ Sedis Legatos ad singulos Orientis Metropolitanos perductam Leonis Epistolam, ut omnes eidem subscriberent, & ut fidei articulum contra Eutychetem recognoscerent, quòd reverenter à singulis præstitum est. Hæc autem acta sunt ante Concilium Generale Chalcedonense.

ex Concil. Const. sub Anat. apud Bail.

4. Theodoretus Cypri Episcopus, de quo superius Cap. 5. cùm audisset se à Pseudosynodo Ephesina depositum, appellans S. Leonem, quem unicum sciret esse reliquum legitimum judicem, qui perperam à Synodo facta rescindere posset, hæc ad ipsum in Epistola: ,, Sicut Paulus præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritûs ad magnum Petrum cucurrit, ut in his qui Antiochiæ contendebant ab ipso afferet solutionem, multò magis nos qui abjecti sumus, & pusilli, ad Apostolicam Vestram Sedem currimus, *Vobis namq; per omnia Primos esse convenit.* Multis enim quibus superiores estis ornatur vestra Sedes: Præcipuè autem & insigniter eam exornat Fides,

Epist. 113.

& fide

& fide dignus testis Apostolus qui clamat: *Fides vestra* ,,
anunciatur in universo mundo. Et infra: *Ego autem Aposto-* ,,
licæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico & obsecro ,,
vestram Sanctitatem, ut mihi appellanti, justum vestrum ,,
& rectum judicium opem ferat &c. ,, ,,

5. Eutyches ipse non ignarus, quanti ponderis esset Romani Pont. auctoritas, cujus judicium in ambiguis solerent Synodi expectare, & ipse festinavit ad S. Leonem literas facere, haud dubius in eandem partem Universam Catholicam Ecclesiam inclinaturam, in quam ipse S. Pontifex videretur esse propensior: mentionem facit ejusmodi Epistolæ S. Leo ad Flavianum. Et ad Theodosium Epist. 7. affirmat Eutychetem per libellum supplicem ad Apostolicam Sedem doloris sui querimoniam misisse. Epist. 12. S. Leon.

6. Legantur & Gallæ Placidæ, ad cujus exemplum non dubito orbem fuisse compositum. ,, Igitur Tua Cle- ,, 1. part.
mentia (inquit ad Pulcheriam Augustam) secundùm Ca- ,, Concil.
tholicam fidem, quòd semper nobiscum fecit, & tunc ,, Chalc.
similiter conspirare dignetur, ut omnibus integris per- ,, Epist. 28.
manentibus, *ad Apostolicæ Sedis judicium, in qua primus B.* ,,
Petrus, qui etiam claves regni cælestis suscipiens Sacerdotij ,,
Principatum tenuit, Episcopatûs causa mittatur. ,, In cau- ,,
sa scriptum Flaviani, ab Ephesino Conventiculo dignitate Sacerdotali exautorati.

7. Non deficiunt sexcenta alia pro S. Leonis gloria, Patrum Orientalium præconia, à quibus numerandis supersedeo, cùm certioris fidei, solidiorisq; sit argumenti, sexcentorum Orientis Episcoporum simultanea attestatio, quam solam hîc inservisse, idem, ac singulorum est produxisse testimonia: *Non innovans* (loquuntur ad Martianum) *aliquid Sanctissimus Leo, scripsit Epistolam ad Flavianum: unde nobis inexpugnabilem in omni errore propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad vi-* act. 6. Concil. Chalc.

ctoriam præparavit: ut quemadmodum Petrus, & hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamq; perducat. Hucusq; ex Orientalibus.

8. Ab Occidentalibus Ecclesiæ Antistitibus non minora perhibentur suffragia, tribus potissimùm ex Conciliis illo eodem sæculo in Occidente habitis, eò duntaxat fine, ut quæ scripta erat ad Flavianum de Verbo Incarnato doctrina, publicis subscriptionibus muniretur, & inviolata ab omnibus custodiretur. Primum Romæ habitum, in quo conformiter ad Epistolam Encyclicam Leonis, omnia quæ Ephesi perfidi præsumpserant, rescissa, irritaq; communi omnium Episcoporum calculo reddita esse, testatur Hilarius Epist. ad Pulch. Augustam.

1. par. Concil. Chalc. Epist. 14. ,, Vestra (inquit) Veneranda Clementia cognoscat, à præfato Papa, *cum omni Occidentali Concilio* reprobata omnia, quæ in Epheso contra Canones gesta sunt, & nulla ratione hæc in partibus Occidentalibus suscipi posse, quæ per potentiam Dioscori, non sine læsione fidei, & præjudicio Sanctissimi Viri Leonis commissa sunt. ,,

9. Alterum coactum Mediolani; quid in eo agitatum fuerit? docet data ab Eusebio ejusdem Urbis Episcopo Synodalis Epistola ad Leonem, munita chyrographo omnium qui interfuerunt Episcoporum, cujus verba placeat observare: ,, Nec mirum quòd Dominus noster JESUS Christus, Catholicæ fidei quam tenemus, Majestatis suæ gratiam custodiamq; præstiterit, quando vos idoneos cultûs sui assertorem in Apostoli sui Sede Præsulem collocavit: admonitis ergo Fratribus & Coepiscopis meis: *habitoq; Conventu vestrarum formam tenui literarum. Continvò requisita est recitataq; Epistola, quam fidei assertione plenè digestam* ad Orientem dudum Sanctitas vestra transmiserat. Domine Sanctissime Pater placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, eos qui impiè sentiunt de Incarnationis

Ex Concil. Mediol. ap. Lab.

onis Dominicæ Sacramento, *auctoritatis vestræ præcedente* ,,
sententiâ, damnatione congruâ persequendos. *Literarum* ,,
ergo vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis ,,
nos servasse his missis ostendimus. ,, Hanc Epistolam scri- ,,
ptam ante Concilium Chalcedonense scias, ne occurrat Adversarius, à Synodo Universali acceptatam & confirmatam fuisse. Tertium tandem Concilium Vasense in Gallia, de quo *Paragr.* superiori enarratum.

10. Accipe præterea celebre illud Petri Chrysologi Rauennatensis, Epist. ad Eutychetem, de S. Leone elogium: ,, In omnibus autem hortamur te Frater Venerab. ut in his *quæ à Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B: Petrus qui in propria sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas audire non possumus.* Sit tandem pro solutionis & testimonij complemento, quòd tradit Baronius: morem fuisse omnium Occidentalium Ecclesiarum, Epistolam Encijclicam S. Leonis, singulis annis mense Decembri publicè in Ecclesijs legere ante Nativitatem Domini Nostri, quòd videlicet ea, Dominicæ Incarnationis doctrinam absolutissimam contineret: id autem se accepisse testatur ex manu scripto codice S. Mariæ ad Martyres. Ex quibus omnibus considerandum, an primivitis Ecclesiæ sæculis, à Sanctis Patribus de auctoritate Pontificis Rom. disceptatum fuerit? vel si quispiam ex Decretali & definitiva ejus Epistola, aut unum jota expunxerit, & non illam reverenter receperit? Hæc de Controversia Eutychetis, & Epistola S. Leonis.

hab. 1. par. Conc. Chal. Epist. 15.

ad ann. 449.

EX CONTROVERSIA VI SÆCVLI

Quæ in negotio celebri trium Capitulorum peracta est.

OPPOSITIO VIII. Auctoris Anonymi.

Cùm enim (inquit) primò Capitula illa tria, decre-
» tario suo judicio approbasset Vigilius Summus
» Pontifex, discussum iterùm nihilominùs fuit, & di-
» ligenter examinatum negotium de tribus Capitulis, in
» quinta Synodo, in qua damnata fuêre prædicta Capitula.
» Sed nunquam venit in mentem Vigilij Sum. Pont. eo-
» rumq; qui Capitula defendebant, dicere; Concilium ar-
» rogasse sibi indebitam auctoritatem, neq; potuisse de hac
» controversia iterum judicare, quippe quæ finita esset, &
» Constituto Pontificio terminata. Igitur (infert) Con-
» cilij illius tempore, dumq; Sedem Apostolicam mode-
» raretur Vigilius, non hæc vigebat opinio, ut Summi Pon-
» tificis judicium in dirimendis controversijs ad fidem &
» disciplinam pertinentibus, esset irretractabile.

» Deinde (prosequitur A. A.) ex eo, quòd (ut constat ex
» Pelagio secundo) agnoverint postea, tum Vigilius, tum
» ei adhærentes Episcopi, se errasse in defensione Trium
» Capitulorum, meritòq; fuisse errorem illum ab Oecu-
» menica Synodo repressum & correctum; unde & co-
» gnitâ veritate, sententiam mutavit Vigilius, mutavêre
» & alij Episcopi, qui tam acriter dimicaverant pro de-
fensi-

fensione horum Capitulorum: Potuit igitur rectè discuti „
iterum hoc negotium de tribus Capitulis in Concilio „
Plenario, neq; tunc ultimum tribunal, ad quod revoca- „
rentur negotia decidenda, residebat apud Pontificem, sed
apud Ecclesiam, hucusq; A. Anon.

CAPUT VIII.

Ex Controversia sexti sæculi in Materia Trium Capitulorum, auctoritas suprema Apostolicæ Sedis, & inerrantia Vigilij in negotio fidei probatur, & argumentum Adversarij authenticis expugnatur.

I. NOn jam in Philippicas, sed in fabulas convertit historias A. A. immo in Satyras mordacissimas, multa sinistrè recensendo, & notâ criminis Sanctos Antistites, Christi in terris Vicarios, inurendo. Primò asserens: „ Pontificem Vigilium Decretario suo judicio „
Capitula tria approbasse. „ Lectorem incautum fallit, & „
fove impium; cùm nullibi ejusmodi Decreti Apostolici mentio habeatur. Producat Adversarius, ostendat vel unum ex Orthodoxis antiquis historiæ Ecclesiasticæ textoribus, qui approbationis & Constituti illius meminerit: Insultantium hæc vox erat schismaticorum, nullo hucusq; probata alicujus eveterani testimonio.

2. Illud tantùmmodò certum comperio, eundem Vigilium cum alijs Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Præsulibus, visum fuisse partes Capitulorum agere, adversùs Imperatorem Justinianum, leges Ecclesiæ præscribentem, atq; Capitula edicto suo reprobantem, gravius excandescendo, quòd sibi auctoritatem de fide & moribus judicandi, nullo titulo arrogasset, Deiq; Sacerdotes ad subsignandum Decretum suum, minis ac violentijs

 com-

compulisset, ut ex *Facundo Hermianensi* Africano Antistite unicuiq; apparebit, qui eo ipso tempore vixit, scripsitq; primus totam controversiæ illius historiam. De Decretario tamen Apostolicæ Sedis approbationis judicio, haud aliquod jota, nec ipse, nec post ipsum quispiam annexuit. Legitur autem passim Vigilij ante quintam Synodum, trium Capitulorum execratio, & Apostolica adversûs illa Constitutio *parag.* 3tio referenda.

„ 3. Discussum (inquit) „ nihilominus iterum fuit, „ & diligenter examinatum negotium de tribus Capitulis „ in quinta Synodo, à qua damnata fuêre prædicta Capitu„ la. „ Non inficior in quinta Synodo actum fuisse de tribus Capitulis, quæ & ibidem iterato iudicio fuerunt reprobata, at inde non sequitur, eadem antecedenter à *Vigilio* fuisse judicialiter approbata: quippe quæ non præcisè propter prædicta Capitula erat congregata, sed propter sepeliendum schisma, quod ob condemnatos ab Imperatore Capitulorum Auctores, Orientales inter & Africanos Episcopos obortum fuerat, ut disces ex sequentibus. Sed esto: quòd ad indagandam Capitulorum seriem præcisè coacta fuerit Oecumenica Synodus, quid ex eo Apostolicæ sedis præiudicij? Si eadem Synodus, non quò ad convocationem tantùm, sed quò ad actiones etiam, Decreta, atq; deffinitiones, auctoritatem & consẽsum Vigilij in omnibus requisivit, ut Actis ejusdem Concilij probabitur.

4. Ineptè igitur colligit Adversarius, Concilij illius „ tempore, dumq; sedẽ Apostolicam moderaretur Vigili„ us, non hanc viguisse opinionem, ut summi Pontificis ju„ dicium in dirimendis controversijs ad fidem pertinenti„ bus, esset irretractabile. „ Cùm omnino contrarium, tum ex Vniversæ Ecclesiæ Congregatæ gestis, tum clarissimis Orientalium & Occidentalium Præsulũ testimonijs, tum ex Ecclesiæ Gallicanæ ejusdem sæculi munimentis, atq;

atq; plurimis eodem tempore factis, perſpicuè ac dilucidè demonſtrabitur.

5. Tandem falsò Adverſarium, Pelagium 2dum allegaſſe; ex S. Gregorij verbis, & totius eius Epiſtolæ ſenſu evincitur. Vna tantummodò legitur hac de Materia Pelagij Epiſtola, ad Eliam Aquileienſem Epiſcopum Schiſmaticum, & alios Iſtriæ Præſules, qui damnationi Capitulorum non conſentiebant: Fatetur ibi equidem, Vigilium Anteceſſorem duris contradictionum laboribus adversûs Synodum inſudaſſe, ſed qualis hæc fuerat contradictio, audiendus eſt hac in parte dictus S. Gregorius, qui nomine Pelagij hanc conſcripſit Epiſtolam, cùm adhuc diaconus eſſet, teſte *Paulo Varnefrido*. Teſtificatur autem ille publicè *lib.* 3 *Epiſt.* 37 inferiùs recitanda, Non de fide, ſed de perſonis inter Vigilium, & Imperatorem, Synodumq; fuiſſe controverſiam. lib. 3. de geſt. Longobard. ca. 10.

6. Præterea dicta Pelagij Epiſtola, nequaquam erroris accuſat Vigilium, ſed Latinæ Eccleſiæ Epiſcopos imperitiæ arguit græci idiomatis, adeoq; excuſat omnes; Sic enim habet interminis S. Gregorius *Hanc opitulationem excuſationi Veſtræ ad jungitis, dicentes: qvòd in cauſæ principio & ſedes Apoſtolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum Provinciarum Principes, damnationi trium Capitulorum fortiter reſtiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ vocare vos ad conſenſum debuit, à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines, & græcitatis ignari, dum lingvam neſciunt, errorem tardè cognoverunt, & tantò eis celerius credi debuit, quantò eorum conſtantia, quousq; verum cognoſcerent, à certamine non quievit; quorum conſenſum certè fraternitas Veſtra deſpiceret, ſi auſu præcipiti, priusquam uerum cognoſcerent, conſenſiſſent: at poſtquam diu ab eis laboratum, & longo tempore ad injurias usq; certatum; hinc Fraternitas penſet, quia tot labores repentè non relinquerunt, niſi quæ vera ſunt agnoviſſent.* Vult dicere; Orientales cum Occidentalibus ſe ad invicem non habetur. lib. Epiſt. RR. Pont.

intel-

intellexisse, illis Capitula damnantibus, istis verò Personas defendentibus, post diuturna autem inter se certamina, se ad invicem cùm intellexissent, pacis nexus & controversiæ finis Deo placitus impositus est; ut sequentibus clariùs aperietur, & argumentum Adversarij totum sycophanticum declarabitur.

PARAGRAPHVS I.

Vigilius ab obiecto crimine vindicatur, & motivum obortæ ob tria Capitula quæstionis, ac discordiæ, genuinè circumscribitur.

I. DE Controversia trium Capitulorum, tantus inter modernos cardo vertitur, quòd pleriq; in eo non leviter hallucinentur, quidam Vigilio errorem impingentes, quasi ipse diplomate Apostolico eadem comprobasset, & tamquam orthodoxa, atq; Chalcedonensi Synodo conformia declarasset. Alij verò *facti* deliquium Pontifici adstruunt, non *Iuris*; quasi controversia illa puri *facti* extiterit, non *juris*, cùm tamen ex relata Pelagij Epistola evidens sit, de utroq; in initio, Græcos inter & Latinos, quæstionem fuisse agitatam; videlicet: & de Capitulis, & de Capitulorum Auctoribus Theodoro, Theodoreto, & Iba. Videbatur equidem Vigilius non Personarum modò, sed & ipsorum Capitulorum cum cæteris utriusq; Ecclesiæ Episcopis, partes egisse, multis ex occasionibus, quas cùm Lector non præoccupato animo trutinaverit, comperiet sine dubio Vigilium ne utiquam in jure, aut in facto deliquisse.

2. Primò, Justiniani Imperatoris nimiam jurisdictionis in res Spirituales, & Personas Ecclesiasticas arrogantiam, causam extitisse, refert *Facundus: Ad hoc autem*

lb. 12. Defen. Capit.

tem

tem (inquit) *deteſtandum facinus, adulantium laudibus eum credimus excitatum* (ad condendum nimirum edictum adversûs Capitula) *cùm ei dicerent, quemadmodum Principibus ſolent, quòd omnes ſuos deceſſores ſapientiâ & religione præcelleret; quòd nullus ei poſſet in univerſis, qui eſſent vel fuiſſent Dei Sacerdotibus comparari: quibus ille credulus, exiſtimavit per ſingularem ſapientiam, quam ei præter aſſentatores nemo tribueret, invenire ſe poſſe rationem faciendæ unitatis.* Idcirco Edictum adversûs tria Capitula promulgavit, omnibuſq; Epiſcopis, etiam Romano Pontifici Vigilio, auctoritate phantaſticâ, quaſi novus à Deo Univerſalis Eccleſiæ Antelignanus excitatus eſſet, tradidit ſubſcribendum, ut in Edicto illius legitur. Reſtitit vigilans Paſtor ſuperbo Imperatoris edicto, qui non alteri, quàm ſibi commiſſas oves, auctoritatemq; de dogmatibus judicandi, noverat à Chriſto traditam. Reſtiterunt & alij Orientales & Occidentales Epiſcopi, abſq; Romanæ Sedis probatione, ſubſcribere edicto detrectantes, quorum primum *Mennam* Conſtantinopolitanum Epiſcopum recenſet Facundus *Primus eorum Mennas, cùm adhuc tentaretur ſcripto* (ſicut præceptum fuerat) *præbere aſſenſum, proteſtatus eſt: ſed & poſtquam conſenſit, à Venerab. Stephano Romanæ Eccleſiæ Diacono, & Apocriſario conventus: juratum ſibi fuiſſe reſpondit, quòd chyrographum ſuum non reciperet, ſi hæc Romanus Pontifex non probaret.* De Occidentalibus verò ſubdit: *Pro qua re, pars maxima Orbis Chriſtiani quæ potuit, primùm inter primos Chriſtianos Sacerdotem publica conteſtatione pulſavit, & Romana quidem Vniverſitas, atq; Africa, priusquam ipſius Romani Antiſtitis acceperimus Epiſtolam, non parvo jam agnoveramus judicio, quid de hujus facti novitate ſentirent.*

tom. 1. Conc. inter acta Joan. Pap.

lib. 4.

3. Alterum diſſenſionis motivum inter Juſtinianum & Vigilium circa hæc Capitula, erat illud. Quòd in præfato Imperatoris edicto, anathemata pronunciata

fuerint contra Capitulorum Auctores, qui dudum ante, è vita secesserant. Hinc ab omnibus Orientalibus & Occidentalibus Episcopis instituta fuit pro Personis eorum defensio, implorato hâc in parte Romani Pont. patrocinio; contendentibus videlicet, non esse damnandum *Theodorum Mopsuestenem*, quem indemnatum à Patribus constaret esse, in Catholica Religione defunctum: neq; *Theodoretum, & Ibam*, quos, damnantes hæreses, Chalcedonensis Synodus in consortium Ecclesiæ recepisset. Eâ igitur ratione, Vigilius cum Episcopis Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, pugnantes quasi pro Capitulis, ijsdem contentis erroribus nequaquam patrocinati sunt, quos damnatos scirent in Chalcedonensi Concilio, cujus sanctiones Catholicè retinebant, sed adversûs Imperatorem in messem alienam falcem mittentem, summopere invehebantur, & Edicto suo constantissimè adversabantur, jactantiam illius reprimendo.

4. Exhibet huius rei testimonium, unus ex ijsdem Defensoribus, Orthodoxus Pontianus Episcopus cæterorum nomine, *Epist. ad Iustinianum*: „ Cognovimus (inquit) quòd Dominus B. Petro statuit dicens: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi, &c. & tibi dabo claves &c. exultavit Spiritus noster, hoc firmiter Te Pijssime esse Imperator, quòd Apostolica fides prædicat, credentes quòd à recto fidelitatis tramite non declines: In extremo itaq; Epistolæ Vestræ cognovimus, quòd nos non mediocriter remordet, *debere nos Theodorũ & scripta Theodoreti & Epistolam Ibæ damnare*: eorum dicta quæ contra regulam sunt, possumus respuere, *non Auctores iam mortuos præcipiti condemnatione damnare*. Quòd si adhuc viuerent, & correcti errorem suum non condemnarent, iustissimè damnarentur, nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostræ. sed timeo P. Imperator, ne sub obventu damnationis istorum, Eutychiana hæresis

habetur tom. I. Concil. inter Act. Joan, Pap.

eriga-

erigatur, & dum minima iudicia non ſpernimus, ad majorem hæreſim colliſionemq; veniamus: Et quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congreſſu victoria? apud uerum iudicem iam tenentur, à quo nullus appellat; Tandem concludit: Per ipſum, in quo nos honoratis & diligitis, ſupplicamus Clementiam Tuam, ut pax permaneat temporibus Tuis, ne dum quæris damnare iam mortuos, multos in obedientes interficias vivos, & ex inde compellas reddere rationem ei, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos. „ Hucusq; ex Defenſoribus & Aſſeclis Vigilij Pontianus de tribus Capitulis. Ex quibus nemo non intelliget, Pontificem Rō. cum ſuis Coepiſcopis, haud unquam tuendorum Capitulorum partem ſuſcepiſſe, ſed perſonarum defenſionem juſtè inſtituiſſe, & Imperatorem tantûm ſibi in Eccleſiam arrogantem, redarguiſſe.

5. Hanc potiſſimùm fuiſſe cauſam, teſtatur Gregorius Magnus, cui hac in re fides danda præomnibus, de Perſonis nimirum non de fide quæſtionem fuiſſe, ideoq; hanc quintam,non eſt auſus cum quatuor antecedentibus conferre Synodis, hæc ad *Conſtantiũ* Mediolanenſem ſcribens: *Non ita facimus* (inquit) *ſicut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolùmmodò laudaremus. De illa autem Synodo, quæ in Conſtantinopoli poſt modum facta eſt, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra quatuor Sanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit, quippe quia in ea de Perſonis tantùmmodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de his Perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Synodo nihil continetur* (damnationis videlicet) *ſed poſt expreſſas Synodos, ſeu canones, facta contentio, & extrema actio de Perſonis ventilata eſt.* Idem quoq; eruitur ex ipſo Vigilio, Epiſt. ad Valentinianum de Tomis Epiſcopum inferius reponenda. lib. 3. Epiſt. 37. tom. 2.

6. Porro complures illi Orthodoxi Antiſtites unâ cum Vigilio, per aſſertam ab Imperatore ſententiam, ut

potè ab Origenistis extortam, Sacri Concilij Chalcedonensis Canonibus derogatum meritò existimabant, eò quòd in illo jam actum & terminatum fuerit prædictorũ Capitulorum negotium, intactis eorumdem Capitulorum Auctoribus, ut potè qui errores suos eiuraverant, ideoq; quasi vindices Sanctæ Synodi, in cuius præjudicium viderenrur ea ab Imperatore sancita, adversùs eundem insurrexère: *Domitianus Episcopus Metropolitanus Ancyræ* (inquit Facundus) *in Galatia, qui Origenista cùm esset, scripto tamen libello ad Vigilium Romanum Pont. ingenuè professus est, Origenistarum studijs, ea fuisse ab Imperatore contra Theodorum Mopsuestenem, & alios, adversùs Synodum Chalcedonensem promulgata.* De aliarum autem Civitatum Episcopis ait: *qui cùm subscribere compellerentur, palam reclamaverunt, contra Magnam Synodum Chalcedonensem fieri.*

lib. 4. Def. Capit.

7. Tandem Controversiæ huius ac discordiæ recenset causam *Facundus*: Quòd solitum fuerat Imperatori causas Ecclesiæ ad curiam suam evocare, easq; decretali suâ sententiâ, spretis Ecclesiæ juribus terminare, quòd sanè ægrè tul.rat Vigilius, cum omnibus Catholicæ Ecclesiæ Præsulibus: quis enim in tantum discrimen Religionem Catholicam ducendam censuerit, ut Principi laico de fide leges condenti, universa Ecclesia parere teneatur, cúm Imperatorum sit fidem Catholicam coram Sacerdotibus profiteri, non eandem præscribere Sacerdotibus, atq; omnibus Christi fidelibus. Unde argutè in Justinianum intendens jacula subdit: ,, Numquam auditum, de textrina incudes personare, aut aliquando compertum à sutore, quæ cujuscunq; fabricæ proportio latitudinis conveniret, & quanta utriusq; conveniens congrueret altitudo, regulas fuisse præscriptas. ,,

lib. 12. Defens. Capit.

8. Novimus equidem *ex Liberato* Vigilium quondam in Epistola, quam ipse recitat in suo *Breviario* Naturas duas in Christo negasse, & Anthymo Hæretico Episco-

in Breviar. Cap. 22.

piſcopatûs ſedem quâ exciſſus fuerat promiſiſſe, cùm ad PſeudoPontificatum evectus fuiſſet favore Theodoræ hæreticæ, Juſtiniani uxore, quæ Concilio Chalcedonenſi fuerat inimica, (ſi tamen ipſius ſit illa Epiſtola, de qua diſcrepant Hiſtorici, innixi auctoritati Sextæ Synodi, à qua, Vigilio minimè imputatur.) Sed dato; quòd ipſius fuerit, atq; in Perſona ſua erraverit: nihil erit ad propoſitum; cùm illo tempore nedum verus Catholicæ Eccleſiæ Paſtor extiterat, utpote vivente vero & legitimo Paſtore Sylverio; errare tunc poterat, maximè qui thronum Apoſtolicum, iniquis medijs, hæreticorum Patrocinijs invadere cupiebat: verùm cùm mortuo Sylverio, per Canonicam electionem ad Pontificatûs apicem evectus fuit, reclamaſſe illico omnia, mutatâ ſententiâ, refert *Annonius Gallus*: *Reſcripſit Theodoræ Auguſtæ ut Anthymum reſtitueret ſolicitanti: abſit hoc à me Domina Auguſta; prius locutus ſum malè & inſipienter, nunc autem nullo modo tibi conſentio, ut revocem hominem hæreticum & anathematiſatum; cùm malis promiſſis nunquam ſtandum ſit.* Ex quo dignoſcitur mirabilis Omnipot. Dei pro Sede Apoſtolica providentia, quæ legitimè in ea reſidentes Pontifices, errori non ſinit ſuccumbere, ut aliquid habeant hæretici. Cæterùm quid egerit Vigilius toto Pontificatûs ſui tempore in Materia trium Capitulorum, ſigillatim diſcutietur.

Act. 15. Sext. Synod.

de geſt. Franc. lib. 2. cap. 32

PARAGRAPHVS II.

Quid in Materia Trium Capitulorum egerit Vigilius diſcutitur? & Commentum Adverſarij authenticis exploditur.

I. QUò uberius hiſtoriæ veritas, & mendax PſeudoScribarum ſtyllus omnibus innoteſcat, per omnia

tempora, à lato Imperatoris adversùs Capitula Edicto, quod controversiæ erat initium, usq; ad Synodum quintam Generalem transcurrendum volui, diligenterve indagandum, quomodo Pontifex circa dicta Capitula se gesserit, & an eadem Decreto Apostolico, ut contendunt Adversarij, probaverit. Tria numerantur temporum momenta, quibus Vigilius visus est pro Capitulis laborasse, à principio exortæ dissidiæ, ad Generale usq; Concilium. Primum, quo Romæ degerat: Deinde dum in Sicilia: Tandem cùm Constantinopoli diutius permaneret: Necesse est admittant Adversarij, alicubi ex nominatis locis, Decretum illud in favorem Capitulorum fuisse evulgatum.

2. Romæ nihil aliud actum legitur, quàm monitum fuisse Vigilium ab Orientalibus Episcopis, per Stephanum Romanæ Ecclesiæ Diaconum, Constantinopoli tunc agentem, de anathematismis Imperatoris adversùs Capitula, & Capitulorum Auctores, in destructionem Concilij Chalcedonensis, & Apostolicæ Sedis præjudicium emanatis, conquerentes insuper, quòd ad subsignandum Imperatoris Decretum à Constantinop. Episcopo Menna, jam in illius partes vergente, minis & violentijs premerentur. *Post subscriptionem* (inquit Facundus) *memorato Stephano Romano, libellos dederunt Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscripserint, qui si à vestra pietate quærantur, & poterunt & apud nos nostris assertionibus attestari.* Querelis perceptis, nihil aliud egit Pontifex, quàm per Pelagium Diaconum, qui Constantinopoli cum Nuncijs advenerat, Africanæ Ecclesiæ Præsulibus denunciandum voluit, *ut habito de hac causa diligenti tractatu, cum Reverend. ejusdem Ecclesiæ Carthaginensi Episcopo, vel alijs, quos & zelum fidei, & Divinæ scripturæ scirent habere notitiam, consulentibus responderent, quid observandum in commune omnibus vide-*

lib. Def. Cap. Cap. 12. lib. 4.

ibid.

videretur. Restitit quidem tacitè Justiniani decreto, sed quid in eo probandum, reprobandumq; esset, Episcopis discutiendum tradidit. Hæc de tribus Capitulis Romæ Vigilius, cùm aliud quidpiam nullibi de eo reperiatur.

3. Rebus sic stantibus, Imperator cùm cerneret à Primariæ sedis Antistite, non validatum auctoritatis suæ Decretum, judicavit necessarium fore ipsum Romanum Pont. Constantinopolim evocare, quem urgentissimis pressit literis. Secessit Româ Pontifex, Constantinopolī profecturus, sed in Silicia notabili tempore moram egit, ubi plures Legationes in eorundem Capitulorum causa suscepit ab Episcopis, eum gravius obtestantibus, de irritanda Imperatoris sententia, in præjudicium quartæ Synodi, & totius sacerdotij latâ, simulq; excusationes afferentibus, quòd inviti eidem subscripserint. Quid ad hæc reposuerit Vigilius? refert continuò Facundus: *Facti* (inquit)*huius, Auctori correctionem tumultariæ suæ transgressionis indixit, & nisi citius, quòd malè factum est auferetur, etiam vindicaturum se esse prædixit, protestans & dicens cum Apostolo, ne fortè cùm venero, non quales volo inveniam vos, sed ego inveniar a vobis qualem non vultis.* Redarguit litteraliter Pontifex Episcopos, quòd anathematismis Iustiniani absq; consensu Apostolicæ Sedis subscripsissent, imò Sacris quoq; interdixisse aliquos, quos Auctores transgressionis compereat, cum Hermianensi loquuntur multi, at approbationis Capitulorum per Vigilium judicio Decretario, nullus antiquorum meminit. ibid.

4. Injiciunt hîc Adversarij Eminent. P. Noris, Historiæ suæ Pelagianæ ex Victore inservisse: *Vigilium in Sicilia Capitula defendisse & Mennam Constantinopolitanum, Bizantium cùm venisset, ob damnata Capitula à Divinis suspendisse*; sed hæc vana ex Victore objectio, utpotè schismatico, & Sedis Apostolicæ perpetuo inimico, quem Eminent. Noris, Apostolicæ auctoritatis defensor acerrimus,

mus, citat relativè; quòd ut Adversarij (qui tanti viri gloriari volunt patrocinio) perspicaciùs intelligant, vertant retrorsum folium, & invenient contrarium: Fatetur enim ipse Historiæ Pelagianæ conditor, superius *Cap.* 3. *Dissert. de* 5. *Synodo.* Vigilium in Sicilia, nihil aliud, quàm Legationes plurium Africæ & Sardiniæ Episcoporum excepisse, à quibus fuit solicitatus, ne novis Imperatoris contra Capitula statutis acquiesceret, quibus Concilio Chalcedonensi præjudicari visum erat, propter inserta anathemata in Theodorũ, Theodoretum, & Ibam, qui cum Magnæ Synodi Patribus in communione, damnatis Capitulorum suorum erroribus, permansêre: ibiq; parum inferius subdit *ex Facundo*: eundem Vigilium perceptà à Dacio Mediolanensi Episcopo relatione, de subsignato ab Episcopis Imperatoris edicto, nihil aliud egisse, quàm Mennam Patriarcham, qui auctor subsignationis fuerat, literis corripuisse. Quomodo igitur defensor Capitulorum in Sicilia probari poterit, si nihil aliud præter ea ab illo in Sicilia actum, nec ab ipso *Eminentiss. Noris* comperiatur. Reperio autem in ejusdem Vigilij gestis, sententiam adversùs Rusticum, & Epistolam ad Valentinianum, ac libellum (infra referendum) ad Mennam contra tria Capitula ipsum Pontificem in itinere conscripsisse: nisi fortè eo sensu intelligatur Victor asseruisse, Vigilium causam Capitulorum in Sicilia agere, quòd Justiniani edicto, constitutum suum opposuerit, sed ex eo, Capitulorum propugnator minimè dici poterit, cùm in eo, defensionem tantùm suscipiat Personarũ, *Grave* (inquit) *est, insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis, qui in Episcopatu vitam deposuerunt: & de eo, qui in Divino est judicio constitutus, fas nobis non est aliud decernere, præter id, in quo eum supremus dies invenit.*

lib. Histor. Pelagianæ.

Coll. 7. 5. Syn. adver. Rustic. & Sebastian.

Cap. 3. Dissert. de 5. Synodo.

5. De *Menna* refert idem *Eminent. P. Noris* propè finem jam citati Capitis, à Vigilio suspensum fuisse

quòd

quòd plurimos Episcopos ad subsignandum Imperatoris Decretum compulisset: Quis autem non videat, aliud esse subscribere Imperatoris edicto, legem fidei continenti; & aliud hæresim condemnare: Detestari enim profligata jam hæreticorum dogmata, unicuiq; Orthodoxorum, non tantùm licitum, sed & officij esse, nulli dubium. At Principis Laici obedire mandato regulas fidei Sacerdotibus præscribenti, Sacris vetitum Canonibus. Hoc posterius fuit motivum, quo Sacris à Vigilio privatus Mennas, non ob damnata tria Capitula, quæ utiq; ipse Vigilius ut vindex Chalcedonensis Concilij, jam ante execrarat. Addo, eundem *Eminent. P. Noris* firmiter asserere in fine laudati *Capit.* Mennam à Vigilio, non in Sicilia, sed in ingressu Constantinopolim, à communione suspensum fuisse; quomodo igitur illo ex Capite, Fautor Capitulorum, in itinere cùm fuerat, dici poterit. Quare prius de Menna *Emin. Noris* assertum superioribus suis exaratum codicibus, quia veræ consonum historiæ, ab omnibus amplectendum & suspiciendum: aliud posterius ex Victore relatum, quòd in partes suas trahere velint adversarij, in sensu allato intelligendum. Tertius locus, quo degerat Pontifex ante Sanctam Synodum, fuit Constantinopolis. Quomodo ibi se gesserit circa præfata Capitula, sequentibus aperitur.

PARAGRAPHVS III.

Vigilius Constantinopoli condemnat Capitula, sed cur sententiam suspenderit, rationes afferuntur, & Prudentia Pontificis in impediendo schismate admiratur.

I. EXpeditis in Sicilia legationibus, & peractâ ibidem hyeme, Constantinopolim tandem advenit Vigilius,

ab Imperatore diu expectatus, ubi cùm maxima inter Iustinianum & Episcopos jurgia reperisset, primùm omniū Synodum Sacerdotum colligi voluit, ut quid eis de causa videretur, prolata quisq; in scriptis responsione signaret, quò facilius concitatæ sedarentur discordiæ: meminit hujus Synodi facundus, tametsi inter Concilia registrata non reperiatur. *Romanus* (inquit) *Episcopus in cuius certamine, cum gestis super hac causa disceptaremus, mediante conflictu, interrumpi acta præcepit, & ab universis Episcopis qui aderamus expetijt, ut scripto quisq; ostenderet, quid eis de his Capitulis videretur.* intellige; quæ in Edicto Principis cum additis ab ipso in Personas censuris continebantur. Quis autem totius controversiæ in dicta Synodo finis fuerit, licet Synodalia Acta non inveniantur, non desunt nihilominus aliunde evidentia documenta, Vigilium Diplomate Apostolico Capitula condemnasse.

2. Primum hujus rei testimonium producitur à *Facundo*, qui decreti hujus causa, à communione se segregavit Vigilij, in eumq; primus Africanorum nomine invectus est, imaginans, quasi in Imperatoris partes Pontifex

in libel. ad Mocianum. declinasset. *Ego autem fateor Beatitudini Vestræ, non pro Theodori Mopsuesteni damnatione, me à contradicentiæ communione subtraxisse: hoc enim vel si approbandum non sit, ferendum tamen existimo, nec tamen esse causam judicio, pro qua deberemus à contradictione multiplici segregari.* Majorem facit fidem Synodus Oecumenica quinta, hæc subnectens de Vigilio:

Collat. 7. 5tæ Synod. *Ipse verò sæpius in scriptis suam manifestavit voluntatem, condemnans prædicta tria Capitula, quòd etiam sine scriptis sæpius dixit, coram Pijssimo Domino, præsentibus quidem gloriosissimis judicibus, præsentibus verò quàm plurimis de hac S. Synodo.* (intelligit Episcopos Constantinopoli particulari Synodo assistens) *& non intermisit semper anathematisans Defensores Theodori Mopsuesteni, & Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & conscripta Theodoreti.* Idem ferè refert sexta Synodus *actione 7ma.*

3.

3. Apud ipſummet Vigilium extant luculentiſſima hujuſce rei teſtimonia, in publicis ejusdem Actis ante Concilium Generale Conſtantinopoli evulgatis. Primum contra *Ruſticum & Sebaſtianum* Rom. Eccleſiæ Diaconos, Decreto Pontificio adversûs Capitula poſtea refragantes, in qua mentionem prædictæ Synodi facit: *Et cùm* (inquit) *neceſsè eſſet, ut negotium quod fuerat in judicio Noſtro perductũ, te etiam quàm maximè inter alios, tam Sacrati Ordinis, quàm ſequentis conſentiente ſententia firmetur: &c. ergo dum & te præ omnibus eminente prolatum fuerit judicatum, & in ea judicati laude ſuccenſus, per multum tempus ſcripſeris feceriſq́, ut nunquã te crederemus, ab hac poſſè rectitudine deviare; immutatum te ſubitò poſt hæc quadam animi levitate, vulgante opinione comperimus cum adverſarijs Eccleſiæ, qui contra judicati noſtri ſeriem nitebantur ſecretè tractare.* Ne autem dubites tenorem Decreti, contra, non pro Capitulis judicium continere, lege ejuſdem ſententiæ ſequentia : *Sed & Tua Sebaſtiane, non in quantum ſunt, ſed in quantum referre poſſumus mala: quæ feceris, diverſi cognoſcant, & juſtè te canonicam advertant ſubijſſè ſententiam: relegens conſtituti noſtri ſeriem, quam de præfatis Capitulis ad Mennam hujus Civitatis Antiſtitem dediſſè relegimus, in conſpectu Diaconorum & univerſorum Clericorum publicâ voce laudabas, ut de cælo judicatum Noſtrum ordinatum atq́; prolatum, omnibus Clericis loquereris: dicta verò Theodori Mopſueſteni, aſſèrebas te in Romana Vrbe inter aliquos codices inveniſſè, quæ confirmabas omni execratione, & blaſphemijs eſſè completa: Hæc dicendo in noſtro obſequio, & in Eccleſia publicè officium implebas. Nativitatis verò die anno prætenito, vocavimus te, & ſicut oportuit diximus tibi, ſi cum illis, qui contra Apoſtolicæ Sedis Conſtituta in ſacris ſunt conſtituti ordinibus proceſſiſti. &c. &c.*

hab. inter Epiſt. Rom. Pontificiũ Epiſt. 5. Vigil.

jam ante Vigil. judicium tulèrat contra Capitula.

4. Meminit hujus ſententiæ & Synodus quinta *Collatione* ſupra citata : *Vt igitur etiam ea quæ ſæpius ab eo facta ſunt, ad damnationem trium Capitulorum vos audientes alacrio-*

Collat. 7.

 lacrio-

laeriores efficiamini, de his formam celeriter proferre, direxit per me Vestræ Sanctitatis (alloquitur Synodum, Constantius Imperatoris legatus) *condemnationem ab ipso Vigilio Religiosissimo prolatam adversûs Rusticum & Sebastianum, Diaconos Romanæ Ecclesiæ.*

5. Legatur præterea Epistola ejusdem Pontificis ad Aurelianum Episcopum Arelatensem, ante Synodum Generalem data, & irrefragabilis ejus constantia adversûs tria Capitula comperietur: *Ea quæ in ejusdem S. fidei injuriam, verbo dicta, vel reperiuntur scripta, anathematisanda execrandaq; judicavimus, & constituimus judicanda: simili pœnâ plectentes etiam eos, qui fidem B. Cyrilli* (loquitur de Theodoreto, Cyrilli doctrinam improbante) *quam Sanctæ recordationis Leo Prædecessor Noster, ad prædecessores vestros aliosq; datis, probavit, & laudavit scriptis, & Chalcedonensis Veneranda Sanctaq; Synodus, legitur protulisse, aliorumq; Patrum, quos Apostolicæ Sedis Præsules susceperunt, execrandâ superbiâ impiam vocaverunt.* Idipsum exaravit Epistola ad Valentinum Episcopum Provinciæ Scythiæ: *Credimus Catholicis Ecclesiæ filijs, ea quæ tunc ad Fratrem & Coepiscopum nostrum Mennam scripsimus, id est de blasphemijs Theodori Mopsuesteni; vel de Epistola quæ ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, & scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & duodecim Capitula Cyrilli facta sunt, abundè posse sufficere.* Ex his, Vigilj sensus de Capitulis, Constantinopoli, & extra Urbem ante cùm degerat, facilè ab unoquoq; dignoscetur.

inter Epist. Rom. PP. Epis. 4. Vigil.

6. Non diffiteor Pontificem Vigilium, Decretum suum paulò post suspendisse, & silentium de Controversia Capitulorum indixisse, ad proximè usq; congregandam Synodum Generalem, quod unicum Adversarijs adversûs Vigilium vociferationis incentivum; verùm quisquis causas suspensionis illius perpenderit, non inconstantiæ aut culpæ accusabit Pontificem, sed summam

cum

cum *Petro de Marca* in S. Præſule pro conſervanda in Eccleſia pace laborante, admirabitur prudentiam, quam ille diſpenſationem vocat. lib. 3. de Concord. Sacerd. ca. 13.

7. Damnatis namq; Conſtantinopoli Capitulis, quidam ex Imperatoris infenſiſſimis, qui Conſtantinopolim eo duntaxat fine convenerant, ut Juſtiniani confunderetur arrogantia, Ruſticus inquam & Sebaſtianus, Baſinianus & Bilitanus, literas dedêre ad diverſos in Africa Epiſcopos, aliaſq; in Occidente Provincias adversùs Pontificem, quaſi fautor acceſſerit ille, impugnantibus ipſam S. Synodum Chalcedonenſem, ſuggerentes videlicet, quòd edictum probaret Imperatoris, & conformiter ad illud, non Capitula modò, ſed Perſonas quoq; damnaſſet in præjudicium Magnæ Synodi. His malignantium Clericorum literis tantopere Eccleſia Occidentalis perturbata eſt, plurimiq; diverſarum Eccleſiarum Epiſcopi adversûs Vigilium adeo commoti, ut multi ſe ab ejus communione ſubduxerint, arbitrantes Pontificem, quem vindicem ab Imperatoris expectabant tyrannide, in jacturam dignitatis Eccleſiaſticæ Edictum ſubſcripſiſſe; hinc dirum ſchiſma Orientales inter, & Occidentales fuerat excitatum. Extant authentica lugubris hujus documenta Tragediæ, inter Epiſtolas ad Vigilium, & ejuſdem ad Epiſcopos reſponſorijs: Habentur præterea expreſſa in ſententia Pontificia adversûs Ruſticum & Sebaſtianum ſuperius memorata. Item in Epiſt. Vigilij ad Valentinianum publicè proteſtantis, ſe non Perſonas ſed Capitulorum blaſphemias hæreticas declaraſſe: *Et quoniam* (inquit) *Baſſinianus: cum his qui pro actibus Tuæ Fraternitatis Eccleſiæ in Conſtantinopoli obſervant, pari ratione dixiſſe noſcuntur, etiam hoc Dei inimicos fuiſſe mentitos, quòd Perſonæ Epiſcoporum Ibæ atq; Theodoreti, in Noſtro (quod abſit) fuerint judicato damnatæ: legantur ergo quâ de cauſa, quæ hic mota eſt, ad Fratrem noſtrum Mennam ſcribentes legimur definiſſe, & tunc*

Epiſt. 4. & 5. &c.

Proteſtatio Vigil. de damnatis ſolùm Capit. non Perſonis.

tunc cognoscent, nihil à Nobis Deo Nos custodiente commissum, quòd contra fidem prædicationemq; Venerandorum quatuor Synodorum, quæ pro eadem fide definita sunt, reperiatur adversum. Et parum inferius inserit: se Capitula solùmmodo condemnasse, quòd jam superius eâdem relatum Epistolâ.

8. Tantum in Ecclesia motum, ubi præsens intuitus est Vigilius, ne Oriens ab Occidente schismate scinderetur, prudentissimè periclitanti Ecclesiæ visus est consuluisse, ut sententia sua suspendatur, & silentium de Capitulis, usq; ad proximè congregandam Generalem Synodum imponatur, præsertim cùm non de fide, (quæ dissimulari minimè potest) sed de Personis, tam duram controversiam obortam intelligeret. Consentientibus itaq; multis etiam Orientalis Ecclesiæ Præsulibus, Decretum silentij publicatum est, revocato simul Imperatoris edicto, Episcopos ex Cathalogo Orthodoxum proscribente. Atq; hanc causam fuisse scias, quòd maligno correptus spiritu Imperator, violentas satellitum manus inijci mandavit in Summum Pontificem Vigilium, qui salutis suæ in fuga spem reposuit. Paulò tamen post, cognitâ Vigilij innocentiâ, & in moderando grege prudentiâ, eidem cessit, & appensa amoveri jussit à se publicata de tribus Capitulis edicta; quodque idem Pontifex sententialiter promulgaverat, cuncta in Generali Synodo agitanda, reservavit. Sic igitur novis emergentibus causis, sententiam cùm mutarit Vigilius, haud levitatis arguendus est, aut inconstantiæ, sicut nec accusandus est Paulus Apostolus, neq; prævaricator dicendus fuit, si cùm ipse tulisset de abroganda circumcisione suffragium Hierosolymis, postmodum novâ adveniente causâ, Timotheum circumcidit. Hæc de Capitulorum Controversia. De Decreto approbationis, nihil in tota Vigilij historia. Nunc ad ipsam quintam Synodum, ut & ad alia oppositionis puncta progrediendum.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Ex Quintæ Synodi Actis, probatur Fides & auctoritas suprema Vigilij.

I. EX hactenus dictis, occasio convocandi hujus Concilij satis conspicuè nota, non eo videlicet fine præcisè congregatum, ut Capitula tria discuterentur, quorum negotium in Magna Chalcedonensi Synodo abundé eliquatum, & finaliter terminatum fuerat, sed ut ob excitatam ab Origenistis (inquit Evagrius) de Personis quæstionem; & inter Episcopos perturbationem, schisma ab Ecclesia præscinderetur. Cæterùm eandem Synodum non quò ad convocationem modò, sed quò ad Actiones etiam, decreta, atq; definitiones, consensum & auctoritatem Vigilij requisivisse, ex ipsiusmet Concilij Collationibus, testimonia aperta reproducentur. lib. 4. cap. 37.

2. Ad Urbem Regiam dum convenissent Episcopi, licet Imperatoris mandato evocati, quia tamen sine Capite coacta fuerunt membra, absq; eo quicquam aggrediendum haud ausi sunt, sed omnium nomine Constantinopolitanus Patriarcha Eutychius, Vigilij exquisivit consensum, quò facultas de Capitulis, vel Personis potius, exordiendi Synodo concederetur: ,, *Scientes* (inquit) *quantorum bonorum causa est pax Dei: ideo festinantes unitatem conservare, ad Apostolicam Sedem Vestræ Beatitudinis manifestum facimus, quòd nos semper & servavimus, & servamus fidem à IESV Christo Apostolis traditám: suscipimus & Epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ: Et ideo petimus, Præsidente Nobis Vestra Beatitudine, de tribus Capitulis quæri, & conferri, & finem quæstioni imponi benè placitum.* Respondit Pontifex Eutychio: *Poscit Vestra Fraternitas, ut Nobis Præsidentibus de tribus Capitulis, de quibus quæstio nata est, conferatur: prædictis postulationibus annuimus, ut de tribus Capitulis,* Collat. 1. quintæ Synodi in fine. ibid.

facto

facto regulari Conventu, medijs Sacrosanctis Evangelijs, cum unitis fratribus Collatio habeatur, & finis detur placitus Deo. Docent præterea eadem Acta, viginti Episcopos ad Vigilium missos fuisse, tres videlicet Patriarchas, reliquos Metropolitanos omnes, pro dando initio Synodo.

3. Accedentibus ad primam Collationem Patribus, primùm oblatus Episcopis ab Imperatore libellus, demandantibus omnibus publicè lectus, in quo hæc de fide

Ibid. ,, & auctoritate Vigilij. ,, *Vigilio Religiosissimo Papæ antiquioris Romæ:* cùm pervenisset ad hanc Regiam Civitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus, & interrogavimus eum, quid sapiat de hoc, *& ipse non semel, nec bis, sed etiam sæpius in scriptis anathematisavit impia tria Capitula:* & post: ,, Scripta facta sunt à Vigilio Religiosissimo Papa, *ut omnes vos uniti conveniatis.* ,, Et propè finem: ,, In mente habentes Apostolicam pronunciationem, quæ contra eos, qui contraria rectæ fidei tradunt prolata est, manifestè dicentem, quòd licet Angelus de cœlo evangelisaret vobis, præter quam quòd vobis evangelisatum est, anethema sit, sicut prædiximus, & modò iterum dico, si quis vobis evangelisaverit, præter quam accepistis anathema sit. ,, Honorificè excepta est à Pattibus hæc Justiniani Epistola, & numero Synodalium sanctionum adscripta est.

4. Theodorus Cæsareæ Cappadociæ, cum duodecim alijs Episcopis, quorum nomina recensentur in Actis Synodi, palam attestati sunt, audientibus Patribus universis, Vigilium in scriptis & sine scriptis tria Capitula jam ante reprobasse: *Nos verò ad eum diximus* (alloquuntur Synodum) *quòd solus quidem sæpius in scriptis & sine scriptis condemnasti ista tria Capitula: Pijssimus autem Dominus in communi vult te cum alijs convenire.* Renuente autem Pontifice ad Concilium accedere, eò quòd vix aliqui ex Occidentalibus advenissent, interesse eidem noluit. *Primazius* Byzaciæ Pareciæ Episcopus ex Africa:

Papa-

Papâ (inquit) *præsente, non venio.* Hic est ille Primazius, qui testimonium Apostoli attestantis (*quòd fides Romanorum annunciatur in Vniverso mundo*) ad sua usq; tempora verum fuisse probavit, ita scribens in ea Apostoli verba: *Et verè ubiq; fides clara est Romanorum.*

5. Sessione quinta, facto declarauit Sancta Synodus, sui à Romano Pontifice in ferendis judicijs dependentiam, damnato namq; Synodaliter Mopsuestene, sententiam haud ratam judicarunt patres, sine Apostolicæ Sedis conveniente assensu, ideoq; eam cum singulis Personam Theodori concernentibus gestis, Vigilio, licet eum difficilem scierant, omni cum submissione denunciant, consensum suum pro roborando in eum judicio exquirendo. *Decebat verè cùm primam inter Sacerdotes dignitatem sortiti estis Sanctissimi, ea quæ ad Sanctarum Ecclesiarum statum, manifesta Vestræ Divinitùs honoratæ Beatitudini fieri. Hoc bene & Christianissimus noster Imperator considerans, & ad vestram scientiam, ea quæ de Theodoro Episcopo mota sunt, jussit referri: Sacris dÿptichis ejectus est; & manifesta ea Vestræ Divinitùs honoratæ Beatitudini facimus. Hæc ita habere ipsa gesta Vobis Sanctissimis manifestent; quæ humili suggestione conjungentes, ad scientiam vestram destinavimus, sed petimus ut Divinitùs inspiratos vos, religiosissimis & Deo placentibus vestris orationibus nos humiles suffulcire.* Contra regulas esset naturæ, inferiori reddere rationem, cervicèm eidem submittendo; sed quia didicerat Synodus, ex Apostolicis S. Leonis literis, quas publicè legi, actisq; suis inseri fecit, quòd *in insipientiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem, aliquo impediuntur obscuro, non ad Apostolicas literas, sed ad semetipsos recurrunt, ideo magistri erroris existunt.* His Leonis perterriti Patres vocibus, licet de Persona tantùm, non fide, status fuerat controversiæ, ad Vigilium nihilominus remittitur judicium, ut illud ex munere officij dignoscatur, & auctoritate roboretur.

Relat. Synod. ad Vigil. Collat. 5.

6. In ultima tandem Synodi sententia adversus Capitula lata, hæc ante omnia adnotatum Patres voluêre:
Collat. 8. *Quia contingit Vigilium Religiosissimum, in hac Regia Urbe degentem, omnibus interesse, quæ de his tribus Capitulis adnotata sunt, & tam sine scripturis, quàm in scriptis ea sæpius condemnasse, ideo initium facimus &c.* prosequitur Synodus sententiam. Non dubitarunt prædicti Patres, absq; Pontificis auctoritate irrita reddi posse decreta Concilij, idcirco ut Vigilij ostenderent assensum, ad ea, quæ à Synodo de tribus Capitulis sunt definita, seu repetita potius ex quarta Synodo, in sententia posuerunt, ab ipso & in scriptis, & sine scriptis fuisse damnata.

7. Nec obstat, quòd scribit Baronius, eidem Syno-
tom. 7. annal. do in ferenda sententia adversarium fuisse Vigilium, aliudve Cōstitutum pendente Synodo opposuisse, atq; ideo non voluisse Concilio assistere. Si quidem non de fide, sed de Personis motus inter Orientales & Vigilium erat: renuentem quoq; Vigilium, minimè coactum fuisse aliquo termino peremptorio, neq; prohibitum pro arbitrio de causa in Synodo ventilanda, stante Synodo, Decretum ferre, imò nec aliquâ ob id â Synodo censurâ perculsum, quòd sine dubio fecisset Concilium, si errantem circa Capitula Pontificem (ut volunt Adversarij) comperisset, & renuentem venire ad Synodum certè eadem Synodus compulisset, si eum inferiorem Universali Concilio credidisset. Contrariam ergo sententiam de consensu Vigilij, in condemnanda Theodori Persona magis probabilem judico, propter uniformem scriptorum Græcorum hac de re consonantiam. *Evagrius lib. 4.*
„ *Cap.* 37. hæc ait: „ Vigilius autem per literas consensit
„ Concilio, non tamen interesse voluit. „ Si consensum præbuit Concilio, igitur pro damnando Mopsuestene, de cujus Persona, sicut & aliorum, lis agitabatur. Eadem tradit *Niceph. lib.* 17. *Cap* 26. *&* 27. Nec non *Eu-*

stachi.

ſtachius in vita Eutychij. Idipſum Cedrenus, Zonaras, atq; Photius de Septem Synodis apud Euthymum in Panoplia *part.* 2. *tit.* 24,

8. Eruitur præterea eadem veritas ex Epiſtola Decretali ejusdem Vigilij, pro confirmatione hujus Quintæ Synodi, excerpta ab Illuſtriſ. *Petro de Marca* Archiepiſcopo Pariſienſi ex manuſcripto codice Bibliothecæ Regis, quam idem Præſul ait: auro eſſe æſtimandam, & precio magno habendam, contra eos, qui plerumq; dignitati Pontificiæ detrahunt eo nomine, quòd hæc Synodus, vim & pondus Oecumenicæ obtinuerit independenter à conſenſu & approbatione Vigilij: Hæc autem leguntur in dicta Decretali: *Propterea igitur agnoſcat Vniverſa Eccleſia Catholica, nos juſtè & irreprehenſibiliter ad ea, quæ hâc Noſtra Conſtitutione comprehenduntur deveniſſe; Vnde condemnamus & anathematiſamus, unâ cum omnibus alijs hæreticis Theodorum: Præterea condemnamus & anathematiſamus Epiſtolam ad Marim Perſam, quæ ab Iba ſcripta dicitur &c. Quin etiam quemcunq;, qui crediderit aliquo ullo tempore ea Capitula debere ſuſcipi aut defendi, vel conatus fuerit hanc præſentem condemnationem ſubvertere, ſimili anathemate ſubijcimus. Quoſcunq; verò qui rectam fidem ſervantes à dictis Synodis prædicatam, memorata tria Capitula condemnaverunt, vel etiam condemnant, Fratres, & Conſacerdotes eſſe definivimus.* Id eſt communioni noſtræ adjungimus, eorumq; ſententiæ robur impertimur. diſſertat. de quinta Synodo.

9. Nec ullus debet eſſe dubitandi locus, de veritate hujus Epiſtolæ Vigilij, &ſi in lucem ante non prodierat (inquit Petrus de Marca) quæ ex antiquiſſimo codice Græco à *Leone Cynommo* deſcripta Conſtantinopoli, in Bibliotheca Imperatoria, temporibus Michaëlis Palæologi Anno Chriſti 1276. *Ammanuenſis* verò teſtatur, à ſe tranſcriptum ex autographo, quod in veteri Bibliotheca Eccleſiæ Romanæ aſſervabatur, calamo exaratum

Anno 753. Per istud Vigilij Decretum, Quinta Synodus, ut Universalis admissa est, non solùm in Oriente, sed etiam in Occidente, nominatim in Gallia, in qua plures Episcopi damnationi trium Capitulorum subscribere detrectabant, ut testatur Vigilij successor Pelagius, Epist. citatâ ad Aqueleiensem Episcopum. Et constat ex AqueleiensiConcilio in Gallia contra Capitula habito.

apud Bail. tom. 2. Cõcil.

10. Nec urgere videtur, quòd addit Baronius, Vigilium à Justiniano in exilium missum fuisse: Error quippe exinde Pontifici, aut assensus circa Capitula minimè imputatur, cùm non alia exilij causa comperiatur, quàm quòd secundùm promissa Theodoræ facta, Anthijmum hæreticum in sedem restituere nollet: Præter *Annonium* Gallum supra relatum; Pontificale Romanum attestatur: Item Paulus Diaconus *in vita Iustiniani*. Martinus Polonus, *in supputationibus temporum*: Marianus Scotus, & Platina *in vita Vigilij*. Blondus *Decad.* 1. *lib.* 6. Petrus de Natalibus *lib.* 6. *de Vitis Sanct.* Sabellius *Æneid.* 8. *lib.* 4. Quod ipsum ex Nicephoro colligi potest *lib.* 17. *Cap.* 26. Ex his abundè patet: quomodo dignitas Vigilij in quinta Synodo enituerit, dum instigante Imperatore, ut à Synodo Auctores Capitulorum condemnarentur, renuente autem Pontifice, vix unus Mopsuestenes anathemate innodatus, idq; nonnisi consentiente Pontifice, cui per examen constitit, illum ante obitum retrocessisse. Et hæc dum de Synodo disseruimus, extra Synodum disquirendum restat, quænam fuerit vulgò illo eodem sæculo, de suprema Ecclesiæ auctoritate opinio.

PARAGRAPHVS V.

Ecclesia Gallicana illo eodem sæculo, pariter cum cæteris Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Pro-

vincÿs, Iurisdictionis Pontificiæ supereminentiam, & in definiendis fidei controversiis inerrantiam, tam scriptis, quàm factis declaravit.

I. AD ultimum argumenti accedo punctum garientis Adversarij, ,, Concilij videlicet illius tempore, ,, dumq; Sedem Apostolicam moderaretur Vigilius, non ,, hanc viguisse opinionem, ut Summi Pont. judicium in ,, dirimendis controversijs ad fidem pertinentibus, esset ir- ,, retractabile. ,, Hic est solitus A. A. historias evertere molientis, ut Lectori antiquitatis inscio, persvadere quòd velit valeat, verborũ fucus, qui ut omnibus, tãquã historiæ antiquæ dissonus, innotescere possit, ipsius Ecclesiæ Gallicanæ produco facta, non minus quàm Orientalium Præsulum testimonia, ultimum in dirimendis fidei quæstionibus judicij resolutorium, in Sede Apostolica illo eodem sæculo recognoscentia.

2. Primum occurrit Childeberti Francorum Regis, qui audito post Quintam Synodum inter Catholicos Occidentalis Ecclesiæ Præsules, & sui Regni Antistites, ob damnata à Synodo Capitula non modico motu, eâ videlicet ex occasione, quòd Defensores Capitulorũ Eutychiani ubiq; divulgassent, atq; pariter exclamassent, omnes qui agerent contra tria illa Capitula, impugnare Chalcedonense Concilium, à qua quidem calumnia, ut dubitantium animos liberaret, & motum in Regno sepeliret, ,, Rufinum in Italiam ad successorem Vigilij Pelagium miserat (inquit *Papyrius in Franc. Annal.*) rogatum, lib. 1. Annal. Gall. an trium Capitulorum sensum Romana Ecclesia, an verò S. Leonis tomum adversûs Eutychetem sequeretur. Respondit Pelagius, librum illum auctoritate Romanæ probari Ecclesiæ: ipseq; (ut Rex postularat) novam fidei formulam pro fidelibus conscripserat, quâ subitò obor-

tum in Gallia ob eadem Capitula schisma sedatum est. Jam terminata erat à Synodo Generali controversia, minimè tamen contenti Galli, à Sede Apostolica ultimatum expectant judicium.

3. Vigilij adhuc tempore, conceptus erat in Gallijs prædictus circa Capitula motus, sed Aurelianus Arelatensis Episcopus, omnium nomine, non alium quàm eundem Pontificem Vigilium consultum voluit, quid de fide tenendum, quid verò detestandum esset; non reperio quidem dicti Præsulis Epistolam, sed in ipsius Vigilij ad eum responsorijs, Paragr. 3. recitatis, hujus rei perhibetur testimonium.

4. Item in Concilio Aurelianensi quinto, contra Capitulorum blasphemias habito, obtentis nimirum à Romano Pont. literis, impia Nestorij & Eutychetis declarantur dogmata, eò quòd hæc iterato Vigilij Decreto execrata fuerint & reprobata. *Quas sectas* (inquit) *Sedes Apostolica Sancta condemnat, similiter & Nos easdem præsentis Constitutionis vigore anathematisamus, atq; damnamus, Apostolicum fidei ordinem in Christi nomine prædicantes.*

apud Bail. Can. 1. Coc. Aurel.

5. In Concilio Aurelianensi tertio sub Vigilio, Can. 25. statutum, ut nullus servilibus, colonarijsq; conditionibus obligatus, *juxta statuta Sedis Apostolicæ* ad honores Ecclesiasticos remittatur. Fertur ibidem sententia adversùs Episcopos, mandata Apostolicæ Sedis transgredientes. Concilium Avernense sub eodem Vigilio, Can. 11, Apostolicæ Sedis arbitrio relinquit puniendum Episcopum, qui ausu sacrilego auctoritatem Divinæ legis, ac jura naturæ præripuerit. In Exordio Concilij Arausicani eodem sæculo celebrati, hæc præfatur de auctoritate Apostolicæ Sedis: *Vnde & nobis secundùm auctoritatem, & admonitionem Apostolicæ Sedis, justum & rationabile visum est, ut pauca Capitula ab omnibus observanda proferamus, & manibus subscribamus.*

ibid.

6. Præ-

6. Præter Gallicanæ monumenta Ecclesiæ, non deficiunt aliarum ejusdem sæculi, imò illiusmet temporis, dum Sedem Apostolicam moderaretur Vigilius, ipsius ejusdem auctoritatis perspicua argumenta. Cùm enim Concilij quinti tempore, primaria Petra, ab aliquibus malè ædificantibus rejecta fuisset, eadem repentè reposita in Caput anguli, præcipuo digna honore habita, dum eidem cessêre penitus, qui adversati erant terræ Principes, & summi Catholicæ Professioni Antistites. Nam præter Theodorum Cæsariensem Archiepiscopum; Mennas Constant. Patriarcha, qui (ut dixi) à Vigilio fuerat communione privatus, ipse, sicut & Theodorus libellum stante Concilio obtulit Pontifici, quo etiam præter ea, quæ dicta sunt, pariter professus est, libellum quendam in Vigilium scriptum, minimè esse suum. Sic igitur tali præmissâ satisfactione, Vigilius eos in communionem recepit, redditaq; est Ecclesiæ pax. Hæc omnia notantur in Pontificis ejusdem Constituto. habet. in Constituto Vigil.

7. Cæteri verò Orientis Episcopi, quantumlibet Adversarij, urgerent Mopsuesteni condemnationem, haud tamen ita videri voluerunt effrontes, ut de ea re aliter statuere, quàm decrevisset Romanus Episcopus, cujus expectarent sententiam, sint professi. Id quidem præter ea, quæ ex actis ejusdem Synodi superius relatum est; pluribus in locis testatur Facundus. *Adhuc dicunt* (inquit) *quòd de tanta sua præsumptione, Ecclesiam quoq; Romanam consuluerint, & sententiam Beati Vigilij Præsulis expectent.* lib. 2. Defen. Capit.

8. Legatur Procopius *de Bello Gottorum*, & videbitur ex Bizantio ad Romanum Pont. Legatos à Christianis Principibus missos fuisse, altercationis sedandæ causâ, & stabiliendâ Christianæ fidei disciplinâ. Item à Justiniano Imperatore Hepatium Ephesiorum Episcopum, & Demetrium à Philippis expeditos fuisse, consulere Sedem lib. 2.

dem

dem Apostolicam contra Legatos Acumicorum, qui B. Mariam Dei genitricem esse negabant, refert Liberatus. In codice ejusdem Justiniani *de sum. Trinit. & fid. Cath.* hæc habentur: *Non patimur quicquam quòd ad Ecclesiarum statum pertinet (quamvis manifestum & indubitatum sit, quòd movetur) ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ Caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum.* Item Constitut: 131. *Sancimus ut Archiepiscopus Iustinianæ primæ Patriæ nostræ, in Provincijs ipsi subjectis, locum teneat Apostolicæ Sedis Romanæ, secundùm ea, quæ Sanctus Vigilius Papa constituit.*

in Breviar. Cap. 20.

9. Tandem ipsum Vigilium hanc omnimodam in fide, & moribus usurpasse sibi auctoritatem, ex ipsius Vigilij ad Clerum Gallicanum evinco Epistolis. Prima ad Universos Episcopos Provinciarum omnium per Gallias, hæc habet: *Quapropter Auxanio Fratri, & Coepiscopo Nostro Arelatensis Civitatis, vices nostras Charitas nos dedisse cognoscat: ut si aliqua (quòd absit) fortassis emerserit contentio, congregatis fratribus, causam Apostolicâ auctoritate discutiens Deo placita æquitate definiat. Contentiones verò si quæ (quòd Deus auferat) in fidei causis contigerint, pro Magnitudine Apostolicæ Sedis ad nostram proferat sine dilatione notitiam.*

Inter Epist. Vigilij.

10. Idipsum adnexuit in altera ad Aurelium ejusdem Urbis Episcopum. *Quòd si de Religione fidei, (quòd Deus auferat) fuerit certamen exortum, ad nostram consultationem potius, ut remittas hortamur, quia ita Decessores Vestros, qui Decessorum Nostrorum vices egisse, monstrantur fecisse, testimonium nostri declarat Scrinij.* Servari integras prædictas Vigilij Epistolas in archivio Arelatensis Ecclesiæ, testatur Baronius. Et Vigilio igitur, & Primis in Oriente Patribus, Orbis Catholici Principibus, atq; Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus menti fuerat, suprema Sedis Apostolicæ vindicare jura, diplomataq; Apostolica pro roborandis fidei definitionibus sæculo illo exigere, illiusq;

in append. ad 5 Synod.

usq; obsequi præceptionibus. *Maligni tantùm homines* (inquit S. Gregorius de eadem in Synodo controversia) *exeuntes, turbaverunt animos vestros, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.* Epist. ad Sabinum. lib. 2. Epi. 10. Indict. 11.

EX CONTROVERSIA VII SÆCVLI.

In Causa Monothelitarum & Honorij.

OPPOSITIO IX.

A. Anon.

SExta Synodus (inquit) quæ & Monothelitas hæreticos proscripsit, profligavitq, & Martini primi in Concilio Lateranensi, & Agathonis in frequentissima Synodo Romæ celebrata, judicia adversûs eos, discussit & examinavit. Insuper Honorium Summum Pontificem, lectis ipsius ad Sergium literis damnavit. Est ergo supremum jus, supremaq; auctoritas dirimendi controversias, quæ circa fidem oriuntur, penes Ecclesiã Universalem & Generale Concilium. Hocq; nisi credidisset Agatho Summus Pont., sanè non permisisset & Martini primi, & Lateranensis Concilij judicium à sexta Synodo retractari: non permisisset etiam sextam Synodũ Oecumenicam celebrari, quæ denuo Monothelitarum causam examinaret, quasi nihil de ea re adhuc confectum esset: ægrè quoq; tulissent Agathonis Legati, in sexta Synodo dogmaticam Summi Pontificis Epistolam examinari.

„ nari. Non damnassent etiam Patres illius Synodi, Ho-
„ norium Summum Pontificem, nisi jus supra eum habere
„ se certò scivissent, conclamatumq; fuisset undiq; ab o-
„ mnibus, injuriam fieri Sedi Apostolicæ. Hæc omnia
„ cùm facta sint in illo Concilio Generali, neq; ipsi Aga-
„ thoni, neq; Legatis ejus, neq; totius orbis Episcopis,
„ neq; Ecclesiasticis viris, in mentem venerit, reclamare
„ & dicere, Concilium non esse supra Pontificem. Certò
„ certius ergo videtur pertinere ad Concilium Generale,
„ controversias omnes Decretario judicio, à quo, ad supe-
„ rius tribunal appellari non possit, dirimere & deter-
„ minare. „ hæc A. Anonymus.

CAPUT IX.

Ex Controversia septimi Sæculi, & sextæ Synodi Actis, auctoritas Pontificia illustratur, Honorius à calumnia vindicatur, & assertum confutatur Adversarij?

ad 1mum. I. PArum facit ad propositum, quòd initio Oppositionis inseruit A. A. supremum dirimendi controversias jus, Concilio Generali independenter à Pontifice ideo competere, quòd Monothelitarum causa, Martini & Agathonis judicio Synodaliter licet terminata, iterum in sexta Synodo fuerit ventilata: Non justam inquam probationem facit eorum, quæ cupimus, si certum sit, eandem Synodum non pro retractanda, aut discutienda Pontificum sententia, quasi aliquid in ea in dubiũ vocatum fuerit, sed pro reconcilianda Unitate Orientalis Ecclesiæ, jam dudum Eutychianorum, & iterum Monothelitarum latrociniis in partes discissæ, esse congregatam, quam solam fuisse illius causam, ordine suo demonstrabitur, atq; ipsius Synodi sanctionibus firmabitur,

bitur, Agathonis sententiam non discussam (ut ait Adversarius) sed reverenter à Patribus, ut Sanctam, & Apostolicam receptam, atq; executioni mandatam.

2. Sed demus, quòd ex professo ad indagandam controversiæ veritatem, non stabiliendam inter Orientales pacem, coadunati Patres fuissent, imposito jam per Sedem Apostolicam controversiæ fine, quid inde supremæ Rom. Pont. auctoritati præjudicij? numquid in Ecclesia novum, negotia fidei jam decisa, novis emergentibus causis, vel hæresibus, iterum ventilari? ut secundo sæculo factum ostendi de Paschate celebrando, sententiam à Pio 1. conditam, ab Aniceto iterum innovatam, & per Victorem tandem peremptoriè terminatam. Et tertio sæculo Controversiam de rebaptisandis hæreticis, à Stephano sententialiter resolutam, ad Concilia, & à Concilijs iterum ad Romanorum Pontificum examen perductam. Imò per Concilia Generalia materias fidei stabilitas, denuò per alia posteriora Generalia discussas plerumq; legimus; ut Arianorum causa in Arelatensi, Nicæno, & Constantinopolitano diligenter tractata. Item Eutychianorum in Chalcedonensi Maxima, licet ad amusim examinata, & totaliter persoluta, in quinta tamen Synodo ratione trium Capitulorum denuò fuit digesta. Quis autem deduxerit inde? unum Pontificem Romanum in regimis auctoritate, altero esse superiorem, aut anteriorem Synodum Generalem, aliâ posteriore deteriorem: quandoquidem non de auctoritate, sed de fide & unitate agitur conservanda, urgentibus duntaxat occasionibus, ut in præsenti controversia factum ostendetur.

3. Majorem difficultatem videtur ingerere A. A: de condemnato Synodaliter Honorio, si quidem eâ notâ perstrictus legitur, *actione* 13. sextæ Synodi (ut nobis ex latina interpretatione & impressione legitur) inter Au- ad 2dum.

 ctores

ctores Monotheliticæ hæresis: Premeret utiq; allata ex Synodo oppositio, si verum ostenderet Adversarius, ejusdem Synodi Acta, quæ vulgo retinentur, authentica & integra ad nos pervenisse, quòd quidem ex Catholicis nonnulli persvadere conati sunt, sed exuflati sunt: cùm ex omnibus certissimæ fidei Historijs, & cunctis ferè horum temporum scriptoribus clarissimè constet, corrupta esse 6tæ Synodi acta, à Theodoro Patriarcha Constantinopolitano Monothelita, qui suppresso suo nomine, Honorij apposuit. Honorium verò fuisse semper Orthodoxum, imò primum hæresis illius damnatorem, nihilq; penitus inveniri posse in ipsius ad Sergium Epistola, (propter quam condemnatus dicitur) quò in erroris suspicionem vel leviter adduci queat, luce apertâ ex S. Maximo Martyre, Honorij coætaneo, sanctitate & doctrinâ famosissimo, cæterorumq; Orthodoxorum testimonijs Præsulum, nec non validis rationibus deducetur.

4. Nec mirum Legatos Apostolicæ Sedis, in Synodali consessu quicquam pro parte Honorij egisse, neq; conclamatum alicubi fuisse, injuriam fieri Apostolicæ Sedi, cùm nihil adversùs Honorij Personam, nec minus Agathonis, attentatum fuerat: certè non Legati modò, sed ipsa eadem Synodus, sicut defendit contra Monothelitas defunctum Vigilium, vindicasset utiq; & Honorium; si quod dubium de Persona ejus obortum fuisset. Una tantùm adversùs eundem Honorium legitur oppositio, eaq; extra Synodum, à Constantinopolitano Patriarcha Monothelita Pyrrho, prætendente ex illius ad Sergium Epistola, quasi ipse Pontifex fuerit unius in Christo assertor voluntatis; verùm à S. Maximo refractarius disputator Pyrrhus, adeo convictus, quòd & errorem quem tuebatur Monothelismi ejuraverit, & Catholicam Honorij recognoverit Epistolam, de quo fusius suo loco.

ad 3tium.

act. 14. 6. Synod.

5. Cæterum in tota historia Monothelismi, & 6ta

Syno-

Synodo, nec unus apex controversiæ notatur, de fide Honorij, unicum non nisi illud adversûs Pontificem extat momentum, quòd in sententia 6tæ Synodi, post omnes Monothelitas nomen illius adstipulatum legatur: at quomodo in Acta Synodi irrepserit, haud cogitantibus de eo Concilij Patribus, sequentibus elucidabitur, & fuci revelabuntur, qui obtenebrare tam integrum in fide conantur Pontificem.

PARAGRAPHUS I.

Causæ afferuntur, cur sexta Synodus cogi debuerat, post latam à Martino, & Agathone adversûs Monothelitas sententiam, absq; præiudicio auctoritatis Apostolicæ Sedis?

I. EAndem omnino causam indicendæ adversûs Monothelitas Synodi comperio, quam, in negotio Nestorianæ, & Eutychianæ hæresis, de Ephesina & Chalcedonensi supra retuli: Damnatus licet Nestorius à Cælestino, & Eutyches à S. Leone, Generales nihilominus Episcoporum Conventus congregare necessùm erat, non ad perstringenda Pontificum judicia, sed ad refrænandam contumaciam hæreticorum Apostolicæ Sedi refragantium, & semina diabolica in agro Ecclesiæ continuò seminantium. Idipsum contigisse septimo sæculo, Martino & Agathone Ecclesiam gubernantibus, referunt codices historici.

2. Damnatis namq; in Concilio Lateranensi Martino Præside, Monothelitis, unam voluntatem & operationem in Christo contra præscriptum Honorij, passim in Oriente prædicantibus: Imperator Constans, Monothelismi Fautor, utpotè qui Olympio Exarcho in mandatis dederat, editum à se de fide Edictum, quod *Typum*

nominavit, ab Italiæ, & aliarum Occidentalium Ecclesiarum Episcopis subscriptione firmari: Cùm autem non tantùm id minimè præstitum scisset, sed in Concilio Lateranensi auctore Martino audiret condemnatum, maligno correptus spiritu, Sanctum Pontificem & alios Orthodoxos Ecclesiæ Præsules tyrannicè aggressus est: Martinum primò ab Urbe expulit, & in exilium relegavit, aliosve durè cruciatos affecit Martyrio, testis est hujus *Theophanes*: „ His agnitis (inquit) Constans Heracly„ nepos, S. Martinum, & Maximum, Constantinopolim „ ductos, & cruciatos apud Chersonam, ad alia climata „ exilio relegavit, multos etiam Hesperiarum Episcopo„ rum punivit. „

in vita Heraclij.

3. Hæc in Ecclesia turbulentia, sicut & Monothelitarum disseminatio hæresis, ad Agathonem usq; viguit, qui cùm Orientalis Ecclesiæ statum videret deploratissimum, ad resarciendam scissam penitus communionē Catholicam, Concilium Romæ haberi voluit, ubi iteratò hæresim Monothelitarum profligavit; sed cùm minimè profuisset iterata Pontificis fulminatio, Imperatore cum hæreticis consilium agente, omnemq; adhibente potentiam, ut dogma hæreticum stabiliretur; de alijs remedijs Agatho cogitavit, cogenda videlicet Universali Synodo, unicum illud medium reconciliandæ pacis, & hæresis proscribendæ intelligens: idcirco Imperatorem enixis interpellavit precibus, ut liberam loquendi facultatem, omnibus pro fide loqui volentibus congregandis Præsulibus, impenderet; veritus nimirum Pontifex, ne quòd cum Martino, alijsq; Catholicis Episcopis sacrilegè factum fuerat, idipsum in Synodo congreganda accideret: Habetur hujus rei testimonium in Epist. Agathonis ad Imperatorem, quæ incipit *Consideranti mihi &c.*

act. 4. sextæ Synodi.

4. Et hæc, non alia erat congregandæ sextæ Synodi causa, ut protrita penitus Orientalis Ecclesia erigere-

tur,

tur, pax inter Imperatorem & Occidentales reconciliaretur, & proterva hæresis Monothelitarum Apostolicæ Sedi repugnantium frangeretur. Sed jam ad ipsa Synodi acta, discussumne in eis fuit & examinatum Pontificis Agathonis judicium? ut supponit Adversius, an verò eidem reverenter obtemperatum?

PARAGRAPHVS II.

Sexta Synodus obsequitur, ut summo Legislatori, Pontifici Agathoni?

I. FRustra sextam Synodum in contrarium allegant Adversarij, licet post Martini & Agathonis irretractabilem adversùs Monothelismum sententiam, habitam, ex ejusdem quippe Synodi gestis luculentissimè eruitur: Universos Concilij Patres Romani Pontificis nutum secutos, & in omnibus mandato illius fuisse obsequutos: Priusquam enim ad definiendam fidei veritatem processissen, relegi petierunt à Constantino, Agathonis Epistolam, ut eâ tamquam fidei instructi regulâ, judicium quoq; Apostolicæ Sedis in condendis Synodicis decisionibus sequerentur. Definitio in hac Epistola legitur ab Agathone, de duabus in Christo naturis & voluntatibus, quam genuinam Christi & Apostolorum doctrinam, per os Petri & ejus successorum traditam, ex pluribus scripturæ evincit locis, Commonet præterea Universalem Synodum, omnesq; Ecclesias, ad amplectendum non aliud, quàm quod à Sede Apostolica emanarat judicium: act. 4. sextæ Synod.
ut potè (inquit) *Apostolorum omnium Principis, quam semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Vniversales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesq; Venerabiles Patres, Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atq; secuti sunt.*

2.

2. Quàm devotissimè ab universis est excepta dicta Pontificis cum commonitione Epistola, patet ex tota *Actione 8va* quâ jubentur Monothelitæ in facie Congregatæ Ecclesiæ, duas in Christo profiteri naturas, duasq; voluntates, juxta formulam Decreti Agathonis. Fiunt autem professiones ab omnibus Monothelitis sequentibus terminis: *Ita Domine profiteor & credo, quemadmodum habent suggestiones Sanctissimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis, id est duas naturas, & duas naturales voluntates.* Item: *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & Principalis Sedis antiquæ Romæ, tamquam à Spiritu S. directas, per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito prædicti ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector, & ita credo, ita sentio.* Cæteri tandem omnes qui Synodo interfuêre Catholici Antistites, unanimiter exclamaverunt. *Et nos notionem accipientes suggestionis directæ ab Agathone Sanctissimo, & Beatissimo Papa, & alterius suggestionis, quæ facta est à subjacente ei Concilio, & sequentes sensum, qui in ea continetur, sic sapimus & profitemur, & credimus.*

act. 8. sextæ Synod.

3. Et ex sermone iterum acclamatorio, ubi exemplo Chalcedonensis sub Leone, & quintæ Synodi sub Vigilio, profitetur S. Synodus se sequi Pastoris sui vocem, quam, confessionem appellat fidei à Deo exaratam, & Divini Sacramenti mysterium, illustrantem. *Hanc igitur* (inquit) *Divinitus scriptam tabulam* (de sententia loquitur Leonis) *Martianus Imperator, & Anatholius Constantinopolitanus Antistes, cum omni Chalcedonensi à Christo congregata collectione amplexi sunt, atq; manu & lingua consentiebant, & pariter subscribebant: sicut & Vigilius consonuit &c. His ita se habentibus &c. Proinde inspiratione S. Spiritûs conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, & Agathonis Sanctissimi Patris Nostri, & Summi Papæ dogmaticis literis ad Vestram fortitudinem missis, consentientes: unum IESVM Christum in duabus &c.*

action. 18. ejusd. Syn.

bus &c. prædicamus. Et inferius: *Summus autem concertabat nobiscum Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & Divini Sacramenti mysterium illustrantem per literas, confessionem tibi à Deo scriptam, illa Romana Civitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit; charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.*

4. Sessione septima Petrus Nicomediensis instigante Synodo professionem obtulit in codice, cujus hæc est formula: *Vnde & duas IESV Christi D. N. naturales voluntates confiteor, secundùm vigorem testimoniorum PP.*, *quæ posita sunt in suggestione missâ ab Agathone Sanctissimo & Beatissimo Papa antiquæ Romæ, & simpliciter in omnibus consentio, & permaneo in cunctis Capitulis, quæ continentur tam in prædicta suggestione, ejusdem Sanctissimi viri, quam quæ in altera suggestione*; Concilij videlicet Romani sub eodem Agathone.

5. In editione definitionis fidei, non aliam protestantur Patres conditam ab eis doctrinæ regulam Catholicæ, quàm quæ in Epistola Agathonis ad Imperatorem, & in Synodo Romana tradita est: *Præsens* (inquit) *Sancta & Vniversalis Synodus, fideliter suscipit, & expansis manibus amplectitur, tam suggestionem quæ à Sanctissimo ac Beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum Imperatorem, & alteram Synodalem suggestionem, quæ missâ est à Sacro Concilio* (Romano) *quod est sub eodem Sanctissimo Papa* 126 *Deo amabilium Episcoporum, ad ejus à Deo instructam tranquillitatem.* action. 18.

6. Luculentiùs in rescripto ad Leonem Agathonis in Sede successorem expressit Constantinus, quid sexta Synodus cum sententia Apostolica egerit, & quid in ejusdem Apostolicæ Cathedræ soliditate Agathone in ea sedente & docente, recognoverit. ,, *Ipsum* (inquit) *Agathonem* veluti Principem Apostolici chori, primæq; Ca- ,, in fine act. 18.

Dd the-

,, thedræ Antistitem Petrum, contuiti sumus mentium no-
,, strarum oculis, totius dispensationis mysterium divinitùs
,, eloquentem, *verbaq; hæc, per ejus literas Christum facientem.*
,, *Nam ipsum totum Christum sacræ ejus literæ differendo expri-*
,, *mebant*, quas omnes libentibus animis, sincerèq; accepi-
,, mus, & veluti Petrum ipsum, ulnis animi suscepimus.
,, Solus autem defecit à nobis Macarius, & à jugo quidem
,, Christi se adversando subduxit, renuit enim omnino Sa-
,, cratissimis Agathonis literis assentiri, *veluti in ipsum Co-*
,, *riphæum ac Principem Petrum insaniens.* ,, Catholici omnes, solus Macarius acclamatur hæreticus, quòd loquenti per Agathonem Christo obsequi recusaverit.

7. Legat hujus Oecumenicæ Synodi Relationis literas ad Agathonem, & tandem resipiscat Adversarius, quas hîc præterire nefas videtur, ne fortè credat, studiò
,, illas, quasi pro ipso facerent, me declinasse. ,, Maximi
,, morbi (inquiunt) majoribus indigent auxilijs, sicut scitis
eadem ,, Beatissime, atq; adeo Christus verus Deus noster: *Sapien-*
Act. 6. ,, *tem dedit medicum, vestram à Deo honoratam sanctitatem, con-*
Syn. ,, *tagia hæreticæ luis fortiter propulsantem*, remedijs orthodo-
,, xiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem.
,, *Itaq; Tibi ut Primariæ Sedis Antistiti, quid agendum sit re-*
,, *linquimus, stanti super firmam fidei petram*; perlectis vestræ
,, confessionis literis, à Vestra Paterna Beatitudine, ad Pijs-
,, simum Imperatorem missis, *quas à summo Apostolorum ver-*
,, *tice divinè perscriptas agnoscimus*, per quas exortam nuper
,, multiplicis erroris hæreticam sectam, depulimus: ac
,, ipsos ut lapsos circa fidem ac peccatores in matutinis ex-
,, tra castra atriorum Dei, (ut Davidicè loquamur) anathe-
,, matibus interfecimus. *Ex sententia per vestras sacras lite-*
,, *ras de ijs prius lata*, sic nos Sancto Spiritu illustrati, *vestrâq;*
,, *instructi doctrinâ*, infesta dogmata impietatis depulimus.,,
,, Et ad finem: ,, Orthodoxæ fidei splendidam lucem vo-
,, biscum prædicavimus, *quam ut iterum per honorabilia vestra*
rescri-

rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam sanctitatem.„ ”

8. Confirmatio hujus Synodi à Leone Pontifice, quoniam Agatho è vita decesserat, habetur in istis terminis: *Hanc igitur rectæ atq; Apostolicæ traditionis normam Prædecessor meus Agatho, Apostolicæ memoriæ Papa, cum sua Synodo prædicavit: quam sacra nunc & Magna Synodus, Domini & vestro ore celebrata suscepit, & in omnibus nobiscum amplexa est. ut potè B. Petri Apostolorum Principis sinceram doctrinam in ea agnoscens: Sancta igitur Vniversalis sexta Synodus, quia Apostolicam in omnibus regulam secuta est, & definitionem rectæ fidei plenissimè prædicavit, idcirco & Nos, & per Nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica, concorditer & unanimiter his quæ definita sunt ab ea, consentit; & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidam Petram qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem:* Quot verba, tot sacra pro auctoritate Agathonis testimonia: nec obstinatà carebit pervicaciâ ille, qui hæc orthodoxa scripta impudenter ambiret pervertere; magis autem Christianum credo, eveterana Sanctorum Patrum tenenda esse monumenta, quàm Novatorum deliramenta. De discussione sententiæ Martini, de qua Adversarius in argumento; nihil omnino legitur in tota sexta Synodo. Ad reliquas igitur Synodi actiones, ubi Honorius legitur condemnatus, accedamus. ibid.

PARAGRAPHVS III.

Honorius duplici viâ à calumnia vindicatur, & Patres Concilij, ab errore, & suspicione laceratæ iustitiæ redduntur immunes.

I. DE Honorij condemnatione, nondum satis discussa videtur controversia, propter varias opiniones, & ratiocinationes diffidentium inter se scriptorum. Qui-

dam enim ex Catholicis asserunt, exemplaria sextæ Synodi, in quibus legitur damnatus Honorius, ita esse integra, ut nulla occurrat ratio de fide eorum dubitandi, adeoq; justè & legitimè propugnant damnatum ab ea Honorium. Primum opinionis illius reperio *Canum* quem sequitur *Caranza*, & *Franciscus de Combefis*: ita tamen Honorium errasse ajunt, ut error non in summum Pontificem ex Cathedra loquentem, sed ut in hominem & Doctorem cadat privatum. ,, Est (inquit Franciscus) quod
,, distingvendum sit, inter Pontifices Romanos & Sedem
,, Romanam, inter Pontificem ut hominem privatum, &
,, Pontificem loquentem ex Cathedra: ut demus Sedem
,, Apostolicam sine errore hactenus perstitisse, nec errori
,, obnoxiam esse propter assistentiam Spiritûs Sancti, atq;
,, etiam idem dicamus de summo Pontifice ex Cathedra
,, loquente, cui tenentur omnes fideles obedire; at id ne-
,, cesse non est admittere de summo Pontifice, ut est ho-
,, mo & Doctor privatus. ,, Et inferius: ,, Honorius non
,, rem istam definivit ex Cathedra, cùm ad Sergium scri-
,, bens, silentium magis indicat de ista controversia, quàm
,, quemquam moveat, aut adstringat sua constitutione ad
,, sic, vel sic credendum, & sic si erravit, errore magis ma-
,, teriali erravit. ,, hucusq; actuum 6tæ Synodi defensor de Combefis. Usitata hæc est hodie à Scholasticis distinctio, verùm parum vel prorsus nihil ad præsens controversiæ servit propositum, cùm nemo non intelligat; Honorium eodem titulo Constitutionem edidisse, quo consultus fuerat, consultum autem à Sergio fuisse, non ut privatum hominem; sed ut Pastorem & Doctorem Universalis Ecclesiæ, certissimùm constat ex Epistola ejusdem Sergij ad Honorium, & ex ipsius Honorij literis ad Sergium, & Cyrum, silentium Apostolicâ auctoritate in Oriente indicentis: quomodo igitur error, eo semel admisso, ad solam ipsius Personam, vel ut Docto-

rem

rem privatum restringi poterit, qui auctoritate Apostolicâ cum Patriarchis Orientalibus certaverat.

2. Altera est sententia Anastasij Bibliothecarij, quam ex antiquissimis Græcis codicibus hausisse, testatur Noster *Onuphrius*, *Notis ad Platinam*; eum sequitur Baronius, & omnes fermè hujus temporis scriptores, authenticis demonstrantes integram Honorij fidem, & clarissimis evincentes testimonijs, ac rationibus, falsata esse 6tæ Synodi Acta. Nec refert, quòd scribit *Bail*: evacuata esse Baronij, & aliorum pro Honorio ratiocinia, â supra relatis 6tæ Synodi defensoribus; cùm id omnino falsum sit, majora quidem & graviora momenta ab Adversarijs silentio totaliter prætermissa, quæ ideo hîc reproducenda censui, ut lector perpendat rem, & judicet, nihil enim dubito, quam sit laturus sententiam.

3. Primò: Sophronius Herosolymitanus Episcopus, non minus quàm Honorius acquievit Sergio, quòd nullum de cætero sermonem de una vel duabus in Christo operationibus erat facturus, ut patet ex Epist. ejus ad Sergium, & Sergij ad Honorium, & tamen à 6ta Synodo indemnis habetur, imò ut Orthodoxus pluries prædicatur: cur igitur condemnaretur potius Honorius, quem dicunt Adversarij in nullo alio deliquisse, quàm quòd Sergio annuendo, pro bono pacis, silentium de utraq; voce indixerit? cur æquè Sophronius, qui ejusdem Sergij in omnibus se secuturum sententiam toties suâ Epistolâ profitetur, à Synodo non est declaratus Hæreticus. Ad hoc Adversarij non respondent. 1. Ratio pro Honorio.

4. Secundò: Honorius Sergio detecto postea hæretico, unam voluntatem in Christo contra præscripta illius prædicanti, nullomodo annuit, sed datis ad eum alijs literis, silentium de unitate & dualitate iterum indixit, propter periculum Nestorianæ vel Eutychianæ hæresis. Item Cyrum unam operationem adstruentem scriptis

compescuit: Quomodo igitur propter dictam ad Sergiũ Epistolam damnari à Synodo potuit? quâ assensisse hæresi non probatur. Adversarij non respondent.

5. Tertiò: Nondum definitum erat in aliquo Ecclesiæ consessu, ante Honorium, an una esset in Christo vel duplex operatio, sed tantùm, quòd duplicis sit naturæ, quas Honorius in data ad Sergium Epistola toties depredicat: Quomodo igitur à Concilio pro hæretico potuit declarari? qui nihil contra Ecclesiæ sensum pertinaciter asseruit, sed disputationem tantùmmodo ab Eutychianis obortam, ut potius sedaret Monothelitas, quàm juvaret, interdixit. Adversarij non respondent.

6. Quartò: Admisso non concesso, quòd hæresi ab Ecclesia damnatæ, Honorius assensisset, ejusq; ad Sergiũ Epistola convicta fuisset hæretica, numquid ex ea continuò damnandus erat ipse Honorius, & non more anteriorum Conciliorum disquirendum, an inveniri possit ipsum recantasse palinodiam, vel potius in eodem errore esse defunctum, sicut factum ostendi, de Theodoro, Theodoreto & Iba; nulla tamen ejusmodi disquisitionis in tota Synodi historia habetur mentio: Constat autem Honorium in religione Catholica defunctum, à tota Ecclesia ad mortem veneratum. & inter cæteros Pontifices ad S. Petrum depositum, nec ab ejus communione ullus Catholicus, nedum Ecclesia, vel Provincia aliqua unquã discessisse legitur, nec nomen illius abrasum, ex albo Orthodoxorum Pontificum, imò ut Sanctum fuisse honoratum, testatur *Beda in Hist. Angl.* Adversarij non respondent.

lib. 2. Cap. 17. 18. 19.

7. Quintò: Legantur antecedentes cunctæ Synodi Generales, immo earum singulæ Actiones, & non reperietur una, in qua etiam in levioribus causis, non fuerint Legati Sedis Apostolicæ interlocuti; hîc tantùmmodo nulla interlocutionis eorum notatur interpolatio; difficile

cilè autem imò videtur impossibilè, quomodo in re tanti momenti, ubi damnatio tractaretur Romani Pontificis (si hæc verè fuisset) toti orbi in publico promulganda Concilio, tam profundo letargo potuissent esse sepulti, in materia potissimùm tam aperta, ubi intercessissent pro parte Honorij, trium Romanorum ex Episcopis Occidentalibus Conciliorum, defensoria. Adversarij non respondent.

8. Sextò: Si ob damnationem privatæ Porsonæ, Theodori videlicet Mopsuesteni, totum orbem terrarum oportuit commoveri, quòd à quinta Synòdo post mortem anathemate feritus, qui à quarta Synodo indemnis relictus fuerat: quomodo fieri potuit? ut unius duntaxat lectione Epistolæ, tamquam repentè fulmine misso condemnatus fuerit plurimis post mortem annis, Primariæ Sedis Antistes, absq; ullo in Ecclesia motu, præsertim dum ab Occidentalibus, in tribus Synodis Romæ habitis pro orthodoxo Pontifice recognitus, & à fidelibus Universis ad extremum usq; diem, ut verus Pastor Ecclesiæ fuit veneratus. Adversa ij non respondent.

9. Præter hæc Anastasij & Baronij in concussa propugnacula, moveor alijs argumentis Honorij fidem, & Actorum 6tæ Synodi mutilationem apertè demonstrantibus. In antecedentibus ejusdem Synodi Actionibus, lego sæpius factam fuisse repetitionem, & specificationẽ Monothelitarum, absq; ulla mentione nominis Honorij: immo *Sessione quarta* Epistola Agathonis in qua personaliter nominati condemnantur Monothelitæ, ubi publicè lecta fuerit, non tantùm omnium acclamatione excepta & laudata, sed etiam se exemplum & auctoritatem Romani Pont. secuturam S. Synodus vivâ voce professa est, dum quos damnatos audit ab Agathone, eosdem confirmat reprobatos, ut *Action.* 8 legitur. Nonne contra Agathonis Epistolam post lectionem illius, fuisset à Synodo

nodo addita condemnatio Honorij, vel facta saltem aliqua contestatio, cur in Monothelitarum ordine nomen præteriretur Honorij? si eundem esse hæreticum, Synodo esset exploratum. Cur in fine Synodi adderetur damnatio? si Agathonis sententiam, in condemnandis tantùm illis, quos recensitos ab eo audierunt, se secuturam pollicita est: imò defacto secutam fuisse in profligandis sigillatim Monothelitis apertè confessa est, in editione Definitionis Fidei, quæ habetur *Actione* 18 his verbis:
Actione 8. 6. Syn. *Præsens Sancta & Vniversalis Synodus fideliter suscipiens, & expansis manibus amplectens suggestionem, quæ à Sanctissimo Agathone facta est, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt vel prædicaverunt unam voluntatem in Incarnatione Domini nostri IESV Christi.* Nec minimum autem jota adnotatum in ea legitur, nominis Honorij. Porro in dicta Agathonis Epistola probatum est, nullum Antecessorum suorum Pontificum, *à via veritatis in qualibet erroris parte unquam deflexisse*; nugax sanè fuisset Agatho, si Honorius, cujus recens adhuc erat memoria, hæreticis manus dedisset, vel certè præoccupati mente fuissent universi Patres Concilij, quòd in re tam gravi, eundem Honoriũ non opposuissent.

10. Cunctis præterea notum est, post mortem Honorij, tria Concilia Romæ, à Theodoro, Martino, & Agathone fuisse coacta, ex multis Occidentalis Ecclesiæ Episcopis: Primo Lateranensi sub Martino, etiam Græcos ultra quadraginta adfuisse, referunt Concilij ejusdẽ
tom. 2. Con. pag. 776. Acta, ubi exactè cognitâ Monothelitarum causâ, damnati fuère una cum hæresi, atq; eorum scriptis quatuor Patriarchæ Græci, Honorius nullam prorsus, vel ab hæreticis de hæresi calumniam, nec à dictis Synodis levissima est aspersione pullatus. Quid esset causæ? quòd ijdem Græci in 6ta Synodo contra Honorium & Lateranense judicium lingvas acuerent, & Romæ permanerent elingves:

gves: numquid & 280 Patres qui eisdem interfuêre Synodis, dissimulatione tantum crimen præterijssent? si Honorium comperijssent hæreticum.

11. Quòd si studiò id fecisse prædictos Pontifices, dixerit Adversarius, ne Sedes Romana Antecessoris eorum notâ ureretur. Cur quæso, tot alia Concilia in Occidente post decessum Honorij contra Monothelitas habita, nominis illius non meminerint? alios Monothelismi successores anathemati subijciendo; ut in Africa quatuor, Numidiæ, Bizacenum, Mauritaniæ, Carthaginense; tempore Theodori Papæ celebrata. In Hispania Toletana duo sub Martino, tertium sub Agathone (ut de Ecclesiæ Gallicanæ hîc taceam Synodis, inferius recensendis) in quibus nec una syllaba legitur de Honorio. Numquid tam insensata dicenda est illo sæculo Occidentalis Ecclesia, quòd tantum crimen dignoscere non valuerit? aut tam pusillanimis, quòd hæreticum, nomen Pontificis sibi arrogantem redarguere, vel Synodalibus decretis comprimere, & à communione fidelium segregare non ausa fuerit?

apud Bail. tom. 2. Conc.

12. Invidiâ ergo Græcorum, corrupta esse 6tæ Synodi Acta, in ipsa eadem Synodo reperio notabile corruptionis indicium. *Sessione 3tia* reproducta fuerunt à Monothelitis quintæ Synodi acta, & ex ijs, Vigilij Papæ auctoritas de una in Christo voluntate, opposita, quasi ille fuerit istius auctor dogmatis: hanc imposturam audientes Apostolicæ Sedis Legati, restiterunt Monothelitis publicè conclamantes, nihil hujusmodi esse Vigilij, sed libellos illos suppositicios Vigilij nomine, factoq; postea examine, detecta fuit ab eadem 6ta Synodo, hæreticorum fraus, & actorum quintæ Synodi falsatio, atq; Vigilij integritas, ab omni erroris suspicione palam à Patribus vindicata. Si igitur malitiâ Græcorum, quinta Synodus passa est concisionem, & nomen Vigilij, qui

habet. act. 3. 6 Syn.

nusquam de Monothelismo cogitaverat, cùm dudum ante Monothelismi delirium è vita decesserat, in acta illius irreptum: Pro rato habeo, hàc methodo eosdem hæreticos cum 6ta Synodo, & Honorio, in odium Romanæ Sedis usos fuisse. Imò defacto depravata fuisse illius acta, compertum est in Concilio Florentino, ex occasione Epistolæ Synodicæ, in qua ex sequentibus verbis: *Credimus & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit*; abrasum erat nomen *Filioq;* tantùm relictum *a Patre procedentem*. Detecta fuit hæc Orientalium nequitia in publico consessu à Juliano Cardinale, in disputatione quam habuit contra Græcos: quod ipsum longè ante Julianum, advertit *Emanuel Calleca* Græcus, in libro pro Latinis contra hæreses Græcorum scripto.

in hist. Con. Florent.

13. Proclives quippe fuisse Græcos ad falsificandas Conciliorum & Pontificum sanctiones, non solùm testatur hæc eadem 6ta Synodus, sed etiam S. Leo conqueritur, suæ ad Flavianum Epistolæ contra Nestorium idem accidisse. Item S. Gregorius *lib. 5. Epist. 14. ad Nars.* à Græcis corruptum fuisse Concilium Chalcedonense. Idem innuit Nicolaus primus, de Epistola Adriani Prædecessoris loquens: *Si tamen* (inquit) *non falsam Græcorum more, sed sicut à Sede missa est Apostolica, penes Ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseverat.*

Epist. ad Episcop. Palæstin.

Epist. ad Michael. Imperat.

14. Illud ipsum colligitur ex historia septimæ Synodi, ex sententia videlicet Nicolai contra Photium, in qua nulla fit mentio 6tæ istius Synodi, ubi sex tantùm numerantur, hàc prætermissâ, non quòd decreta illius ab Ecclesia non recepta, vel à Sede Apostolica probata non fuerint. sed quia (ut ait Anastasius) ea, quæ Romæ extarent 6tæ Synodi acta, ita ex Græco malè reddita haberentur, ut probata licet & confirmata ab Adriano, & successoribus eadem Synodus esset, posteri tamen

Ex Conc. Rom. sub Nicol.

in hist. 7 Synod.

men non eodem præconio, nempe titulo Oecumenicæ fuerint eandem profecuti, quousq; fidelioribus adhibitis exemplaribus, eadem ex purioribus fontibus daretur Latinitati: quòd præstitit ipse Anastasius, ut ipse præfando demonstrat, & Honorium excipit ab errore. Solitum igitur Græcis fuerat, acta non modò Pontificum, sed ipsorum quoq; Conciliorum Generalium falsificare.

15. Nec facit ad rem, quòd dicit Bail ex Monothelitarum historia Parisijs edita, actorum 6tæ Synodi exemplaria integra missa fuisse ad omnes sedes Patriarchales ab Agathone Diacono, Concilij scriba: Neq; enim certum est, eadem genuina ad Romanam quoq; Sedem transmissa, imò contrarium præter ea, quæ dixi ex Anastasio, ex alijs antiquis conijcio scriptoribus: Theophanes antiquior cæteris, atq; fidelior, Paulus Diaconus Aquileiensis, Georgius Monachus Græcus, qui res temporis illius gestas ex voluminibus Græcis Orientalium, scriptis mandarunt, nullum penitus de condemnatione Honorij verbum habent. Majus omnium testimonium existimo, schismaticorum Antesignani, & Romanæ Ecclesiæ semper infensissimi Photij, hic *lib. de septem Synodis*, enumerans à 6ta Synodo damnatos Monothelitas, nihil omnino refert, nec ullam suggerit mentionem de Honorij damnatione, qui sanè Ecclesiæ Romanæ non pepercisset, si in Codicibus græcis Orientalium scriptum comperijsset.

16. Nec illud judico præposterum, quòd in vulgari editione legantur 202 Canones, eidem 6tæ Synodi affixi, omnes tamen conveniunt, tam Latini, quàm Græci antiquissimi scriptores, neq; ab ipsa Synodo fuisse editos, neq; à Sede Apostolica omnes comprobatos, sed potius conditos post 6tam Synodum sub Justiniano Rinothmeto, ut affirmat Tarasius Constantinop. Patriarcha *act. 4. 7mæ Synodi.* Minimè quoq; urget *de Combefis*

Epiſtolas allegans Leonis 2di, & Adriani, cùm eas quoq; tom. 8 ad ann. 683. falſas & merè ſpurias evincat Annalium Conditor: & aliàs ſolvat Cardinal. Belarminus, de quo ſum dicturus infra.

17. Quis autem fuerit ejuſdem Concilij depravator, refert idem ſcriptor, ad an. 681. Theodorum Patriarcham Conſtantinopolitanum, Prædeceſſorem Georgij, Monothelitarum hæreſis audaciſſimum defenſorem, qui expuncto ſuo nomine, Honorij inſeruit; hæc autem excerpſit Baronius ex ſupra relatis ſcriptoribus, qui prædictum Patriarcham inter Monothelitas à 6ta Synodo connumeratum referunt; & ex Anaſtaſio qui hæc de illo habet: (de act. 6tæ Synod.) ,, Deinde (inquit) protulit Pijſſimus Princeps tomũ ,, ad relegendum, in quo uno hæreticum dogma Macarij ,, erat conſcriptum, & ejus manu ſubſcriptum, & Theo- ,, dori Patriarchæ, utiq; juxta eum tenorem ibi ſubſcri- ,, ptio erat. ,, in vulgaribus autem impreſſionibus mentio dicti Theodori non habetur.

18. Alia communi vià defenditur fides Honorij adversùs *de Combefis, & Bail.* (alio modo vindicatur Honor. à calumnia.) Demus v. g. quòd incorrupta ſint acta Concilij; quòd verè damnatus legatur Honorius; adhuc ex communi doctrina Theologorum, & iſtius illæſa ſtabit fidei integritas, & Venerandæ Synodi in deciſis articulis, integra permanebit auctoritas. Certiſſimùm ſuppono ex omnibus, auctoritatem ſupremam Eccleſiæ, ſe extendere non ſolùm ad quæſtiones *Iuris* ſed etiam *puri Facti* non revelati: Quò ad *Iuris* quæſtiones fidem concernentes, judicium auctoritatis Eccleſiaſticæ, eſſe omnino infallibile propter infallibilem Spiritûs S. aſſiſtentiam, quam ex promiſſionibus Divinis Eccleſia receperat, dogma Catholicum eſt, nec illud vocare in dubium Catholico liceat.

19 Quò ad quæſtiones *Facti*, quando Pontifex vel Concilium pronunciant v. g. aliquem librum eſſe hære-

ticum,

ticum, ob aliquas ſententias in ſuo naturali ſenſu erroneas; vel Perſonam ipſam propter ſenſum erroneum fidei Orthodoxæ diſſonum, declarat hæreticam, extra controverſiam quoq; eſt, judicium illorum in ejusmodi quæſtionibus, magni eſſe ponderis & momenti, quas in ſuis recenſent Conſtitutionibus ad totam directis Eccleſiam, nec illis refragari à quopiam particulari ſine nota temeritatis poſſe, quamdiu falſitas vel ſubreptio ipſi Eccleſiæ non appareat. Verùm in prædictis *Facti* dirimendis litibus, falli interdum poſſe Eccleſiæ judices, ita certum videtur inter Catholicos Doctores ferè omnes, ut nullus alicujus nominis Theologus inveniatur ante circiter 50 annos qui non ſolùm oppoſitum non ſenſerit, ſed qui eam ſententiam vel in dubium unquam revocaverit: Appello hac in parte omnes antiquos & modernos Doctores Gallicanæ Eccleſiæ: Præterea produco Purpuratos ejusdem ſententiæ defenſores. Cardinal: Turrecrematam *lib.* 2 *de Eccl. Cap.* 46 Cardinal. Bellarmin. *lib.* 4 *de ſum. Pont. Cap.* 12. Cardin. Baronium *tom.* 8 *ſeptimo ſæculo.* Cardinal. Palavicinus *in Hiſt. Conc. Trid. lib.* 7 *Cap.* 24. *& lib.* 11 *Cap.* 8. ſupponit ſententiam hanc exploratiſſimam: ſubſcribunt eidem Nicolaus Coefæteus *in ſuis Pontif. Appolog. Stapletanus in ſuis Controver.* Petavius *lib.* 1 *de Pænit. publ. Cap.* 2. Gravina *in Præſcription.* Canus *opere de locis.* Ioan. à S. Thoma *tract. de ſum. Pont.* ut omittam ſexcentos alios.

20. Sententia hæc fundatur in communi principio ex jure Canonico deducto, quòd privilegium infallibilitatis in rebus *Facti non revelati*, ab hominum videlicet informatione dependentis, non habeat Eccleſia, ſic enim legit Canon. in Cap. *Nobis* de ſentent. Excommunic. *Iudiciū Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur ſemper innititur: judicium autē Eccleſiæ nonnunquā opinionem ſequitur* (intellige in facti definitionibus) *quam & fallere ſæpe contingit, &*

falli. Ipsi SS. Pontifices confessi sunt in factis judicandis,
lib. 1. Dialog. cap. 4. se quandoq; falli & fallere potuisse: *Quid admiraris?* (inquit S. Gregorius) *quia fallimur, quia homines sumus? Quid mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, quia Prophetæ non sumus? multum vero est, quod unius cuiusq; Præsulis mentem, curarum densitas vastat, cùmq; animus dividatur ad multa, fit minor ad singula.* Notum præterea omnibus historiam Ecclesiasticam evolventibus, lata ab uno Pontifice vel Generali Concilio de *factis* judicia, ab alijs nonnunquam rescindi & revocari, immutari vel abrogari, quia in his non Divinâ revelatione, sed humanâ reguntur indagatione, quòd optimè expressit S. Bernardus: *Hoc* (inquit) *solet habere præcipuum Apostolica Sedes,*
Epist. 180. *ut non pigeat revocare, quòd à sede fortè deprehendit fraude humana elicitum, non veritate promeritum: res sanè æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur præsertim apud Sanctam & Summam Sedem.*

21. Suffragatur huic sententiæ satis evidens ratio: ut aliquid sit infallibile, tenendum fide Divinâ, fidem cõcernere debet, vel rationem objecti ingredi fidei, quæ sola nec falli potest, nec fallere, ut potè innixa Dei verbo scripto, vel tradito; sed contingentia facta, v. g. an Doctor ille hæreticè senserit, utrum talis ejus fuerit sensus, (nisi aliàs ex ipso sensus appareat proprius) non ingrediuntur objectum fidei, quia non innotescunt Verbo Dei scripto vel tradito, nec aliquâ revelatione novâ, cũ Ecclesia novas revelationes non habeat, Igitur judicia de puris factis, non gaudent infallibilitatis privilegio, ut Divinæ sint fidei; Absit tamen quòd similia Ecclesiæ in factis judicia, cuiquam in particuli respuere liceat, & nõ illis humiliter obtemperari, licet enim non continuò cẽsendus esset hæreticus, qui ejusmodi judicijs fidem adimeret, temeritatis nihilominus notam incurreret, si sine gravi causa, totâ consonante Ecclesiâ, torrenti illius se

oppo-

opponeret. His ita ex communi ſuppoſitis.

22. A nemine negari poteſt, controverſiam agitatam de Perſona Honorij, puri fuiſſe *Facti*, an videlicet, ad Sergium ſcribens & ſilentium de unitate & dualitate operationum indicens; item in alterâ Epiſtola ad eundē Sergium de una in Chriſto Voluntate mentionem faciens, hæreticè ſenſerit, ? utrum ſenſus eius fuerit, unam eſſe in Chriſto Voluntatem abſolutè ſecùndum utriusq; naturæ hypoſtaticam unionem, ? vel unam duntaxat ſecùndum humanitatem, ? non duas contrarias carnis, & Spiritûs, quales nos poſt peccatum videmus habere? Puri dico fuiſſe *facti*, ſecùndum humanam indagationem, non *revelati*; ubi enim quæſo legitur aliqua revelatio? vel in ſcripturis exaratio? vel Apoſtolica traditio; de mente Honorij, quòd unam operationem in Chriſto abſolutè cogitaverit, & non humanam ſolam in dicta Epiſtola intellexerit. Ex Epiſtola inquies Sergij unam Voluntatem profitentis, & Honorium in idipſum conſentientis, mens colligitur Honorij: ſed hæc humana merè argumentatiò eſt, errori ut plurimum obnoxia, non intima mentis Honorij perſcrutatio: Numquid contrarium ſentire non poterat Honorius? ſtante hæreticâ Sergij Epiſtolâ, quem tamen hæreſim ne dum litteris ſuis promulgaſſe, ſed foviſſe tantùm oſtendi ſuperius, cùm indifferenter pro una, quā pro duabus in Chriſto Voluntatibus Honorio ſcripſerat, eundem conſulturus: Revelatio igitur neceſſaria fuiſſet, ut Eccleſiæ judicium de cordis penetralibus Honorij foret infallibile, cùm aliàs de occultis, præciſis revelationibus, non judicet Eccleſia.

23. Igitur Concilium Generale hac in parte damnans Honorium, decipi potuit; conſequenter nec continuò fide credendum Divinâ, eum fuiſſe hæreticum; hæc dicti Cardinalis Bellarmini aſſertio, lòco citato affirmantis, ſextam & ſeptimam Synodum, nec non Adri-

anum

anum & Leonem 2. in causa Honorij decipi potuisse, quando eum hæreseos Monothelitanæ damnaverant. Eadem ratione affirmat Stephanum & Sergium errasse, non in quæstione *Iuris*, *sed Facti* gravissimi, dum pronunciarunt Formosum non esse Papam legitimum, ab eoq; ordinatos iterum ordinari præceperunt. Idipsum Petavius *de Dogmat. Theolog.* hæreseos maculam, hâc eâdem assertione diluere contendit. Hanc Antiquorum sententiam, firmissimum adversûs hæreticorum calumnias præsidium existimo, si Concilijs & Pontificibus nonnullis, ab alijs Concilijs, alijsq; Pontificibus impositas hæreses, ad errorem & deceptionem circa facta contingentia revocarent.

24. Difficilis videtur hæc vetus Catholicorum Doctorum sententia, nonnullis modernis historiæ Ecclesiasticæ rudibus, & imperitis Novatoribus, turbas nullâ ratione commoventibus, cùm periti perspectum habeant, credantq; Catholicè, Pontifices Romanos, & Concilia legitima Generalia cum Pontificibus in fidei definitionibus, nunquam quidem inter se dissensisse, quæstionesq; *Iuris* & dogmatum, Pontificis vel Concilij judicio terminatas, ne utiquam ab alijs in dubium revocatas fuisse, at multas *facti* controversias à Pontificibus, & Conlijs jam decisas, subsequuto diligentiori examine, fuisse postea retractatas. Relegat qui dubitat *de Mopsuestene* supra relatam controversiam, in Chalcedonensi Concilio agitatam & finitam; in Concilio subsequenti Constantinopolitano iterum resuscitatam, condemnata fuerunt scripta Mopsuesteni in quarta Synodo, Persona ejus recognita Catholica, & servata indemnis: In quinta tamen Synodo, hæretica declarata, & condemnata est.

25. Zacharias Pontifex, S. Virgilium anathemati subjecit, quòd antipodas dari doceret, qui tamen ab alijs, Sanctus est pronunciatus. Hormidas Papa, sententiam

tiam

tiam quandam Monachorum Scytharum, hæretico sensu acceptam damnaverat: Joannes 2. alio sensu eam intelligens, Catholicam declaravit, nec tamen alteruter eorum, hæreseos notâ culpatus est. Extant alia innumera *facti* exempla, quæ apud Eruditum P. Lupum videre est. Recognovit hoc ipsum Sacra Cardinalium Congregatio, ex occasione libri *Gregorij de Laude* Neapoli editi, anno 1660. Conatus fuit hic Auctor Joachimum Abbatem ab erroribus illi in Concilio Lateranensi Oecumenico impositis, & judicialiter damnatis, vindicare; minimè tamen prohibuit Sacra Congregatio, in examine discusso libro, sed tantùm in terminis sequentibus Gregorio immutare præcepit: *Conabimur tamen si fieri potest Ioachimum defendere*, utiq; non alio modo, nisi sensum illius interpretando: professa est ergo S. Congregatio, Authorem defendi posse, tametsi in facie Ecclesiæ, sui errores proscripti fuerint & condemnati.

26. Neq; sequitur inde, hæreticorum libros intactos esse, aut Auctores hæreticos, ab anathematis vinculo liberos, supposito, quòd auctoritati Ecclesiasticæ in *facti* Materijs desit infallibilitas: non inquam sequitur, cùm ad extirpanda hæreseos dogmata, sufficiat *Iuris* infallibilitas, & ad plectendos Auctores hæreticos, auctoritatis Ecclesiasticæ potestas, quâ ligare Personam valet, si illius manifestum crimen appareat; unde execrans aliquis Calvini v. g. scripta, & dubitans hæreticam illius fuisse mentem, non solùm hæreticus censendus esset, sed insanus pariter ac temerarius dicendus, cùm ex ipsius Calvini libris, quibus ex professo impugnat Ecclesiam, evidenter liqueat sensus hæreticus, propter quem à communione fidelium præcisus est auctoritate Ecclesiastica; qui autem Personam Calvini tueri voluerit, hæresim propugnaret Calvini, cum nulli dubium sit, illum in Ecclesiam effutijsse blasphemias, & hæreticam doctri-

 nam

nam propalasse. At hîc de ejusmodi *factis* non loquimur, de quibus nulla est in Ecclesia controversia, sed cùm ab Ecclesia Auctor proscribitur propter unam vel plures sententias, quæ licet in naturali sensu sint hæreticæ, aliũ tamen non excludunt Catholicum, & constat Auctorem sententiæ, ex alijs ejus operibus semper extitisse Catholicum, sitq; in Ecclesia hâc de re disquisitio, ut ad præsens occurrit de Honorio, qui ne ob unam propositionẽ, sed unam particulam, hæreticus à 6ta Synodo dicitur proclamatus, quem tamen in Religione Catholica laudabiliter semper vixisse, & in eadem defunctum fuisse, superius est demonstratum.

PARAGRAPHVS IV.

Epistola Honorij ad Sergium, propter quam hæreticus dicitur, Catholica in omnibus ostenditur, ex Sancto Maximo Martyre?

I. QUi integra volunt 6tæ Synndi quæ vulgo leguntur Acta, non aliam ob causam Pontificem Honorium unà cum Sergio putant esse damnatum, quàm ob ipsius Honorij Epistolam scriptam ad Sergium, quâ ei unam voluntatem in Christo adstruenti, se consentire (ut ajunt) significavit, nulla quippe alia damnationis illius causa, ut hactenus percurrimus, in Actis Concilij exprimitur, nec aliam præter eam reperiunt notam Adversarij, quâ eundem inurant Pontificem: si autem semel constiterit, prædictam Honorij Epistolam ita Catholicam esse, ut nullius possit erroris argui, vel in levem hæreseos suspicionem adduci, manifesta impostura erit Adversantium, hæresim Honorio ex Actis 6tæ Synodi impingentium.

2. Ac primò certum est, Honorium suæ ad Sergiũ Epi-

Epistolæ, nihil contra anteriora Concilia Generalia, duas naturas operatrices in Christo prædicantia, inseruisse; sed Catholicè utramq; admisisse, & credendum Sergio serius intimasse; *Hæc (inquit) nobiscum Fraternitas vestra prædicet, sicut & ea nos unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum refugientes, unum nobiscum Dominum IESVM Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum Divinitùs atq; humanitùs, fide Orthodoxa, & unitate Catholica prædicetis.* Et in Epist. 2da ad eundem Sergium hæc habet: *Cæterùm quantùm ad dogma Ecclesiasticum pertinet, quæ prædicare & tenere debemus, propter simplicitatem hominum, & amputandas inextircabiles quæstionum ambages, sicut superius diximus, non unam aut duas operationes, in mediatore Dei & hominum definire, sed utrasq; naturas in uno Christo, unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atq; Operatrices confiteri debemus, & Divinam quidem quæ sunt Dei operantem, & humanam, quæ carnis sunt exequentem.*

Epist. 1. ad Sergium act. 12. 6tæ Synod.

3. Non nisi cæcutiens ex his deduxerit, duas voluntates negasse Honorium, quando quidem tam disertis verbis, duas in Christo distinctas naturas admittit confitendas verè operatrices, & Divinam, secundùm ea quæ Dei, & humanam, quæ carnis sunt, verè operantem; cùm Augustinus dicat *voluntatem motum naturæ esse, quia motus est animæ.* Quòd autem addiderit: *unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes*; ob communicationem intelligit idiomatum unum operatorem Christum contra Nestorium, sicuti unam esse Personam contra eundem Nestorium in Concilio Ephesino & S. Leone definitum erat. *Agit utraq; forma* (inquit S. Leo) *cum alterius communione quòd proprium est, verbo scilicet operante quòd verbi est, & carne exequente, quòd carnis est.*

lib. 5. adversus Julian.

Epist. 10. habet. in sent. 6 Synod. act. 18.

4. Præterea cunctis hanc apprimè Epistolam perpendentibus erit manifestum, Honorium nihil definitivè

egisse de unitate vel dualitate voluntatum Christi, sed silentium solùm de utriusq; novæ vocis disceptatione indixisse, *ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum vocabulum refugientes, propter simplicitatem hominum, & inextircabiles quæstionum ambages: non unam aut duas operationes definire.*
ibid.
Hoc prudentissimè Pontificem fecisse, habitâ temporis illius ratione, præsertim cùm nedum fraus Sergij detecta esset, ad vitandam occasionem adhærendi, vel Nestorianæ hæresi, quæ duas in Christo Personas constituebat: vel Eutychianæ, quæ unam tantùm naturam admittebat: Ipse adfert hanc, non aliam indicendi silentij causam, eâdem ad Sergium Epistolâ: *Et nos secundùm sanctiones Dominicorum eloquiorum oportet sapere & spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur Sanctis Dei Ecclesijs scandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur, aut certè si rursus unam operationem D. N. IESV Christi fatendum esse censuerimus, stultam Eutychianorum attonitis auribus dementiam fateri putemur: præcaventes ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres & redivivos ignes flamminovarum denuò revocent quæstionum.*
Epist. 1 ad Sergium.

5. Unde Honorius si censendus esset hæreticus, quòd de unitate vel dualitate operationum (de quibus nulla in Ecclesia præcessit definitio) indixisset silentium, multi alij Orthodoxi Pontifices, similem hæreseos maculam incurerent, ut Clemens 8. dum prohibuit, ne diversarum opinionum Auctores circa efficaciam gratiæ, alteram ut hæreticam damnarent: & Paulus 5: Gregorius 15: Alexander 7: interdicentes, ne damnaretur affirmans aut negans peccatum originale in Virgine Deipara, Si dixerint Adversarij, non tenere de allatis Pontificibus paritatem, quia neutra ex illis sententijs est de fide. Idem respondeo de Honorio, quia neutra sententia de unitate vel dualitate operationum Christi illo tempore fuerat expressa de fide, ut obligarit unumquemq;

fidelem ad credendum explicitè: in nullo quidem confessu Ecclesiæ ante Honorium definita, licet implicitè fuerit credita.

6. Porro & illud ex historijs universis abundè liquet, Sergium eo tempore, quo Honorium hac in materia consuluerat, nedum fuisse detectum hæreticum, immo nec levem de eo habitam suspicionem quòd Monothelita esset, qui in hunc usq; diem summa cum laude, absq; aliqua erroris nota, sedem suam rectè sanctèq; rexerat, & à multis non tantùm Orientalis, sed Occidentalis etiam Ecclesiæ, magnæ notæ Præsulibus, Orthodoxus fuit acclamatus, ut patet ex Epist. Sophronij ad Honorium, in qua nihil habetur Concilio Chalcedonensi contra duas Christi naturas adversum; immo nec ullum notatur illius pro una voluntate opinionis indicium, sed simplex Honorio cum consultatione repræsentatio, *quòd unius vel duarum operationum dictio multos scandalizet, ut potè à nullo Sanctorum, ac probabilium Ecclesiæ institutorum edita.* quomodo igitur culpæ redargui poterit de utraq; voce Honorij silentium? quòd veluti pacis signaculum videretur esse appositum, annuendo simpliciter flagitanti Sergio, ut ad præscindendum simplicium scandalum, novellæ adinventionis voces prohibeantur: cùm aliàs satis superq; consultum fidei Catholicæ judicaverat, si in Christo duæ naturæ distinctæ confiterentur: aut quomodo acquievisse hæresi Sergij, dici potuit? si nedum eo tempore, quo Honorio scripserat, detectus fuit hæreticus, ut Epistola Sophronij, illiusq; (ut sæpius repetam) declarat apertissimè: neq; hîc nodum faciunt Adversarij.

act. 11. 6tæ Synodi.

ex Epist. Serg. act. 12.

7. Illud ergo unicum quod nobis inijciunt, est; primæ illius ad Sergium Epistolæ punctum, in quo ab illo de una operatione & voluntate Christi lata videtur definitio; sic enim legit ante medium: *Vnde & unam voluntatem fatemur Domini Nostri IESV Christ.:* hîc (aiunt

 Ad-

Advers.) apertus Monothelitarum error, cujus est manifestus assertor Honorius, unde & meritò inter Monothelitas à Synodo computatus, sed quàm multùm hallucinentur; & non sciant quid loquantur, falsi Epistolæ interpretes; ex S. Maximo Martyre inter Orientales celeberrimo, fidei Catholicæ defensore ægregio, (quem Nicolaus I. propè solum illo tempore apud Constantinopolim, Catholicum fuisse testatur) palam aperietur, simul atq; compertum habebitur, quis sit germanus verborum Honorij sensus.

Epist. ad Michael.

8. In conflictu publico, quem habuit S. Martyr cum Patriarcha Constantinopolitano Pyrrho, assistentibus plurimis Africanæ Ecclesiæ Præsulibus, dum prædicta Epistolæ Honorij verba opposuisset Maximo, Princeps Monothelita: *Quid* (inquit) *de Honorio ad respondendum habes, qui apertè Antecessori meo Sergio, unam voluntatem Domini Nostri IESV Christi esse tradidit:* Respondet S. Maximus: *Quis fuerit fide & auctoritate dignus Epistolæ ejus interpres, qui eam ex Persona Honorij scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum pietatis dogmatibus illustravit, an hi qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur?* Pergit Pyrrhus: *Ille qui hanc composuit:* Respondet Maximus: *Is igitur cum ad D. Imperatorem Constantinum ex persona Ioannis P. scriberet dixit; unam voluntatem dicimus in Domino, non Divinitatis ejus, sed humanitatis solius: cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; rescripsimus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquam & spiritûs, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus significabat. Hoc autem ita esse, argumentum est evidens, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem de Divinitate, illa accipi non permittunt: Deinde* (prosequitur) *occurrit Honorius per anticipationem objectioni; si quis verò* (inquit) *dicat, quare de humanitate Christi agentes de Divinitate*

habet. apud Baron. in append. to. 8.

ejus non meministis? respondemus; primùm quidem responsum fuisse ad quæstionē, deinde ut in omnibus, sic etiam hîc, consuetudinem scripturæ nos secutes fuisse, quæ aliquando ex Divinitate eius disserit, aliquando ex humanitate solùm

9. En genuinū habes Epistolæ sensum, Honorium non unam in Christo Voluntatem confusè prædicasse, sed unam humanitatis, non duas repugnantes intellexisse; quas quosdam ex Epist. Honorij constat, admisisse: Quòd autem de voluntate Divinitatis non differverit, nulla ei erat occasio, quòniam de contrarijs voluntatibus carnis, & spiritûs, oblata ei erat à Sergio quæstio, quas nonnullos aiebant in Christo credidisse; Usum quoq; secutus est scripturæ, ubi aliquando de sola Divinitate, aliquando de sola humanitate, prout occurit occasio, fieri solet mentio.

10. Hæc orthodoxa Maximi interpretatio, eruitur ex ipsiusmet Epistolæ Honorij immediatè subsequentibus verbis, postquam enim dixerit, *Vnam voluntatem fatemur D. N. Iesu Christi*, Subdidit continuò: *quia profectò à Divinitate assumpta est* (utiq; humana) *nostri naturâ non culpâ, illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata; Christus enim Dominus in similitudinem carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit: Carnis autem vocabulum duobus modis Sacris eloquijs, boni, maliq;, cognovimus nominari. Non est itaq; assumpta à Salvatore vitiata natura: nam lex alia in membris, aut voluntas diversa alia non fuit contraria Salvatori, quia supra legem naturæ est humanæ conditionis.* Ubi vides Honorium cùm unam adstruat in Christo voluntatem, humanam solùm intellexisse, eamq; unicam, non duas carnis & Spiritûs interse repugnantes, ad bonum videlicet & malum (quas confiteri nonnullos in Christo audisti ex Sergio apud Maximum) sed unam humanitatis bonam, ait, in Christo prædicandam, unius Personæ operantis, secundùm idiomatum communicationem,

onem, cùm enim indivisa sit in Christo utriusq; naturæ operatio, sicut & indivisè conjuncta est, ut in unum tendant, & idem velint naturæ bonum, una quasi dicitur Christi operatio, quam S. Dyonisius appellat operationem Theandricam, novam & inusitatam, Dei virilem, ut Ioannes Damascenus insinuat.

lib. 3. cap. 19. 19. de fide Ortho.

19. Non desunt alia momenta, integritatem Honorij confirmantia, trium videlicet Romanorum Pontificũ, Nicolai 1. *Epist: ad Michaelem*. S. Martini, in sententia Concilij Lateranensis. & Agathonis Epist. ad Imperatorem, & *6tam* Synodum, testificantium atq; probantium, neminem Prædecessorum Romanæ Sedis Antistitum, hæresis labe vel leviter aliquando notatum fuisse, quæ consulere Lector facilè poterit, atq; ex hactenus dictis colligere, nihil esse quòd non ex omni parte, integra sinceraq; fides Honorij demonstretur, & sybillantium ora obturentur.

PARAGRAPHVS V.

Quæ opinio Ecclesiæ Gallicanæ fuerit illo eodem sæculo de Honorio.

I. Vix aliqua erat notabilis in Oriente & Occidente hæresis, sive Apostolicæ Sedis gladio, sive Oecumenici Concilij studio jugulata, cujus Ecclesia quoq; Gallicana in privatis suis Episcoporum Conventibus damnatrix particulatim non extiterit. Percurrere liceat omnia Synodica ejusdem Ecclesiæ gesta, ab Arelatensi 1mo, Universas ab Ariano ad Calvinum hæreses, imò ad nostra usq; tempora ad Jansenium, & comperietur non solùm hæreses, sed earum quoq; Antesignanos, ab ea Synodaliter recenseri & condemnari. Illud unicum admirandum, quòd dum de hæresi Monothelismi septimo sæcu-

ſæculo in Eccleſia Occidentali, & nominatim Gallicana actum eſt, nec unum quidem iota de Honorio adnotetur neq; illius Synodis hâc de cauſa illo eodem tempore celebratis, neq; in alijs occaſionibus & conferentijs Romanum inter & Gallicanum Clerum, ex profeſſo contra Monothelitas habitis.

2, In Concilio Romano ſub Martino, compoſita fuit à Pontifice adversûs Monothelitas formula, ſeu fidei confeſſio, quam etiam cum ſubjuncta Epiſtola, & omnium Monothelitarum nominibus Galliæ Patribus deſtinavit, obteſtans Francorum Reges (inquit Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis) ut ſi eſſent ei viri Catholici & eruditi, eos ipſi adminiculum ad hæreſim comprimendam faceret deſtinari. Collectam fuiſſe à Rege illico Synodum, ex cunctis Regni Sacerdotibus, teſtatur Surius; haud dubium quin & lecta fuerit Pontificis Epiſtola, & audita Monothelitarum nomina, nulla tamen à Patribus Synodi adversûs Honorium legitur ſuggeſtio, ſed tantùm Legatorum Romam mittendorum electio, ad confutandam cum Martino hæreſim Monotheliſmi.

in geſt. S. Eligij.

tom. 4.

3. Paulò poſt, idem Pontifex miſit literas Encyclicas una cum Synodalibus Actis, ad S. Amandum Trajectenſem Epiſcopum, ut in Galliarum Provincijs, ea quæ Romæ geſta eſſent innoteſcerent, atq; ab alijs Epiſcopis, congregatis Provincialibus Synodis, firmarentur. Recenſentur in dicta ad S. Amandum Epiſtola, nomina quatuor Patriarcharum Monothelitarum Romæ damnatorum: Ad nutum Apoſtolicæ Sedis congregatum fuiſſe Concilium Cabiloni à Clodoveo, ex triginta ſeptem Epiſcopis, & ſex Procuratoribus abſentium, referunt acta Gallica, ubi de hac hæreſi negotium ventilatum, & aliqui Epiſcopi de eadem convicti, omni Epiſcopatûs ordine leguntur degradati, nec minima tamen de Honorio oppoſitio, aut mentio facta.

Bail. tom. 2. Concil.

4. Item ſub eodem Clodoveo, Martini ejusdem tempore, celebrata fuit alia in Gallijs Synodus, *Cypliani*, in territorio Pariſienſi, aſſiſtentibus ferè omnibus Galliæ Epiſcopis Aimonio teſte: „ Inter quos (inquit) quidam
lib. 4. Cap. 41 „ Sancti extitêre viri, quos Sancta Eccleſia dignis effert „ honoribus, eò, quòd ad eorum ſepulchra, varijs vexati „ ſanentur infirmitatibus, id eſt B. Audoenus, Rado frater „ ejus, & Dominus Eligius, cum B. Sulpicio, nec non S. „ Eucherio; „ nulla tamen oborta fuit de fide Honorij controverſia: Conceptu ſanè difficilè, quomodo Sancti viri, ſilentio rem tantam præterire potuiſſent, ſi Honoriũ hæreticum à Synodo Romana in præjudicium Religionis Catholicæ liberum, & in Epiſtola Martini ex Monothelitarum numero fraudulenter expunctum advertiſſent.

5. Aliud lego Concilium in Gallijs ſub eodem Martino Papa Aureliæ celebratum, in cauſa unius Epi-
Audoenus in vita S. Elig. cap. 34. ſcopi Monothelitæ, qui à partibus tranſmarinis in Gallias venerat, virus ſuum propagaturus: confutatus fuit à Concilio, Salino Epiſcopo Præſide, atq; damnatus, cũ alijs ejusdem hæreſis defenſoribus; de Honorio nihil omnino ibidem legitur.

6. Concilio Romano ſub Agathone, ubi cauſa Monothelitarum diligentiſſimè tractata, & Pontificum Romanorum probata fides, quòd nullus eorum à veritatis tramite deflexiſſet, ſed in proſectandis & profligandis hæreſum dogmatibus ſtudium cunctos impendiſſe; interfuêre Eccleſiæ Gallicanæ Patres; qui in *4ta Actione 6tæ Synodi* leguntur adnotati, ut Felix Arelatenſis, Adeodatus, Leucorum Epiſcopus, Taurinus Eccleſiæ Toloſenſis Diaconus, nec leviſſimus tamen legitur ab illis in Honorium motus, ſed ſiluêre omnes; quòd quidem minimè licuiſſet, ſi Honorius cognitus ab eis fuiſſet iſtius aſſertor erroris. Non modicam judico hæc facere fidem, ab Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtitibus, Honorium pro verè Orthodo-

thodo-

thodoxo illo sæculo fuisse creditum, quandoquidem nec unum de eo notetur jota, in illius Ecclesiæ gestis, cùm in alios Monothelismi sectatores plerumq; facta fuerit invectio.

EX CONTROVERSIA VIII. SÆCVLI OPPOSITIO A. Anon. deest.

CAPUT X.

Ex Controversia Octavi Sæculi in causa Iconoclastarum, auctoritas Petri & eius Successorum, ad Vniversalis Ecclesiæ, Conciliorumq; Generalium auctoritatem comparata, superemi-nentior factis probatur, & testimonijs.

1. ORdo postulat vt octavum sæculum expendatur, si quid nobis, aut his, quæ superius demonstrata sunt adversetur, quæ videlicet contendentibus in Oriente cum Sede Apostolica hæreticis, facta leguntur: video prætermissa omnia silentio ab Auct: Anon:, haud dubium, quot tot adversûm se præviderit jacula, quot exarata in Voluminibus Ecclesiasticis, & gestis Gallicis, Controversiæ illius extant chirographa. Historias dicti sæculi evolvat quisquis velit, reperiet quanti momenti fuerit, quàm reverenda, quàm metuenda Romani Pont: auctoritas, etiam fidei Catholicæ juratis hostibus Iconoclastis formidabilior, quàm septimæ Synodi, & totius in ea Congregatæ Ecclesiæ Majestas.

2. Declinante iterum in Hæreses, & seditiones, mobili illâ Orientali Ecclesiâ, Leone Isauro Imperatore, Venerandis Christi, & Sanctorum imaginibus bellum inferrente, sola exurgens Apostolica Sedes, ut Orthodoxæ vindex fidei, insultus contrivit hæreticorum. Gregorius namq; 2dus ad evellenda venenata hæreseos germina, quæ alta radice in Oriente Imperator plantasset, Romæ Concilium deposuit, quo eundem Leonem, cum suis impietatis assertoribus ab Orthodoxa fide, & à Catholicæ Ecclesiæ gremio pronunciavit alienum; insuper vectigalia, quæ ad hocce tempus Imperio perpendebantur, inhibuit: ipsum verò pium Sacrarum imaginum cultum sancito decreto, firmiter roboravit.

3. Verùm Leonis filius Copronymus, paternâ imbutus perfidiâ, cùm eandem non imitari tantùm, sed & vincere pergeret, sacrilego furore etiam Antistites Catholicos exilijs & proscriptionibus aggressus est persequi, minimè contentus, quòd Sacrosancta vasa, ob venerandarum picturas imaginum pedibus calcarentur, & templorum decor, quem earundem SS. imaginum picturæ pariebant, partim abraderentur, partim calce illinirentur: Romanus Pont. Stephanus secundus, prolatam à Gregorio in Leonem Patrem, confirmavit in sævissimum filium Copronymum dámnationis sententiam, & cultum innovavit Venerabilium imaginum.

4. Permansêre equidem hæreticæ illius pravitatis semina ad Constantini Orthodoxi Imperatoris tempora; sed quodnam ipsi fuerit remedium, ad executiendas Sacrilegas Iconoclastarum reliquias, & stabiliendam in Orientali Ecclesia pacem, referunt illius ad Adrianum literæ, quibus obtestatur Pontificem, ut ad veritatis Catholicæ stabilitatem super Venerandis imaginibus in Orientem ascenderet, & grassantes adhuc reliquos Iconoclastas Episcopos, auctoritate compesceret. Legat sequen-

quentia qui dubitat „ Debitam (inquit) nobis ô San- „ habet.
ctissimum Caput, id est, ut irreprehensibiliter ea, quæ „ in præ-
ejus sunt sapiamus, & in suis versemur, ut potè ab ipso „ amb. 7
nos quidem Imperium, vos verò Principalis Sacerdotij „ Synod.
dignitatem suscipientes: scit vestra Beatitudo quæ pri- „
dem facta sunt in hac nostra Regia Civitate propter Ve- „
narabiles imagines, qualiter qui ante nos regnaverunt, „
eas destruxerunt, unde: *rogamus Vestram Paternam Beati-* „
tudinem, ut ascendat huc, in stabilitatem & firmitatem antiquæ „
traditionis super Venerabilibus imaginibus, debitum enim illi „
hoc facere: Si autem non poterit ascendere huc, eligat „
viro honorabiles habentes scientiam, & dirigat unâ cum „
syllabis, ut inveniantur ex Persona Sacræ & Paternæ Ve- „
stræ Beatitudinis hîc. „ Expostulat quidem superiori- „
oribus, Universale super his Concilium, sed illud haud efficax existimavit remedium, absq; interveniente Apostolicæ Sedis auctoritate, quam in Legatis etiam, qui vice suâ præessent Concilio, sufficere, ad confundenda hæreticorum zyzania, catholicè confessus est.

5. Auctoritatis istius, & dignitatis Apostolicæ, ijsdem literis expressit insignia Orthodoxus Imperator, quantaq; veneratio ejus summæ Sedi exhibenda sit, à fidelibus cunctis per orbem, ut non modò particularium Ecclesiæ Antistitum, sed Generalium, quoq; Conciliorum auctoritas omnis, à Romani Pontificis auctoritate, ut lege & Legislatore debeat penitus dependere. „ Con- ibid.
solamini (inquit) consolamini popule meus, dicit Domi- „
nus. Et labia Sacerdotis custodient scientiam. Et de ore „
ejus eggredietur lex; quoniam Angelus Domini exerci- „
tuum est: & tamquam verus Primus Sacerdos, & is qui „
in loco sancti & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, „
ascendat; & simul cum omnibus Sacerdotibus, qui hîc „
sunt inveniatur, & voluntas Dei fiat. Certificetur au- „
tem & confirmetur, à Magno Deo & Rege omniumq; „
 Domi- „

„ Domino nostro JESU Christo, & à nobis servis ejus, qui
„ ascendentem Vestram Paternam & Sacram Beatitudi-
„ nem huc cum honore & gloria, habemus & suscipere,
„ & quæ opportuna sunt impertiri; & iterum expleto Ca-
„ pitulo, quod beneplacito Dei Christi speramus fieri,
„ cum honore & magnitudine gloriæ, præire illam habe-
„ mus ad remeandum ad propria. „ Desudabat summopere Universalem Synodum Constantinus, ad sepeliendas diffidentium blasphemias, at quia nihil ratum vel firmum fore absq; nutu Apostolicæ Sedis, præcedentium Conciliorum exemplo optimè didicerat, idcirco Adriani, ut supremi in Ecclesia judicis auctoritatem, cum rariori, quia sanctiori exemplo, supplex efflagitat.

6. Non ab Orthodoxis solùm Imperatoribus sæculi illius venerata, & Concilio Generali honorabilior credita fuit culminis Apostolici dignitas; sed primis quoq; Orientalis Ecclesiæ Præsulibus, metuendam extitisse ejusdem Sedis auctoritatem, testantur literæ Adriani ad Constantinopolitanum Patriarcham Tarasium, & ejusdem Tarasij summæ obedientiæ posteris relicta loquuntur monumenta. Consecrationem ejus in primariam Orientis sedem suspendit Adrianus, nisi prius Iconoclastarum hæresim profligando, sacrarum imaginum cultum restituisset in Ecclesijs, quòd ille exequi voce perterritus Apostolica, veloci passu aggressus est; Imperatoresve publicè obtestatus, ut nisi ejusdem erroris abolitionem polliciti fuissent, cum Constantino Irænes, se suæ electioni minimè consensurum.

7. Non reproduco alia authentica Orientalium, Adriani auctoritatem cum tremore reverentium, quorum tenores intra septimæ Synodi acta facilè quisq; cōperiet. Sufficiet hîc opinor solùm ipsius Oecumenici Concilij illo sæculo habiti testimonium, ab Adversario profundo obvolutum silentio, tametsi de eo, cum Romano Pont. comparato, semper procedat quæstio.

PARAGRAPHVS I.

In septima Synodo sola viguit Apostolicæ Sedis auctoritas in exustandis Iconomachorum erroribus, & condendis fidei sanctionibus, dum & nutui Romani Pontificis, & Legatorum eius præceptionibus obsequuti sunt Universi Patres Concilij.

I. VLtimum judicij tribunal, in dirimendis & terminandis fidei & morum quæstionibus, quod amplectitur & sequitur universalis sine discrimine Ecclesia, argumentum esse irrefragabile supremæ in terris, & independentis ab ullo potestatis, toties asseruit Adversarius ipse; nec jam miror, quòd octavum sæculum, & habitam in eo septimam Synodum totaliter præteriri voluerit, cum luce clarius elucescat ex dicto sæculo, suprema & absoluta Romanæ Sedis auctoritas, ad Concilium Generale comparata, ipso Concilio Generali palam testificante, dum præscriptam ab Adriano Pont. contra Iconoclastas sententiam ad amusim non solùm Synodus ipsa, ut fidei regulam amplectitur, sed eidem insuper contravenientes, non minus quàm ipsos Iconoclastas à communione segregat, & execratur: quibus consentire ipse, dum taceat, videtur Adversarius.

2. In exordijs Synodi, duæ fuerunt lectæ Adriani Epistolæ, auctoritatem ejus ad nullum aliud tribunal remissibilem indicantes. Primâ, continetur contra hæreticos circa Venerandas imagines cum admonitione definitio, non aliter sapiendum, quàm quòd Romana tradit Apostolica Sedes, cui & regendi auctoritas, & judicandi voce Salvatoris concessa est in terris potestas: auscultentur Epistolæ verba, & quid ad eam Synodus reposuerit,

act. 2. 7mæSynod. ,, rit, audiatur: ,, Magis autem (inquit) si orthodoxæ fidei sequentes traditiones Ecclesiæ, B. Petri Apostolorum Principis amplexi fueritis censuram, & sicut antiquitûs Vestri Prædecessores Sancti egerunt, ita & vos eam honorificè venerantes, ejus Vicarium ex intimo dilexeritis, & Orthodoxam secundùm S. Romanam nostram Ecclesiam, fidem secuti fueritis. Ipse Princeps Apostolorum, cui à Domino ligandi solvendiq; in cœlo & in terra potestas data est, crebro vobis Protector existens &c. Etenim cujus insignia dignitatis sacra pandit auctoritas, quantaq; veneratio ejus summæ sedi exhibenda sit à fidelibus cunctis per orbem: Dominus enim clavigerum Regni cœlorum, cunctis præposuit Principem, & hoc ab ipso honoratur privilegio, quo ei claves collatæ sunt Regni cœlorum, iste itaq; tam præcelso prælatus honore, promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi: cujus prædicatione Sancta Venerabilis illustrata est Ecclesia, & ex ea cœteræ Dei Ecclesiæ fidei documenta sumpserunt. Nam ipse Princeps Apostolorum B. Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præsedit, sui Apostolatûs Principatum, ac Pastoralis curæ successoribus suis, qui in ejus Sacratissima Sede perenniter sessuri sunt, dereliquit, quibus & auctoritatis potestatem, quemadmodum à Salvatore Nostro Dom. Deo ei concessa est, & ipse quoq; suis contulit, ac tradidit Dominico jussu, Successoribus Pontificibus, ,,

3. Et inferius, contestatur Imperatores, & in Universum omnes, ut non alia, quàm Romanæ Ecclesiæ in colendis imaginibus observetur doctrina, & Traditio: ,, Quæso vos (inquit) & adjuro, ut easdem Sacratissimas imagines, in ipsa à Deo conservata Regia Urbe, & cœteris Græciæ partibus, in pristinum statum restituere jubeatis, observantes traditionem hujus Sacrosanctæ Nostræ Romanæ Ecclesiæ. ,, Et paulò post, ferventius & exa-

exactius Apostolicæ Sedis largita à Christo demonstrat privilegia, illius nimirum esse muneris, Concilia Generalia omnia, auctoritate sua firmare, & Canones moderari. ,, Confundatur (ait) omne zizanium malè plantatum, & vox Domini impleatur, quoniam portæ inferi non prævalebunt adversùm eam, & rursus: Tu es Petrus, & super hanc Petram &c, cujus sedes in toto orbe terrarum Primatu fungens, caput omnium Dei Ecclesiarum constituta est, & quemadmodum B. Petrus Apostolus, per Domini præceptum regens Ecclesiam, nihilominus subsequenter, & tenuit semper & retinuit Principatum: quod præceptum Universalis Ecclesiæ, nullam magis oportet exequi sedem, quàm Primam, *quæ unamquamq; Synodum & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit*: quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi, B. Petro Principatus ac Potestas data est, & per eandem, cujus vel immeriti vices gerimus, Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, usq; hactenus tenet Principatum, ac Potectatis auctoritatem. ,, Loquitur hucusq; in ordine ad septimam Synodum, cui hæc per manus Imperatorum traditæ, & in toto consessu lectæ fuerunt literæ. Responsorias Synodi recensebo inferius, altera interea Epistola observetur.

4. Immediatè post relatam Pontificis decretalem sententiam, lecta fuit alia Synodica ejusdem, ad Tarasium Constantinop. Antistitem, qui sibi nomen Universalis Episcopi arrogabat, minus ægrè ferente, cum Imperatore, Universali Ecclesia: confunditur ibidem à Pontifice Patriarcha, atq; Universalis, privatur titulo: Deinde de auctoritate tractat Romanæ Sedis, ejus limites ad solam Dispersam non restringendo Ecclesiam, sed indiscriminatim omnem à primis Petri gubernaculis ad sua usq; tempora fuisse continuò gubernatam: ,, Omne zizanium (inquit) eradicetur, & Domini sermo implea- *ibid. Epist. ad Taras.*

Hh tur,

„ tur, quia portæ inferi non prævalebunt adversûs eam, „ & rursus: Tu es Petrus, &c. Unde idem B. Petrus Do- „ mini præcepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum di- „ misit, sed tenuit semper & retinuit Principatum. „

5. Jam responsorias Synodi audire liceat, ad prædictas Adriani Epistolas, quibus & forma Synodo adversûs Iconoclastas præscripta, & auctoritas Apostolicæ Sedis, supra Concilia Generalia omnia, exactis & energicis terminis coram trecentis quinquaginta Patribus, palam fuerat vindicata: Hæc leguntur *actione 2da:* „ Petrus & Petrus Reverendiss. Presbyteri, ac Vicarij Sanctiss. Papæ „ Adriani dixerunt: dicat nobis Sact. Patriarcha Tarasius „ Regiæ Civitatis, si consentiat literis Sanctissimi Papæ Se- „ nioris Romæ Adriani, an non? Tarasius Patriarcha di- „ xit: Sanctiss. Paulus Apostolus, qui illustratus est lumine „ Christi, & genuit nos per Evangelium &c. Unde Adri- „ anus Præsul Senioris Romæ, cùm esset particeps eorum, „ qui prædicto testimonio muniri meruerunt, *Fides vestra* „ *annuncietur universo mundo* scripsit expreſsè ac veraciter „ pijs Imperatoribus nostris, atq; ad humilitatem nostram, „ affirmans bene ac optimè se habere antiquam Traditio- „ nem Ecclesiæ Catholicæ; &c. Sic quòd confessi sumus „ confitemur, & confitebimur, consonamus, atq; perma- „ nebimus *in significatione literarum, quæ lectæ sunt imaginales* „ *descriptiones, suspicientes &c.* „ Subjunxit postea Univer- „ salis Synodus: *Tota Sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatisat.*

6. Iteratis vicibus Apostolicæ Sedis Legati à Synodo petiêre, si admittat literas prædictas Adriani Pontifi- eadem act. cis, an non? S. Synodus dixit: *sequimur, suscipimus, & admittimus:* Omnes tandem Concilij Patres particulatim professi publicè, in his & similibus terminis: *Ego N. modis omnibus lectæ suggestioni, quæ ad DD. Nostros ab Adriano Sanctissimo Papa Romano missa est, nec non & Epistolæ, quæ*

ad

ad Sanct. Patriarcham directa est, consentio, & ita confiteor, atq; cum hac fide proficiscar ad tribunal Christi veri Dei nostri. Item: *secundùm lectas Synodicas Epistolas Beatissimi Papæ Romani Adriani, credo & profiteor, atq; adoro & amplector Sanctas & Venerabiles Iconas, & qui ita non sapiunt, anathemati submitto.* Hæc & similis omnium *7mæ* Synodi Patrum confessio. Hæc Synodi, ad laudatas Pontificis Romani literas, non alia legitur responsio.

7. Sessione tertia, non minus recognita fuit à Synodo Romani Pontificis altitudo in ejus Legatorum Personis. Proposita ibi erat causa Gregorij Neocæsariensis Episcopi quondam Iconoclastæ, quem cùm eadem Synodus ad Ecclesiam, non autem ad Episcopatum pristinum recipiendum esse dixisset. *Non est dignus* (inquit) *Episcopatu*: quòd Iconoclastarum Antesignanus fuisset, atq; Orthodoxos persecutionis tempore in Oriente graviter vexasset; Decretum nihilominus erat auctoritate Legatorum Apostolicæ Sedis, ut unà cum Collegis in Sedem Episcopatûs recipiatur: retractare Synodus contrariam vocem, & in sententiam ire Legatorum reverenter coacta est. Post hæc recitatæ fuerunt Epistolæ, quas Tarasius dederat ad Patriarchas Orientales, quibus receptis, Vicarij Apostolicæ Sedis nomine & vice Adriani, aliter sentientibus anathema dixerunt, quam illico sententiam tota Synodus consonanter secuta est, & munivit subscriptione.

act. 3. 7mæ Synod.

8. Sexta sessione, quæ refutationem continet hæreticorum, probatur ab Epiphanio, Constantinopolitanam Synodum, paulò ante adversûs Venerandas imâgines, sub Copronymo Imperatore hæretico habitam, septimam Synodum ab eodem nuncupatam, non fuisse Oecumenicam, nec legitimam: *Quoniam* (inquit) *non habuit Cooperarium, ut hæc, quæ nunc celebratur Nicæna, Romanum Papam, nec illius Sacerdotes,* (Legatos videlicet) *nec literas.*

actione 6. ejusd. Syn.

9. In Epistola Relationis Synodicæ Tarasij ad Adrianum, cuncta quæ à Patribus stabilita leguntur, non sibi S. Synodus, sed admirabili Adriani attribuit sapientiæ, quâ & traditio Patrum demonstrata, & vis veritatis fuit roborata, Christo per literas ejus Universos Concilij Patres edocente: „ Vestra ergo (inquit) Fraterna, & „ Summo Pontificio decorata sanctitas, cum his *per Deiloquas suas doctrinas* quodammodò sermocinata, & ab eis „ (Apostolis) accepto veritatis verbo, spinosas herbas, quæ nunc germinaverunt &c. evellere machærâ „ spiritûs festinavit, mittens *secundùm scriptam sibi petitionem nostram, ad Universalem Synodum faciendam* æquivocos viros „ Principis Apostolorum Petri; quibus advenientibus, „ pij Imperatores eos benignè suscipientes, ad nos jubebant mitti, *per eos literas vestras nobis suscipientibus*: „ & „ parum inferius: „ Et cùm Prælatæ Vestræ fraternæ sanctitatis literæ legerentur, præstolabantur omnes spiritualibus ædulijs, tamquam in regalibus cœnis fruentes, *quæ Christus per literas Tuas epulantibus præparabat; & sicut oculus totum corpus, ad rectitudinis & veritatis semitam ostendebas, sic ergo dirupta membra in unum conveniebant, sic vera consonantia confirmabatur, sic Catholica Ecclesia unitatem recipiebat*.

10. Cum quibus & earum quæ de Orientali Diœcesi missæ sunt nobis literæ, lectione factâ, integra Paternæ Traditionis pulchritudo demonstrabatur, ac vis veritatis roborabatur: His itaq; gestis prædicabatur à nobis omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, *recta & irreprehensibilis confessio, quæ nobis missa est à vobis*, & per relationem etiam pijs Imperatoribus nostris &c.„

Quot verba, tot oracula ad dignoscendum, quam Personam octavo sæculo Romanus Pontifex ad Concilium Generale comparatus, gesserit, & quid in eo septima Synodus recognoverit.

act. 8.

11. De Convocatione hujus Synodi, quòd jussu & auctoritate Adriani indicta & celebrata fuerit, nullus du-

bitat, ob testimonium Divalis Epistolæ Constantini & Irene Imperatorum superius citatæ in Capite, ex quo jus Rom. Pont. in indicendis & moderandis Generalibus Concilijs roboratur. De approbatione ejusdem per Sedem Apostolicam facta, illi tantùm dissentiunt, qui auctoritatem Pontificis diminuere volunt. Verùm Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, qui Conciliabulo Parisiensi interfuerunt sub Ludovico Pio, apertè prefessi sunt, hanc Synodum ab Adriano Papa comprobatam fuisse; Equidem asserunt paulò post, ipsum Adrianum reprobasse postea eandem, quasi ipsas imagines veluti Deum venerandas sanxisset, sed hoc posterius, ut commentum reijcit Baronius: quippe oppositum legimus in Epistola Adriani Pont. ad Carolum Magnum, in quo hanc Synodum propugnat laudabiliter: etiam auctoritate Leonis, Adriani successoris confirmatam fuisse, testatur contra calumniam Auctorum illius libelli, qui sub nomine Caroli Magni suppresso nomine Typographi, & loci, dolosus impostor evulgavit: nec illo tempore defuerunt S. Apostolicæ Sedi ex Christianis infensissimi. Sed pergo ad Ecclesiæ Gallicanæ ejusdem sæculi gesta.

auctorit. Pont. congregata 7. Synod.

ad annum 794.

Juo 4 part. Cap. 157. apud Bin.

PARAGRAPHVS II.

Ecclesia Gallicana octavo sæculo in Carolo Magno professa est Pontificem Romanum, non Universalem modò totius Ecclesiæ Patrem & Doctorem, verùm etiam Conciliorum omnium, Rectorem & Moderatorem?

I. NOn hîc texo historiam florentissimæ Galliarum Ecclesiæ, & Christianissimorum semperq; inclytorum Franciæ Regum, quanta fuerit erga Romanos Ponti-

tifices pietas & reverentia octavo sæculo, ut in Stephanum ejusdem nominis secundum, in Gallias adventantem, Pipinum consecrandi, & auxilium ejus, pro Ecclesiæ Romanæ juribus, adversùs Longobardos implorandi, à quo nullo non honoris genere exceptus est, si quidem ad summi adventum Pontificis, ipse pijssimus Rex, cum Regni Proceribus, & Ecclesiæ suæ Antistitibus pedes in occursum festinanter direxit, atq; pedes prostratus, venerabundus pedes Stephani deosculatus est, cui & vice stratoris, usq; ad tertium lapidem juxta ejus sellarem properavit, nec à freno equi, quo vehebatur Pontifex pedes incedens discedere sustinuit, donec perductum in Urbem, ubi diversurus erat, collocasset in Palatio.

apud Anast. Bibliotec. in vit. Rom. Pont.

2. Non commemoro ferventissimum ejusdem laudatissimi semper Principis erga Sedem Apostolicam zelum, amoris & magnificentiæ prodigia, dum magno cum exercitu ingressus Italiam pro Romanæ libertate Ecclesiæ, non sui commodi causâ (ajebat ipse) sed propter animæ suæ salutem, ne videlicet Longobardi Ecclesiam lacessere pergerent; prostratisq; Romanorum infensissimis, claves Ravennatium cum plurimis Exarcharum, & Longobardorum concernentibus Vrbibus, Apostolicæ Sedi, & eidem Præsidenti Stephano, atq; omnibus suis Successoribus Pontificibus, perenniter possidendas atq; disponendas, quo suis in pace fruerentur ditionibus, tradidit; ex quo immortalem peperit apud homines laudem, & æternam illam apud omnes suo nomini promeruit gloriam: *Pipinus pius, primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit.* Extat magnificentiæ ejus apud eundem Pontificem Stephanum confessio, quâ ideo Gallos peculiares, & præ cæteris omnibus fidelissimos Petri, & Ecclesiæ nuncupat filios. ,, Super omnes gentes (inquit) quæ sub cœlo est, Vestra Francorum gens, Apostolo Dei Petro prima

Papir. in annal. lit. 2.

Epist. ad Pipin.

ma existit, & ideo Ecclesiam, quam mihi Dominus tra- ,,
didit, vobis per manus Vicarij mei commendavi ad libe- ,,
randum de manibus inimicorum &c. Quia secundùm ,,
promissionem, quam ab eodem Domino Deo, & Re- ,,
demptore nostro accepimus, peculiares inter omnes ,,
gentes, vos omnes populos Francorum habemus.,, ,,

3. Prætereo Caroli Magni erga Pontifices Rom: miracula, quo nomine, eò magis plurimâ laude dignus habitus est, quòd non solùm ipse in cultu Apostolicæ Sedis numeros omnes absolvit; verùm cæteris causa fuit, vt quàm devotissimè veneraretur ab omnibus. Scribit Eginchardus, tam vehementi studio Romanam Sedem prosecutum fuisse, vt toto vitæ tempore nihil duxerit antiquius, quàm vt Urbs Roma, sua opera, suoq; labore, veteri polleret auctoritate, & Ecclesia Petri, non solùm per ipsum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus, præ omnibus Ecclesijs esset ornata; ac ditata.

in Vita Caroli Magni.

4. Sed transeant pro nunc hæc, & alia his similia, quæ ad rem nostram vix aliquid faciunt, cùm hæc nonnisi propensionis & observantiæ erga Romanam Sedem, vt Ecclesiarum omnium Matrem, signa sint & indicia; quibus inseminatum Catholicis omnibus in Romanos Pontifices temperatum veneratione amorem profitentur. Ad propositum incumbit disquirendum, quid præfatus Imperator Carolus de eadem Apostolica Sede ad omnes comparata Synodos, crediderit? quidve de auctoritate illius, Ecclesiæ suæ Præsulibus, & fidelibus omnibus, postumis temporibus tenendum, credendum, atq; inviolabiliter observandum reliquerit?

5. Circa Annum 771. Episcopi & Presbyteri Galliæ, Imperatorem precati sunt, pro indicenda Generali Synodo ad resarciendas Ecclesiarum ruinas, continuis vexationibus hostiũ, & incursionibus perpetratas, annuit equidẽ Carolus petentibus sed quibus terminis, audiatur: ,,Notum esse volumus

l.6.Capitul. Franc. C.186. „ lumus (inquit) quia non solùm ea,quæ superEpiscoporum „ & Presbyterorum hostium vexationibus, & precibus pro „ nobis & vobis fieri rogitastis, concedere optamus, sed „ quicquid pro Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Sacerdotum, sive „ totius populi & vestra vtilitate inveneritis, concedere pa- „ rati sumus: & quando vitâ comite, Deo auxiliante ad „ Generale placitum venerimus, sicut petistis, consultum „ omnium fidelium nostrorum, scriptis firmare nostris, no- „ strorumq; *atq; futuris temporibus irrefragabiliter manenda fir-* „ *missimè Domino admiculante cupimus &c.* Et sequenti immediatè Capite, hæc ab eodem Carolo pro Generali Ecclesiæ Gallicanæ regula perpetuò retinenda, inserta sunt:

Cap. 187. *Auctoritas Canonica, atq; Ecclesiastica docet, non debere absq; Romani Pontificis Sententia Concilia celebrari.* Unde conijciet quisq; Carolum Magnum credidisse, quotquot sub alijs Imperatoribus celebrata fuerint eorum ordinatione Generalia Concilia, eadem nonnisi assensu & auctoritate Romanorum Pontificum habita esse.

6. In Concilio Francofordiensi, contra hæresim Elipandi Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, ex trecentis Patribus conflato, cui omnes Galliæ interfuêre Præsules, Aquileiensi Episcopo Præside, ipsoq; Carolo assistente, vnanimi voto comprobatum est, auctore eodem Imperatore, judicium ultimum controversiarum, solius esse Romani Pontificis, hæc enim omnium vox audita est:

Concil. Frãcof. Cap. 8. *Quicquid per Romanum Pontificem definitum fuerit, hoc teneatur.* De altercatione verò Vienensis & Arelatensis Episcopi, lectæ fuerunt Epistolæ B. Gregorij, Zozymi, Leonis, & Symmachi Romanorum Pont: & conformiter ad Decreta Apostolicæ Sedis, altercationis finis est impositus, vt Vienensis Ecclesia habeat quatuor Suffraganeas Sedes, Arelatensis similiter.

7. Actis ejusdem Synodi inserta est Epistola ter laudati Imperatoris Caroli, in qua hæc leguntur pro superemi-

peremineti Romanæ Sedis judicio: ,,Obsecro vos (in- ,, ibid.E-
quit) per Nomen Domini Nostri Jesu Christi, vt vnum ,, pist. ad
dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, sitis autem ,, Elipād.
perfecti in vno sensu, & in eadem Sententia &c. *hæc* ,,
habentes Apostolicæ auctoritatis præcepta, concordate nobiscum &c. ,,
& inferius: ,, Post hanc autem correctionem *&* *admoni-* ,,
tionem Apostolicæ auctoritatis & Synodalis (cum eo) *vnanimita-* ,,
tis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omnino ,,
pro hæreticis haberi, nec vllam vobiscum communio- ,,
nem pro Deo audeamus habere. ,, Hæreseos conde- ,,
mnant cum Carolo Ecclesiæ Gallicanæ Patres, qui obtemperare renuerit Apostolicæ potestati, quâ Elipandi error in Felice Urgelitano jam ante perstrictus fuerat, Concilio Ratisbonensi sententiam exequente.

8. Quid tandem in eodem Concilio acciderit, in Materia auctoritatis Pontificiæ ad septimam Oecumenicam Synodum comparatæ? mirandum sanè! ipsos videlicet Galliæ Episcopos, tantam solius Adriani existimasse Potestatis & Dignitatis præeminentiam, quòd parati fuerint, ipsam Generalem Synodum potius reijcere, quàm à mandatis recedere Pontificijs. Allata fuit in medio dicti Francofordiensis Concilij quæstio, de nova Græcorum Synodo, de adorandis imaginibus in Oriente habita, quam omnes Concilij Patres respuêre, atq; vt Pseudosynodum damnare jam jam parati erant: Rationem contradictionis eorum refert Auctor *libri Capitularis* dicti, ad Adrianum missi; quòd eam confirmatam esse à Pontifice, minimè nossent, *sine quò* (inquit Auctor idem) *Concilium subsistere minimè posset, quòd omnis controversia de fide ad Romanum Pontificem spectet.*

9. Ubi verò sensisset Imperator Carolus impugnari ab ipsis 7mam Synodum, illud pro more solito inijt consilium, vt collectas in vnum propositas contradictiones illorum, per *Engelbertum* mitteret Romam ad Adria-

num Pontificem, ad expiscandum illius circa Nicænam Synodum sensum, qui hucusq; Gallos latebat. Testis est rei hujus, Epistola Adriani ad Carolum scripta, in qua

in respons Adrian. C. 26. hæc leguntur: *Directum à vestra Clementissima Regali potentia, suscepimus familiarem vestrum Engelbertum &c: interquæ edidit nobis Capitulare adversùs Synodum, quæ pro Sacrarum imaginum erectione in Nicæa facta est &c.* Post hæc sequitur Sententia ejus pro 7ma Synodo, & venerandis imaginibus: *Vnde* (inquit) *responsum reddimus, defendentes antiquam traditionem S. Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, priscam SS. nostrorum Prædecessorum sequimur doctrinam, rectæ fidei Traditionem, modis omnibus vindicantes, &c.*

10. Quam primùm hæc Adriani percepta fuit à Carolo de Venerandis Imaginibus, & Nicæna Synodo Sententia, illico 7ma Synodus à Gallis honorificè recepta, & sola Copronyma, Constantinopoli acta, vt hære-

ad ann. 794. tica damnata est. Unde hâc in parte minimè audiendum judico licet omni eruditione plenum Baronium, asserentem ex Hincmaro, duas à Gallis damnatas esse Synodos in Concilio Francofordiensi, septimam videlicet Generalem Nicænam, & Constantinopolitanam sub Copronymo; commentum illud Hincmaro omnino suppositum, sequentibus declaro auctoritatibus.

11. Auctor vitæ Caroli Magni, quæ habetur tom. 2. historiæ Ducennij, de Synodo à Gallis damnata; ait in hunc modum: ,, Pseudo Synodus Græcorum pro a-
,, dorandis imaginibus facta, quam septimam vniversalem
,, vocabant, rejecta est à Pontificibus. ,, At à Pontifici-
,, bus non est rejecta Nicæna, sed Copronyma, quæ etiam septima, & vniversalis nuncupabatur; igitur neq; à Gallis potuit esse vtraq; reprobata. In hoc tantùm Auctor falli videtur, quòd dicat, eam pro adorandis imaginibus fuisse factam, cùm illa quæ à Pontificibus rejecta est, adversùs imagines fuit habita.

12. In

12. In eodem tomo historiæ Gallicanæ, versibus describitur Synodus Francofordiensis, per antiqvum quendam Poëtam Saxonicum, qui itidem Constantinopoli celebratam ait, quæ reprobata in dicta Synodo à Gallis & Carolo Magno.

Annis præterea Synodum non plurimis ante
Constantinopoli celebrari fecit in Vrbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & ejusdem genitrix Hirene vocata
Et condixerunt, vt septima seu Generalis
Apellaretur, sed eam non nomine tali
Dignam, Concilium pariter cognoverat istud
Vtq; supervacuam spernendam censuit iste.
Carolus:

13. Falli solùm hîc videtur Auctor, in Constantini Copronymi Matre Irene, quam Constantini genitricem fuisse certùm est, nisi fortè & Copronymi Mater, hoc nomine vocata fuerit.

14. Item ex actis ipsiusmet Concilij Francoford. apertè eruitur; Synodum abrogatam esse eam, quæ fuit deposita Constantinopoli, *quam* (inquiunt) *Constantinopoli Græci fecerunt, Sanctissimi Patres nostri contempserunt, & vnanimiter consentientes condemnaverunt.* Igitur non est condemnata, vera & legitima septima Generalis, quæ erat Nicæna. Conc.Francon. Ferd. Cap. 2.

15. Præterea quis affirmare non erubuerit, Carolum Magnum, pietate erga Sedem Apostolicam maximum, hæc permittere potuisse, vt Oecumenica Synodus convulsionem à suis patiatur, contra sententiam sibi seriò intimatam Adriani Pontificis, cui erat obedientissimus, & ita eidem conjunctissimus, vt eum non modò vivum coleret, sed mortuum etiam celebraret, vt ex vita ejus omnibus est exploratissimum. Deinde ipsum eundem Imperatorem, in Ecclesiasticis controversijs non

nisi ad Sedem Apostolicam recurrere consveviſſe, ab eaq; responsa solicitè procuraſſe, atq; ex ipsorum præscriptionibus executioni omnia demandaſſe, ipsamet Acta ejusdem Concilij Francoford. docent in laudata ad Elipandum Epistola: *Ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione, nostræ devotionis ter quaterq; direximus missos, scire cupientes, quæ Sancta Romana Ecclesia. Apostolicis edocta Traditionibus de hac re respondere voluiſſet*: & inferius subijcit: *Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Ecclesiæ, & Catholicis Traditionibus, totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate convincor.* Vix poſſibile creditur, quomodo damnatio 7mæ Synodi permitti ab eo potuit, contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, in cujus cultu tantopere desudavit, vt mandata ejus, tamquam fidei regulæ detinerentur ab omnibus.

16. Liber ergo Hincmari contra Laudunensem, in quo fundatur Baronius, nullius fidei est, vt potè suppositius, quippe à Triremio inter ejus opera non reponitur, scatetq; multis erroribus, tametsi eum Syrmondus conetur defendere. Cæterùm non inficior cum Anastasio, plures ex Galliæ Episcopis contrarios fuiſſe in Francofordiensi Conventu ipsi 7mæ Nicænæ Synodo; verùm post expeditas à Carolo ad Adrianum litteras, & obtentas ab eo responsorias de approbatione ejusdem 7mæ Synodi, controversiam de ea amplius sepultam, & solam Copronynam ad nutum Adriani explosam fuiſſe. Unde non sunt audiendi, qui librum sub nomine Hincmari, hâc in parte secuti Scriptores Neotherici, imponunt Gallis improperium, eo nomine, quòd non contra Pontifices modò, sed adversûs Generalia quoq; Concilia ipsis agere solitum erat.

Ex CON-



Ex CONTROVERSIA IX. SÆCVLI.

In Causa Photij & Octav: Synod;

OPPOSITIO X.

A. Anon.

EX Concilio (inquit) Octavo Generali probatur, „ non esse supremum judicium Summi Pontificis in „ controversijs decidendis, quia vetat quidem hoc „ Concilium, ne audacter & facilè, & sine diligenti exa- „ mine, maturaq; deliberatione, alijs remedijs tentatis in „ Romanos Pontifices feratur à Concilijs Sententia, si Hæ- „ retici aut Schismatici, perditiq; moribus evadant: sed „ absolutè non vetat hæc sancta Synodus, si quæ facta „ fuerit de S. Romanorum Ecclesia (vt ipsa loquitur) am- „ biguitas & controversia, quin possit hæc venerabiliter, „ cumq; convenienti reverentia tractari, & discuti in Ge- „ nerali Concilio, adeoq; supponit Summum Pontificem „ à Concilio judicari posse. Igitur potestatem non habet „ in Concilium Generale. „ hucusq; A. A. „

CAPUT XI.

Ex Controversia Noni Sæculi, & octava Synodo evincitur, Pontificem Romanum, Iudicem Superiorem non habere in terris, & argumentum A. A. nihil omnino concludere, ostenditur!

1. QUi Octavam Synodum ſuppoſuiſſe ajunt, Romanum Pontificem à Concilio Generali judicari poſſe; vocem propriam convincuntur non intelligere, & à quæſtionis propoſito recedere omnino. Quæſtio nobis ſemper de vero, Catholico, & indubitato Romanæ Sedis Antiſtite, non, de quo dubitatur, an ſit legitimus? vt evenit tempore Schiſmatis, dum plures extant Pſeudo-Pontifices; dubius enim Papa, non eſt certus & indubitatus Papa ad Concilium tunc pertinere vel Generale, vel Eccleſiæ Romanæ, (vt oſtendam inferius) vt vnus certus proponatur Eccleſiæ, quemadmodum accidit tempore Concilij Conſtantienſis, & alijs retro ſæculis.

2. Neq; nobis ſermo de Pontifice, qui per poſſibile manifeſtus eſſet hæreticus, & in errore obſiſtens pertinaciter, talem quippe ſupra inſinuavi, non eſſe amplius Pontificem, ſicut nec membrum Eccleſiæ, vt docetur communiter, cùm infidelitas aperta repugnet ſubſtantiæ tanti Sacerdotij, in quo caſu ad Eccleſiæ pertineret tribunal, Sententiam ferre, non quidem eum à Pontificatu deturbando, à quo jam ob perfidiam excideret, ſed ab adminiſtratione duntaxat, declarando, eum non eſſe verum Pontificem, ſi contumax in hæreſi perſiſteret, quòd Deus Opt: hucuſq; fieri non permiſit. Nihil ergo Adverſarius dicit, dum de hæretico vel Schiſmatico loquitur, tunc enim verum Eccleſiæ non eſſe Paſtorem, ipſa recta dictat ratio: concludit præterea nihil, dum abſolutè infert, Romanum Pont: à Concilio Generali judicari poſſe, adeoq; eo inferiorem; à dicto enim *ſecùndum quid*, ad dictum *ſimpliciter* non tenet conſequentia.

3. Igitur de vero, legitimo, & indubitato Pontifice extra allatos caſus, quæſtio tantùm eſſe poterit: an ſi de notorio aliquo crimine, bonis moribus, non tamen fidei obvio accuſatus, à Synodo Oecumenica judicari & ſententiari poſſit? Ex octava Synodo deſudant Adverſarij

rij eruere, tunc à Concilio Generali plecti posse; sed miror quomodo? cùm illud non nisi auctoritate ipsius Pontificis potest agere, vt supra ipsorumdem Conciliorum Generalium testimonijs demonstratum, & aliorum: ipsiusq; octavæ Synodi demonstrabitur auctoritatibus.

4. Certùm imprimis suppono ex antedictis; Concilium Generale, dum extat verus, & indubitatus Pontifex in Ecclesia, absq; illius assensu legitimè congregari non posse. Unde in Synodo relata Chalcedonensi, caput accusationis contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum fuit, quòd Synodum inconsulto Pontifice congregavit, *quòd nec fieri licet, nec alias vnquam factum est.* act. 1. Conc. Chalced.
Et S. Damasus ingentem contempsit numerum Concilij Ariminensis, & tantæ illi multitudini paucos Orthodoxos opposuit: *Neq; enim* (inquit) *præjudicium aliquod fieri* Epist. ad Episc. Ilir.
potuit; per numerum Arimini congregatum: quando constat Romanum Episcopum, cujus ante omnia deceat eos expectare decretum, talibus non præbuisse consensum.

5. Nec id negari potest ab Adversarijs, cùm sit antiquissimus Ecclesiæ Canon, etiam Gallicanæ Ecclesiæ à Carolo Magno insertus Capitulis perpetuò ab illa observandis, vt Cap. superiori, § 2do dictum. Illum Gersonius licet aliquando auctoritati Pontificiæ minus favens, inficiari non est ausus, hæc de dicto Canone scribens: *Habet* (inquit) *Papa, Dominium superioritatis à Christo* lib. de vita
super totam Ecclesiam, cum plenitudine potestatis &c. de hac spir. lect. 3.
petestate est jus convocandi Concilia.. Non recessit ab hac regula & Richerius *in hist: Concil:* expressis verbis affirmans: *Cùm Primatus Petri sit juris Divini quòad institutionem, certè regulariter & ordinariè, Synodi Generales, absq; consensu Papæ legitimè petito, congregari non de-* Cap. 1.
bent.

6. Idipsum confessus Petrus de Marca Archiep: Parisien: in Dioscorum invehens: *Hoc flagitium* (inquit) l. 5. Cap. 5.
admi-

admiserat Dioscorus, quòd sine Sedis Apostolicæ auctoritate, Synodum Ephesinam peregit. Testantur ergo laudatissimi ab Ecclesia Gallicana Magistri, intactum esse à Gallis vetustum Ecclesiæ Canonem, quem ad illegitimam Constantinopolitanam Synodum expressit Pelagius: *Generalem Synodum convocandi auctoritas, Apostolicæ Sedi S. Petri, singulari privilegio est tradita.* Unde Synodus Alexandrina, in qua fuit præsens Athanasius, Romano Pont. scribens, hujusmodi privilegij testimonium facit: *Scimus in Nicæna magna Synodo circa 318 Episcoporum, ab omnibus esse concorditer roboratum, non debere absq; Romani Pontificis Sententia, Concilia celebrari.*

tom.2.Côc. in Decret. Pelagij.

Epist:ad Felicem Pont.

7. De Nicæno & Chalcedonensi faciunt dubium Adversarij, fuisse nimirum independenter à Pontificibus solo Imperatorum nutu coacta; sed oppositum superius ostensum. De Nicæna quidem testatur Synodus 6ta: *Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis Magnam in Nicæa Synodum congregabant.* De Chalcedonensi, probat testimonium Epist: 2dæ Episcoporum Mœsiæ ad Leonem Imperatorem: *Quæ ad peremptionem Eutychianæ vesaniæ de humanitate Salvatoris in Chalcedonensi Civitate, multis SS. Episcopis convenientibus, per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè Caput est Episcoporum.* Idem eruitur *ex Actio. 6ta* ejusdem Concilij, in Cap. 6to relata.

act. 8.

part.3.Côc. Chalced.

8. Item apud omnes consonum est: nullum Concilium robur haberi, nisi Romani Pontificis auctoritate firmetur; nulla enim Synodus legitur valida, quæ non sit per Sedem Apostolicam approbata, nulla rata; quæ ipsius Sedis auctoritate non fuerit fulta, testificante omnium maximo præfato Chalcedonensi Concilio *action:* 4ta: *In omnibus expectamus Sententiam Beatissimi nostri Leonis.* Et Epist: Relationis supra citata: *ut cognoscatis &c. quæ fecimus, omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad eorum quæ à nobis gesta sunt firmitatem.*

9. Id-

9. Idipsum *quinta*, *sexta*, *& septima* Synodus in litteris Synodicis jam recensitis. Et Patres Concilij Carthaginensis Epist: ad Innocentium : *Hoc itaq; gestum Domine Frater Sancte , Charitati Tuæ intimandum duximus , vt Statutis nostræ mediocritatis , etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas , pro tuenda salute multorum , & quorundam perversitate etiam corrigenda.* Doctrina porro Theologorum omnium communis est, quam tradit Doctor Angel.: *Sanctos Patres in Concilio congregatos, nihil statuere posse , nisi Romani Pontificis auctoritate interveniente , sine qua etiam Concilium congregari non potest.* Epist. 90. tract. cont. impug. Relig.

10. E contra verò Concilia Plenaria , & numerosissima, quæ Romani Pontificis auctoritatem excutere conata sunt, in varios sæpe errores prolapsa legimus : vt Antiochenum , in quo damnatus est S. Athanasius : Ariminense quingentorum Episcoporum: Ephesinum secundum, sub Dioscoro : Constantinopolitanum sub Copronymo, quod 7mæ Synodi nomine insignitum fuit : Item aliud Constantinopolitanum 300. Episcoporum sub Photio , quod itidem Oecumenicum fuit nuncupatum. Indivulsa verò Concilia à Sede Apostolica , ab ea firmata quotquot extant , nunquam errasse in fide deprehensa sunt.

11. Hinc meritò Gregorius Nanzianzenus Petrum appellat Legem & legislatorem ; Legem quidem : quia Supremus Judex est, Legislatorem verò : quòd ab eo primæ leges Canonicæ prodierunt , ejus namq; auctoritate in suis Successoribus firmati sunt Canones Conciliorum. Quare optimè differit Ludovicus Hale Doctor Sorbonicus in suis manuscriptis : ,, Sicut vnicum in terra Sancta Templum Dominus esse voluit , vt omnes in vnum ,, Israelitæ convenirent, nullumq; inter illos Schisma oriretur ; ,, sic Sedes Romana in medio Ecclesiæ constituta est , ,, veluti signum conspicuũ, vt aspectabile Nationum omni- ,, in Apolog.

„ um oculis objectum, ad quod respicientes omnes Eccle-
„ siæ in unitate fluerent, & sese incolumes adversùs hære-
ses conservarent.„ His ita ut verissimis suppositis, ex ipsis Concilijs Generalibus, & uniformi Doctorum Catholicorum sensu.

12. Quomodo ostendi, vel intelligi potest, Concilium in verum & legitimum Pontificem sententialiter agere posse? quod nisi illius assensu venit congregandum, illius auctoritate firmandum, à quo mutuatam gerit controvertendi & judicandi potestatem; nisi fortè eam studiò commonicaverit se judicandi in foro exteriori, quemadmodum in interiori conscientiæ Sacerdoti Confessori impartitur jurisdictionem se absolvendi; sed Concilium exinde ipso Pontifice absolutè esse superius quis confitebitur? quandoquidem non nisi derivatam ab eo haberet vim & auctoritatem, ut de Concilio Romano, & Leone 3tio referam inferius. Cæterum propositio nostra, innumeris probari possit ipsorum Pontificum testimonijs, qui privilegium hoc soli Apostolicæ Sedi debitum vindicarunt; verùm quia in propria eorum causa, nullius sunt apud Adversarium roboris & momenti, restat ut Conciliorum ipsorum auctoritatibus convincatur, & quis fuerit 8væ Synodi sensus, verbis proprijs ipsius Synodi enodetur.

PARAGRAPHVS I.

Conciliorum demonstratur auctoritatibus, legitimum Romanæ Ecclesiæ Pontificem solius Dei subesse iudicio.

I. CONcilia omnia sive sint Generalia, sive Nationalia, dummòdo legitimè congregata, & auctoritate Apostolica firmata in materijs dogmatum, fidem, vel to-
tius

tius Ecclesiæ unitatem concernentium, non posse inter se dissentire, nec pati adversitatem, nulli Catholico dubium. Quia regula fidei, sicut & Unitas Ecclesiæ, semper una & eadem est, semper immobilis, semper irreformabilis, immo post Conciliorum hujusmodi definitiones, non posse sine protervia disputationes institui, docet S. Athanasius Epist. ad Patres Africanos, quia eorum sententiæ sunt verbum Domini, adeoq; neq; dubia esse possunt, quæ eorum fixit auctoritas, Unde Ambrosius dicit: *moriendum potius quàm ab eis recedendum*, Epist. 32.
quæ videlicet ab eis stabilita sunt in materia morum vel fidei.

2. Ex quo sequitur, quòd dum in Concilijs de suprema in Ecclesia Potestate est disceptatum, de Materia fidei actum: De fide namq; esse, dari supremam & unā in Ecclesia auctoritatem, ad quem refertur omnis quæstio & controversia, quamcunq; inter Pastores Rectoresq; Ecclesiarum exoriri contingeret, cujus Sacrosanctum, irrefragabile, atq; ultimum apud omnes haberetur judicium, definitum est in Concilio Constantiensi sub Martino *in Formula Fidei*, ut potè fundatum in script. *Deuter*. 17, *Paralip*. 19, *&* *Math*. 13. Jam modò audienda ipsa Concilia, quid de hac Ecclesiæ auctoritate disseruerint? quid definierint? ubi eam recognoverint, & cui subjectam crediderint?

3. Primo loco adferri solet Concilium Sinuesanum an. 302 trecentorum Episcoporum propter lapsum S. Marcellini Pont. in Sinuesana Urbe coactum, ubi cùm S. Præsul reatum suum confitens, & deponens Pontificatum, judicium postularet; S. Synodus ob tantæ Sedis reverentiam, judicium aggredi non est ausa, intelligens ad illum pertinere & transfundi judiciorum omnium efficaciam. Immo definitum ab ea dicitur, Primam Sedem à nemine judicari: *Tu eris judex, ex te condemnaberis: Tu*

enim judex & reus. Sed quia historiam hujus Synodi inter apocryphas reponunt multi, S. P. Augustini de ea dubitantis, habentes patrocinium, ideo illam prætermitti volo, tametsi scriptores antiquissimi, imò Concilium Romanum 2dum facti hujus meminerint, à qua definitum dicitur, Pontificem hæreseos condemnari non posse, nisi adhibitis 72 testibus.

lib. de unico Bapt. cont. Petil.

Conc. Rom. Cap. 3.

4. In Concilio Romano Sylvestro Pontifice Præside an. 324 celebrato, Canon 20 legitur, neminem primam sedem judicare justitiæ, *nemo judicabit Primam Sedem, quoniam omnes sedes, à prima sede justitiam desiderant temperari, neq; ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à populo judex judicabitur.* Nota, per particulam *ab omni Clero*, non nisi Ecclesiam congregatam posse intelligi. Hunc Canonem Nicolaus 1. citare visus est, dum inter alia, quibus temeritatem arguit Michaelis Imperatoris, sic ait: *Consonat huic sententiæ nostræ S. Sylvester, & Magni Constantini baptisator dicens: neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à populo judex judicabitur.*

act. 2. apud Bail. & Caranz.

Epist. ad Michael.

5. In Concilio Romano 3tio sub Symmacho Papa an. 501 celebrato. 515 Episcoporum, communi sensu definitum erat, Apostolicam Sedem Concilij non subjacere judicio, agebatur ibi de causa Symmachi, qui à Schismaticis falsis criminibus erat circumventus, & deponendus à Concilio sperabatur, sic autem habetur in actis Synodi: *Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt: ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus sedi primum Petri meritum & Principatus: Deinde secuta jussione Domini, Conciliorum Venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesia tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur.* Et prope finem ejusdem Synodi: *Papa judicio Dei subjectus dicitur non hominum.*

6.

6. Cùm autem ibi dicitur: *Conciliorum auctoritas, singularem ei tradidit potestatem*, ne intelligas, quòd eam mutuò à Concilijs receperit, quasi eorum favore indultum & concessum fuerit hoc Pontificibus privilegium, id enim non stat cum verbis antecedentibus; sed quòd *secuta jussione Domini*, illam soli Apostolicæ Sedi debitam cognoverint, & nusquam eam sibi usurpaverint Concilia. Et ut *Ennodius* Ecclesiæ Romanæ Diaconus apud Caranzam legit, hæc est Concilij vox: *aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio.* in Decret. Symmach.

7. Idem confirmatur definitione Synodi illius, quæ Romæ habita fuit sub Valentiniano Augusto, in causa Sixti 3 Pontificis, Basso eum accusante, & à Patribus judicium adversùs Pontificem exquirente; Maximus exclamavit Synodi nomine: *Non licere adversùs Pontificem dare sententiam.* Quòd cum præsens audisset Imperator, Levavit se (inquiunt acta Syn.) & dedit in arbitrio Sixti judicare judicium suum: de quo *in parag. Nunc autem: distin.* 21. Et ut addit Caranza: audiens hæc Valentinianus Augustus, cum Matre sua Placida, furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnarunt, & omnia præsidia facultatum ejus, Ecclesiæ Catholicæ associarunt. in Decr. Sixti 3.

8. Cùm causa Leonis 3 Pont. tractaretur Romæ in Concilio, cui interfuit Carolus Magnus, cum nonnullis Galliæ Præsulibus, hæc vox omnium Episcoporum audita est: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput Ecclesiarum judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes & à Vicario ejus judicamur: ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, sed sicut ipse Pontifex consuevit, jubeat, & Canonicè obediemus*, refert Sigebertus apud Baron. Et ut teste Bail, Annales describunt Francorum; Carolus Magnus Romam se contulit; ut autem ea, quorum causa venerat Sigebertus apud Bar. ad an. 962. tom. 2. Conc. Sæculo 8.

nerat citius expedirentur, congregata est Synodus, quâ Pontifex præsentes Episcopos, suæ causæ, criminumq; sibi objectorum judices esse mandavit, *quamquam Apostolicam Sedem ab aliorum judicio exemptam esse non ignoraret.*

9. Dicet fortè Adversarius, Conciliorum Particularium, non hîc sufficere testimonia, dum de Generalibus tantùm per ordinem ad Romanum Pont. sermo instituatur, quæ majori dignitate, & judicandi pollent auctoritate: Non inficior equidem, Oecumenica Concilia, majestate & præeminentiâ, utpotè Universæ Ecclesiæ figuram gerentia, esse majora; sed numquid ideo Nationalium in Spiritu Dei conditorum, à Sede Apostolica probatorum, & in tota Ecclesia pro Canonicis receptorum, judicia retractare valeant & Decretalia, in Materijs potissimùm Religionem, & fidem Catholicam concernentibus, interquæ locum vendicat suprema Ecclesiæ auctoritas, tunc enim infallibilem præbent regulam credendorum.

10. Verùm si Generalium quoq; requirit probationes Adversarius, relegat si placet maximæ Chalcedonensis Synodi Acta superius recitata, & comperiet conformem illius sensum Conciliorum Nationalium Canonibus. Repetatur ibidem Lectio de Dioscoro, qui non solùm de blasphemia, vel quòd cum Origine senserit, & incendiarius fuerit, sed propterea quoq; anathemate perculsus, & à Sacerdotali ordine segregatus est, quòd sententiam in Synodo, quam Generalem indigitaverat, adversùs Leonem dictare præsumpserit: *Sed quoniam super alias suas nequitias, & adversùs ipsam Apostolicam Sedem latravit, & excommunicationis literas adversùs Sanct. & Beat. Papam Leonem facere conatus est, decenter ab Vniversali Concilio Sacerdotio est denudatus. & ab Episcopali dignitate pronunciatus est alienus.*

act. 3.

11. Vindicatur Pontifex à Generali Concilio, qui in al-

in altero Dioscori temerariè fuerat sententiatus, ex quo S. Synodus Conciliorum omnium officium, & Romanorum Pontificum à nemine judicandorum ostendit privilegium: subditur namq; à Theodoro Alexandrinæ Ecclesiæ Diacono; *Considerate SS. & RR. Patres, quàm neq; Deo placita sint, quæ ab eo per audaciam commissa sunt, neq; hominibus tolleranda*, quæ in Sacrilega Synodo adversùs Leonem ausus est committere.

12. Jam ad octavam Synodum quæ (ut ait Adversarius) supponit Pontificem à Generali Concilio judicari posse, dum sententiæ inseruit; *non audacter adversùs eos dicendas esse sententias.* Quomodo cum tot Conciliorum aliorum sanctionibus, auctoritatem supremam à nullo hominum in terris attingendam, in sola Petri Sede profitentibus, stare poterit? nisi fortè ipsa eadem Synodus informis dicatur & dissona, cæteris Conciliorum Canonibus, dogmata Orthodoxis præscribentibus, quod durum & temerarium asserere. Mens ergo hujus S. Synodi non alia, quàm si aliqua (ut ipse profitetur Advers.) ambiguitas & controversia de fide videlicet Pontificis oborta esset, non illicò temerario ausu ferendam esse adversùs eum sententiam, sed à PP. Concilij disquirendũ, an hæreticus verè fuerit, vel contumax in errore perstiterit; Id colligitur ex ejusdem sententiæ antecedentibus verbis: *Porrò si Synodus Vniversalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de S. Romana Ecclesia, quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere adversùs summos Senioris Romæ Pontifices.* Respons. ad Oppos. act. 10. in sentent. 8 Synod.

13. Quòd autem non de veris & Catholicis Pontificibus, sed de malè in fide ambulantibus, hæc ultima à Synodo adjecta erant, recipe ex Superioribus ejusdem sententiæ verbis; *Definimus, neminem prorsus mundi Potentatum,* ibid.

tatum, quemquam eorum qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut movere à proprio throno tentare, præcipuè quidem Sanctissimum Papam Senioris Romæ: sed nec alium quempiam conscriptiones contra Sanctis. Papam Senioris Romæ, aut verba complicare, vel componere liceat, quasi diffamatoriorum quorundam criminum, quòd & nuper Photius fecit, & similiter ante Dioscorus, quisquis autem tale facinus, contra Sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem cum illis condemnationem recipiat. condemnantur sine exceptione omnes, qui Pont. Rom. criminibus circumvenire, multò magis qui criminibus circumventum sententialiter plectere, (ut Dioscorus & Photius fecerant) ausi fuerint. Igitur Concilio Universali relinquit tantùm peragendum, si de fide Pontificis esset perplexitas. Sed quid nobis ad propositum? dum hæreticum Pontificem, (si quis esset) sicut non esse Catholicum, sic nec verum Pontificem dicimus.

14. Nec tamen in isto casu (quem cum Augustino credo moraliter impossibilem) diceretur per Ecclesiam Congregatam Pontificiâ exauctorari dignitate, licet requireretur declarationis intermedia sententia (ut sæpiùs insinuavi) sicut nec dicitur Apostolicam potestatem recipere ab Ecclesia, etsi illius interveniat actio sensibilis, nempe Electio, per quam designatur homo, in quem suprema auctoritas immediatè à Christo effunditur, sic neq; per judicium Papatu spoliaretur, sed à Christo immediatè, dum desineret per Hæresim membrum esse Ecclesiæ, auctoritasq; illa, non nisi ministerialis esset in declarando, non absoluta in judicando, proindeq; inæqualis Papali, ageret tantùm in subjectum Personæ, cui annexa est dignitas Pontificia per modum formæ, nullomodò dignitatem Personæ attingeret, etsi vulgo diceretur agere contra Papam: sicut sol & homo generant hominem, nulla tamen eis potestas in animam rationalem; licet

cet sit hominis forma, quia hæc à solo Deo immediatè est.

15. In quo autem resideret tunc suprema Ecclesiæ auctoritas? eodem modo ratiocinandum, ac de morte Pontificis: eam in decretis & definitionibus ejus Catholicis permanere; quòd si totâ vitâ esset Hæreticus, nihil docendo in materia morum & fidei, in doctrina Antecessoris, quam tota Ecclesia sequi teneretur, usq; ad electionem alterius: etsi tunc aliqua controversia fidei oborta fuerit, Ecclesia Congregata nihil definitivè declarare tamquam fidei poterit, sed futuro Pontifici causam resolvendam relinquere, definitiones namq; absq; Pastore Ecclesiæ in materia fidei, non essent certæ & indubitatæ fidei, ut clarè demonstrabo ex factis Concilij Constantiensis.

16. Dixi *casum moraliter impossibilem*, quòd Christi in terris Vicarius hæresim propalare, vel Ecclesiæ tenendam valeat proponere, cum Augustinus dicat, teneri etiam malos Pastores bona dicere: *Coguntur etiam mali, bona dicere, neq; enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.* Et in Psal. 36 Conc. 3. *In Cathedra Moysi cui hodie succedit Cathedra Christi, sunt & mali, & tamen docendo bona non obsunt Auditoribus.* Quare propter malos, si forent, ipsa Cathedra Christi non est despicienda, neq; Concilio Generali subijcienda.

Serm. 33. de Sanctis tom. 10.

PARAGRAPHVS II.

Idem confirmatur Actis, quæ præcesserunt octavam Synodum in causa Photij?

I. NOn potest quisquam dubitare de veritate hujus propositionis: ibi ultimum esse judiciorũ & controversiarum omnium resolutorium, nulli alteri subjectum

 vel

vel subordinatum judicio, ad cujus tribunal quæstionis omnis & dubietatis fit relatio, atq; ultimatæ ab eo expectatio sententiæ; id utiq; profitetur Adversarius,] Concilio Generali hoc adstruens privilegium; atqui nono sæculo, non in Generali Concilio, sed in Romana duntaxat Sede, maternam curam gerente totius Ecclesiæ, ultimum justitiæ Consistorium professi sunt, non modò Catholici, verùm etiam Ecclesiæ Romanæ jurati hostes, ipsumq; Romanum Pontificem, ut Patrem & Ecclesiæ judicem, vel inviti revereri coacti sunt, tametsi hæretico inflati spiritu, discessionem ab eo minitarentur.

2. Generalis schismaticorum Photius, licet Imperatoris nisus potentiâ, & tot Orientalium consultu Episcoporum, depositionem tamen Ignatij, in Congregato ab illo numeroso Concilio, haud ratam credidit, nisi idem Ignatius à sede depositus, auctoritate Romani Pont. privatus esset, & ipse Photius, quem evexisset Imperator ad sedem, manu Pontificis firmaretur. Init itaq; consilium schismaticus, legatos mittendi Romam, & à Nicolao alios petere, occasione videlicet, ut Ecclesiam in Oriente corrigeret, nec non ut illos, qui hæresim Iconoclastarum tuerentur, à Christiano nomine omninò rescinderet, ut hoc nimirum prætextu, Pontificis auctoritate firmiorem redderet Ignatij depositionem. Mittit igitur tres Episcopos Romam; Ignatium tamen non dicit à Synodo depositum, sed propter senium, & corporis imbecillitatem Ecclesiæ renunciasse Præfecturam, & ab ea in Insulam secessisse: mentitur equidem Photius, sed mendacio judicium cogitur implorare Apostolicæ Sedis.

ex Mororio Parisiensi & Epist. 4. Nicol.

3. Et licet verisimili conjectura existimare potuisset, quæ in Ignatium tyrannicè perpetrata, minimè probanda fore ab eadem Apostolica Sede, nihilominus cogente veritate contineri non potuit, quin ad sedandum schi-

ſchiſma, quod ob depoſitum Ignatium exortum in Oriente fuerat, Sedis Romanæ judicium appellaret, non obſtante ſuâ magnâ & numerosâ Synodo, quam Generalem voluit nuncupari. Non in Synodo ergo Oecumenica, ſed in Cathedra Petri, licet eidem inſenſiſſimus Photius, credidit judiciorum omnium eſſe regulam.

4. Ipſe Imperator Michael ſchiſmatis Fautor, & perpetrati in Ignatium ſceleris complex, quòd ſciret omnia infirma & invalida penitus eſſe, quæ Romanæ Sedis carerent auctoritate, precioſa munera obtulit Nicolao, per præfatos Photij Legatos, ad flectendum & demulcendum Pontificis animum, intentans videlicet cauſam S. Ignatij, & Photij Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pervaſoris, cupiens hinc, eundem Ignatium judicio Apoſtolicæ Sedis condemnari, & confirmari in ſede Photiū: tantûm ergo apud ſchiſmaticos etiam Principes, veritas & Sedes Apoſtolica vendicavit ſibi auctoritatis.

apud Anaſtaſ. in hiſt. 8 Synod.

5. Idem Ignatius à Photio Synodaliter degradatus, ad ſolam Apoſtolicam Sedem habuit refugium, *Tu verò* (inquit) *Sanctiſſime Domine oſtende in me viſcera miſericordiæ, & juxta illum magnum Paulum, dic etiam, quis infirmatur, & ego non infirmor, in mentem revoca Prædeceſſores tuos Patriarchas, Fabianum inquam, Iulium, Innocentium, Leonem, (& ut breviter dicam) omnes, qui pro veritate adversùs injuſtitiam viriliter ſe geſſerunt, & hos imitare, & ad vindictam noſtri, qui tot injuſta paſſi ſumus, exurge.* Non contra Photium tantùmmodo ibi agit S. Patriarcha, ſed adversùs Concilium quoq; adeo numeroſum, ut gloriaretur Michael Imperator implêſſe numerum Patrum, quot Magnæ Nicænæ Synodo interfuerunt, nempe trecentorum decem & octo Epiſcoporum.

in libello Ignat. qui habetur in 8 Synod.

6. Item aliâ ad Nicolaum Epiſtolâ, unicum proclamat medicum Univerſalis Eccleſiæ Romanum Pontificem, perpetuum interemptorem, & eradicatorem ma-

 lorum

lorum zizaniorum: *Eorum* (inquit) *vulnerum, quæ in mem-*
habet. act. *bris sunt Christi, & Dei Salvatoris omnium nostrum, Capitis &*
3. 8væ Syn. *sponsi Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, unum præcellentem atq; Catholicissimum medicum, ipse Princeps Summus & fortissimus ordinator, & curator ex toto, Magister Dominus omnium, produxit videlicet Tuam Fraternam & Paternam almitatem, propter quæ dicit Petro Magno & Summo Apostolorũ, Tu es Petrus &c. Tibi dabo claves &c. tales enim beatas voces, non solùm Apostolorum Principi circumscripsit, sed per eum ad omnes, qui post eum efficiendi erant Summi Pastores, & Divinissimi Sacriq; Pontifices, Seniori Romæ transmisit. Etiam à prisco tempore, in exortis hæresibus, iteremptores malorum zizaniorum facti sunt, qui Sanctitatem & Summam Paternitatem Tuam illic præcesserunt Successores Principis Apostolorum.* Et in fine, quorundam dubiorum exposcit à Pontifice solutionem, & ordinationem in scriptis, quò negotia fidei, & Ecclesia Constantinopolitana rationabiliter gubernetur.

7. Paulò ante rebellionem Photij, ab eodem S. Præsule celebratum est Concilium Constantinopoli, in quo depositus est Gregorius Episcopus Syracusanus, ita tamen, ut consensus Leonis Pont. requireretur; celebrata enim Synodo, & latâ in eum sententiâ, legati missi sunt ad Leonem, ut ejus assensu facta depositio rata haberetur, Leo autem confirmationem distulit, donec pars altera audiretur, interea Leo obijt, & ad Successorem eadem causa delata, quæ & judicio Apostolico probata est. Habet ista Nicolaus Papa Epist. ad Michael. Hæc
Epist. 9. ex gestis quæ Synodum præcessêre, pro Apostolicæ Sedis ultimo & irrefragabili judicio, atq; auctoritate, testimonia. Sequitur Octava Synodus.

PARA-

PARAGRAPHVS III.

Octavæ Synodi evidentissimis probatur testimonijs, verum & legitimum Pontificem, supremum esse in terris iudicem, cuius vocem Ecclesia Congregata audire, & præcepta eius executioni mandare tenetur.

I. EX septem Generalibus Orientalium Synodis hactenus recensitis perspexit lector, quàm uniforme, perpetuum, ac constantissimum testimonium perhibeatur de unica & suprema Apostolicæ Sedis & Romanorum Pontificum auctoritate, quantaq; in conflictibus illis gravissimis priscorum sæculorum, & controversijs ea semper enituit, quandoquidem Præsules Orthodoxi generaliter in Spiritu S. congregati, à Romani Antistitis ore controversiarum judicia postularunt, postulata expectarunt, & omni cum reverentia susceperunt. In legibus ferendis, in Episcopis adversùs tyrannos protegendis, vel etiam ob delicta deponendis, in gravissimis fidei quæstionibus decidendis, in Synodis eorum confirmandis, in sæcularibus Principibus potestate sua abutentibus corrigendis, & spirituali gladio feriendis, ad Sedem Apostolicam recursum ab illis fuit. Jam tandem Octava eaq; ultima Orientalium Synodus restat discutienda, an illis septem antecedentibus in his uniformis, uniformiter eandem auctoritatem in Rom. Pont. recognoverit, vel potius judicio Generalis Concilij (ut ait Adversarius) subjecerit eundem.

2. Imprimis certum est, hanc 8. Synodum auctoritate Romani Pontificis fuisse congregatam, prout testificantur litteræ Adriani ad Basilium Imperatorem: *Volu-* habet. act. 1. 8 Synod.

mus ergo per vestræ pietatis industriam, illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoq; missi Præsidentes, & culparum, Personarumq; differentias, liquidò cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum liberè discretiones exerceant.

3. In Præfatione hujus Synodi, hæc præmittuntur de auctoritate Nicolai, deq; Sententiæ illius contra Photium efficacia & dignitate: Zelator (inquiunt) Deus, &
„ vltionum Dominus, qui adversarios suos, & contempto-
„ res auferri, Divinæ justitiæ veluti alterum Heliam zelo-
„ tem reperiens *Beatissimum Papam Nicolaum excitavit in au-*
„ *xilium veritatis*, qui in Spiritu S. & lupi pellem per ea,
„ quæ scripsit crebro dirupit, & interiorem insaniam & ra-
„ biem publicavit, & palam exhibuit, Deiq; sermonem,
„ qui est discretor cogitationum, & gladium Spiritualem
„ opponens, confestim ac statim arborem radicitùs ampu-
„ tavit, quippe, quæ neq; benè plantata fuerat, neq; fru-
„ ctus bonos emiserat, atq; raptorem & lupum, & gras-
„ satorem animarum, tamquam latronem & furem inter-
„ fecit, & confusionis Sacerdotes, qui cum eo erant, pa-
„ riter interemit: Magis autem; quemadmodum alter Pe-
„ trus, alterum Ananiam furtim auferentem aliena, & Spi-
„ ritui S. mentientem, *suorum sententiâ verborum occidit.* „
„ Profitetur ergo Universalis Synodus, causam Photij & Ignatij, jam fuisse judicio Nicolai peremptoriè finitam & terminatam.

4. Quòd autem hæc congregata fuerit, nonnisi ad exequenda Apostolicæ Sedis Decreta, in plectendo rebelli & contumaci Photio, testatur ipsa Synodus sequentibus: *Est igitur nobis de rebus modò agitatis visum, Beatissimi* (act. 1. 8væ Synod.) *Papæ Nicolai decretis omni ex parte standum, ab omnibus & papendum esse. Quicunq; igitur post cognita Beat. Papæ Nicolai præcepta in sententia contumax perstiterit, aut contumaces receperit, quicunq; ille sit, anthema esto.* Hæc facta sunt, ante-

antequam Legati Apostolicæ Sedis advenissent.

5. Præsentibus jam Legatis Adriani, Baanes Præpositus requisivit cum quanam potestate venirent à Pontifice? Donatus & reliqui Apostolicæ Sedis Legati dixerunt: *Nusquam reperimus, Romanos Legatos in Concilio Oecumenico examinari.* Quibus Baanes reposuit: „illud non ex contemptu fieri, sed propter Radoaldum & Zachariam (inquit) qui paulò ante huc advenientes, nos deceperunt.„ Lecta fuit eadem Sessione Epistola Adriani ad Imperatorem, demandantibus Patribus, quâ privilegium de fide judicandi, soli Apostolicæ Sedi adscribitur, & laudatur Imperator Basilius, quòd nihil cum Orientali egerit Ecclesia, præter quod eadem Apostolica Sedes agenda decrevit, & nullâ morâ interveniente perficiendo mandavit. Committitur præterea eâdem Epistolâ ipsius Sedis Legatis, plena in Synodo jurisdictio, vt eidem Præsidentes, judicia singulorum liberè exerceant. Non se ad hæc opposuit Synodus, sed post lectionem Epistolæ, exclamavit cum exultatione: *Benedictus Deus, qui dignatus est, nos satisfactionem recipere perfectam de Sanctitate Vestra.* ibid.

6. Post hæc lectus erat Pontificis libellus, formam fidei præferens & regulas præscribens Concilio, cui subscribere tenerentur, qui ex Schismaticis recipi in Ecclesiam vellent; hæc inter cætera notantur in illo. „Porrò de Venerab. Ignatio Patriarcha nostro, & de ijs quæ ex parte hujus sunt, quod auctoritas Apostolicæ Sedis decrevit (Nicolaus videlicet Prædecessor) tota mente sequimur, & religiosâ devotione veneramur, atq; pro pia intentione nostra & Spirituali conflictu *defendimus.* Quoniam sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes omnia ejus constituta, speramus vt in vna communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur; *in qua est integra & vera Christia-* ibid.

„ *stianæ Religionis soliditas*, permittentes etiam sequestratos „ à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est: *Non consenti-* „ *entes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda* „ *esse mysteria.* „ Quo perlecto tota Synodus acclamavit: *Iustè & convenienter lectus est libellus expositus à Sacra Romanorum Ecclesia*; *& propterea omnibus placet.* Secunda Sessio, tota auctoritate Legatorum Apostolicæ Sedis peracta est, in audiendis Episcopis Schismaticis Photio adhærentibus.

7. Tertia Sessione. Aliqui Episcopi, imo & Archiepiscopi, cùm nolluissent libello Adriani subscribere, à S. Synodo non sunt in communionem recepti. Placuit postea Patribus audire Epistolam Imperatoris ad Pontificem, quæ honorata, probata, & Actis Synodi inserta est, in qua hæc notatu digna: „ Nos enim Photium
act. 3. „ gradu movimus, vt in ordinem redactus sibi vivat, Igna- „ tium verò injuriâ affectum, *vt judicio vestro varijs in Epi-* „ *stolis declarastis*, quas qui ante nos imperaverunt, suppri- „ mere conati sunt, solio suo restituimus: vt reliquis ve- „ rò rebus finis imponatur, atq; vt hæc ipsa confirmen- „ tur, *Sanctitati Tuæ integrum reliquimus. De lapsis inquam* „ *Sacerdotibus* (Episcopis videlicet Photij Schisma tuentibus) „ *Sententia & judicium à sanctitate Tua feratur, petivimus*; *&* „ *verè nunc petimus, ne Ecclesiæ nostræ Antistites commune nau-* „ *fragium patiantur. Vt verò Sanctitatis Tuæ Divinum & A-* „ *postolicum judicium de S. Patriarcha Ignatio, & infelicissimo* „ *Photio, palam fiat ab vtraq; parte, alij quoq; à nobis missi* „ *sunt Legati, vt præsentibus illis, causa à Te definiatur, Tuiq;* „ *Legati certissimam toti Ecclesiæ fidem facturi, mittantur*; Sa- „ crum Tuum ac desideratum Caput per litteras, non se- „ cus ac ore exosculor & complector „. Definitio à Pontifice petitur, vt per Legatos ejus, tota Ecclesia congreganda in causa Photij, & fide instrueretur.

8. Porro mandato Legatorum Apostolicæ Sedis, jussæ

jussæ sunt legi litteræ Adriani ad Ignatium, quibus omne Ecclesiæ judicium ad suæ sedis evocat tribunal: estq; canonicè ac synodicè acta dicta Pontificis Epistola; Sancta namq; & Vniversalis Synodus dixit: *Canonica & ordinata, & plena justitiæ est Epistola, quæ lecta est, Sanctissimi Papæ Adriani.* ibid.

9. Sessione 4ta, Metropolita Smyrnensis totius Synodi nomine dixit: „Divinus Apostolus dicit, Prophetas nolite spernere: Sanctissimos veteris Romæ Legatos *vt Prophetas recipimus.*„ Si Legati Romani Pontificis vt Prophetæ & Superiores à Synodo recognoscuntur, quomodo ipse Pontifex Romanus existimari potuit Concilio inferior? Ibidem expetierunt quidam Synodi Patres, ut Photio, & ejus Episcopis in Synodo auditis indulgeretur; & sententia mitigaretur Pontificis; verùm repugnantibus Apostolicæ Sedis Legatis, vana extitit Episcoporum interpositio. *Non licet* (inquiunt Legati) *rescindere judicium Sacrorum Romanorum Pontificum, hoc enim contrarium est Canonicis institutis.* Ad quæ respondit Synodus: *Hoc bonum & optimum est, audiant illi judicium Beatis. Papæ Nicolai in conspectu nostro, & suscipiant propriam damnationem.* ex actio. 4ta

10. Placuit interea Adriani Vicarijs, vt ingrederentur Concilium Schismatici, & in vltimo loco starent deorsùm, audirentq; Nicolai Epistolam, quâ sententia contra Photium, & sectatores suos continebatur: *Vt jubetis* (dixerunt Synodi Patres) *rogamus autem Sanctitatem Vestram, vt convocentur & ex ijs, qui Photij sunt, saltem tres vel 4. vt audiant:* Volentibus rursùm ijsdem S. Romanæ Sedis Vicarijs, vt à Concilij Patribus præfati de fide examinarentur Episcopi; admirandum quòd illis Vniversalis Synodus reposuit: *Obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra, interrogabimus eos, non per potestatem nostram, potestas enim hæc vestra est.* Non litteris ergo tantùm Pontificijs, sed & Vicariorum ejus præceptionibus obtem- ex eadem action.

perat Concilium Vniversale. Lecta fuit continuò alia Epistola Nicolai, quâ Photius, & consecrati ab eo Episcopi à sedibus degradati fuerant, & dejecti, post cujus lectionem, hæc vox totius Synodi audita est: *Ex his quæ nunc audivimus, satisfacti sumus, Epistola enim repellit eos, & innotuit nobis, quia Photium & manus impositionem eius, Sanctissimus Papa Nicolaus non recepit.*

ex action. 5ta. 11. Vocato ad Synodum Photio, aliqui ex Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopis, causam illius non temerario quidem sed pio intentarunt sustinere affectu, quatenus peccatum agnoscat suum, quòd si purè de illo doluerit, in Ecclesiam Christi recipiatur. Opposuerunt se Romanæ Sedis Vicarij, Decreta Pontificia sine auctoritate ipsius immutari non posse: contra hæc, Concilij Patres nec mutire ausi, sed dicere compulsi: *Admittimus hæc omnia: Canonicam legem compleat, & Synodicam præceptionem & Legislationem.* Sententiam videlicet Romani Pontificis, de qua Legati interlocuti sunt.

12. Legat Adversarius Responsionem primam Synodicam ad Adrianum Papam, quod officium sui recognoverit hæc Sancta Synodus, & qualem in Apostolici Throni Antistite, regiminis & potestatis expresserit auctoritatem. *Quia* (inquit) *cor Apostolatûs uestri, gratiâ S.*

ex action. 7ma. *Spiritûs conspicimus illustratum, repletum est gaudio cor nostrum &c. ideoq; innumeras laudes, & cantica Spiritualia Domino decantamus, & Pontificium vestrum Divinæ Majestati perpetuò conservandum quotidie commendamus, quia Paternarum traditionum strenuus executor, & Sedis Apostolicæ privilegiorum dignus conservator, atq; Apostolicæ memoriæ Prædecessoris Vestri Constitutorum, ferventissimus vt cernimus zelator existis, vt ejus quodq; salutiferum & Apostolicum Decretum, tamquam Patrum testamentum, vt potè pius heres exequeris. Succendatur sicut ignis zelus tuus, o Domine Beat. Papa, & accinge sicut vir lumbos tuos, & injuriam Sedis Apostolicæ, vt justus judex*

dex

dex vlciſcere: Ecce enim Angelus Domini, Tua vt quondam latera tundens, admonet; ut ad ſalutem gentium cum Petro ſurgas hortatur. Quapropter oramus Domine Coangelice Papa, vt eundem habens Spiritum fidei, quem & Patres tui ferventiſſimi Præſules, Conciliabulum cum geſtis ſuis, quod Conſtantinopoli nuper adversùs Sedis Apoſtolicæ gremium congregatum eſt, ita ſententiæ Veſtræ falce recidatur, vt nullum de eo momentum, nullum remaneat omnino veſtigium, ſed ad Tui damnationem, vel execrationem, Ariminenſi Synodo, vel Epheſino latrocinio, ſit modis omnibus comparandum.

13. Cur expectaretur à Synodo pro damnando Photij Concilio, Pontificis Sententia? ſi ei in ipſum quoq; Pontificem eſſet auctoritas: cur damnatur Photius? ſuſpenditur Pſeudo-Synodi execratio? niſi quia in litteris Apoſtolicis lata erat in Schiſmaticum Sententia, Schiſmatici verò Conciliabuli, non fuit expreſſa damnatio.

14. Clarius in altera Synodi reſponſioue deſcribitur culminis Apoſtolici dignitas, dum ſui ab eo profitetur hæc S. Synodus dependentiam, & judicij ejus à nullo hominum retractabilis commendat præeminentiam. *Nemo* (inquit) *fidelium in injuriam B. Petri Principatûs impunè prorupit, in cujus videlicet contumeliam quiſquis inſurgit, habitator cæleſtium non poteſt eſſe regnorum; Tibi inquit dabo claves regni cælorum, in quod nullus abſq; gratia janitoris intrabit: & rurſus: nemo vnquam Apoſtolico culmini de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi quaſi de ſe voluit judicari. Verùmtamen nos Domine Beat. Papa & Apoſtolicæ Summæ Præſul, & Pontifex, omnes pro his rogamus, omnes vniformiter obſecramus ſubveni miſeris, erige lapſos* (pro Photij intercedunt Epiſcopis) *& reſipiſcentibus concede veniam, & miſerationem, quam non merentur adhibe medicinam; quatenus erroris auctore, Photio videlicet amputato, cæteri Sedis Apoſtolicæ circa ſe patula reperiant more ſolito viſcera pietatis, ita; vt* ibid.

si rectè mota sit Apostolicæ Sedis auctoritas, vel se recognoverint, vel si ad satisfactionis plenitudinem concurrentes, omnia quæ ab his malè sunt gesta, vivâ voce, & præsenti subscriptione damnaverint, non sit erga illos inflexibilis miseratio, sed sit humana tantæ sedis per omnia moderatio. Rationem audis, cur schismaticorum pœnitentium refugiat judicium, hæc Sancta Oecumenica Synodus, sed in sinum currat Apostolicæ Sedis, quia inquit *de ejus judicio non licet retractari.* ideo subdit: *Nos tamen pro his omnes rogamus & obsecramus:* Ergo vivis testificatur vocibus, non Pontificis Romani à Concilio, sed Concilij Generalis ab illius judicio dependentiam.

15. Id ratum haberi voluit Sessione 10, dum rigorosam profert sententiam, ad omnes cujusvis ordinis, qui Decretis à Nicolao & Adriano conditis, obsequi recusaverit. *Quæcunq; à Beatiss. Papa Nicolao, veluti Spiritûs Sancti instrumento, ejusq; successore Sanctiss. Papa Adriano declarata sunt, quæq; diversis temporibus de constituenda & componenda Sancta Ecclesia Constantinopolitana, deq; S. illius Patriarcha Ignatio, ac de Photij ejectione atq; damnatione, in Synodo pronunciata sunt, ea omnia unâ cum expositis Capitibus servanda & custodienda semper decernimus, & sancimus, nemo ut illa cujusvis ordinis infirmare antiquareq; possit. Quisquis autem post hanc nostram definitionem fuerit spernens quicquam Capitulorum, & Decretorum, quæ in illis definita sunt &c. à cætu fidelium excludatur.* A Synodo dicuntur tantùm pronunciata, ea, quæ à Pontificibus Romanis sancita & declarata sunt: videant & considerent, quid hoc Canone pro jure Pontificio stabiliatur.

Canon. 2. 10. action.

16. Restat reproducenda Epistola Synodica Relationis ad Adrianum Papam, ex qua Convocationis hujus causam intelliget quisq;, & potestatis Pontificiæ in Concilium magnificum comperiet testimonium, incipit: *Domino, Coangelico, Sanctissimo Pontifici Maximo, & Oecumenico*

habet. act. 10.

nico Papæ Adriano, Sancta & Oecumenica Synodus Constantinopoli celebrata, in Domino salutem. ,, Opportunum est ,,
cum sapientissimo Salomone, nunc & nos clamare, sa- ,,
pientia foris prædicat: in plateis dat vocem suam; san- ,,
ctissimi enim Sanctitatis Vestræ Legati, cœlesti sapientia ,,
pleni, in Divinarum literarum plateis, liberam vocem ,,
dederunt, *& æquitatem Divinæ justitiæ liberè annunciarunt.* ,,
Quæcunq; enim Beatissimus ille vir Dei, Nicolaus Papa decre- ,,
vit, & Tua summe Coryphæe Paternitas per Synodum (Ro- ,,
manam videlicet) *confirmavit, illa in hac Synodo promulga-* ,,
runt, & executi sunt. Sed benedictus Deus, qui non de- ,,
dit nos in manus odientium nos, sed liberavit animas ,,
nostras, ut passerem de laqueo venantium, per preces ,,
nempe, *& hortamenta vestra*; ,, Concludit: *Vos autem Conventum omnium nostrum, & consonantiam hujus Synodi benignè recipite, & precibus apud Deum vestris confirmate.* Declaratur causa Concilij & officium, promulgare & exequi, quæ à Pontificibus condita sunt decreta; quòd si aliquid addendum vel decidendum ex occasione contingeret, à Sede Apostolica firmitudinis robur ut adijciatur, exposcere.

17. Tandem in fine, legitur alia Synodi Epistola ad Pontificem pro tribus Capitulis, nimirum de tonsis à Photio, de Agonisto, & Theodoro Canæ, Episcopis; quæ quidem, nec omnes Patriarchales Sedes, cum tota Synodo ausæ sunt definire, sed horum definitionem, & cum Personis dispensationem, per Patriarcham Ignatiũ voluerunt humiliter à Sede Apostolica postulari. En Epistolæ contentum. ,, Quòd autem Sanctissimis Vica- ,, in fine
rijs Paternæ Sanctitatis Vestræ adhuc præsentibus, per- ,, 8. Syn.
fectum non est, neq; finem accepit: *Rogamus nunc terminari, & disponi perfectè*, & integrè scribi ad humilitatem ,,
nostram, de his Lectoribus qui tonsi sunt à Photij ma- ,,
nus impositione, ut cognoscamus super hac re *vestram* ,,

„ *voluntatem atq; decretum certissimè & manifestissimè*, utrum „ sint digni promoveri ad majores Sacerdotij gradus; an „ non sint? Et adhuc postulamus, de intimo filio nostro „ Agonista Paulo, ut si est possibile cum dispensationis ali- „ qua ratione, recipiat dignitatem Episcopatûs. Deinde „ quoq; super Theodoro &c. Hæc sunt de quibus roga- „ mus Sanctitatem Vestram, ut si possibile sit, utatur verbo „ dispensationis, & misericordiæ in his. „ Ex quibus colliget Lector, quæ auctoritas concedatur Romano Pontifici, & qualis impendatur cultus à Generali Synodo ipsius Sedi. Hucusq; ex Synodis Generalibus Orientalis Ecclesiæ.

PARAGRAPHVS IV.

Ecclesia Gallicana nono sæculo novum præstitit Catholicæ Religionis exemplar subiectionis erga Apostolicam Sedem, atq; confessionis, eam videlicet fidei regulam esse atq; magistram.

I. NOn discreparunt à communi Orientalis Ecclesiæ, atq; majorum suorum sensu, ipsius Ecclesiæ Gallicanæ Præsules dignissimi, hoc eodem sæculo, quinimo confessi, Christi Ecclesiam necessariùm regi & gubernari, ac in finem suum dirigi, curâ & auctoritate unius Sedis Apostolicæ Præsidis, qui ut scholæ Christianæ Magister, sua singulis officia præscriberet, & à singulis eorundem exigeret rationem. Produnt Annales veteres Francorum, celebratum fuisse anno 809 Concilium Aquisgrani in Gallia, occasione motæ quæstionis de Processione Spiritûs S., quam Joannes quidam Monachus Hierosolymis sparsit: non erant ausi Patres quæstioni finem imponere, sed ad Leonem Pontificem Legatos, Berahartum, & Jesse Episcopos destinarunt, ut quid de fide tenendum esset, à Sacra Sede stabiliretur. Petierunt quoq; licen-

ex Conc. tom. Eccl. Gallica.

licentiam à Pontifice dicti Galliæ Antistites, ut liceret Symbolum Constantinopolitanum, cum addita particula *Filioq;*, in Ecclesijs eorum solemniter decantare, unde usus primò in Gallijs processit, decantandi à populo dictum fidei Symbolum, qui ad hunc usq; diem ibidem à toto populo decantatur.

2. In Concilio Turonensi an. 813 celebrato, Canone 2 sancitum legitur, ut nulli Episcoporum liceat Canones, à B. Gregorio Papa editos ignorare, in quibus se debet unusquisq; quasi in quodam speculo considerare. Idipsum legitur Can. 1 Concilij Cabilonensis anno eodem habiti: *Canones quoq; intelligant, B. Gregorij Papæ, & secundùm formam ibidem constitutam, vivant & prædicent.* Canones autem isti sunt de Episcoporum moribus, & officio, quos videre est in lib. *Curæ Pastoralis.*

3. In altero Turonensi an. 849 adversùs Nomensium Ducem Britannorum coacto, qui cum humana simul ac Divina vastaret, & Episcopos à suis expelleret Ecclesijs; Leo Pontifex literas ad ipsum scripsit exhortatorias, quas cùm Tyrannus non modò contempsisset, verùm etiam oblatas repudiasset; Gallorum Episcopi 22 Sedis Apostolicæ propugnatores zelantissimi, auctore Landrano ad hanc Synodum convenerunt, ac Synodalem ad eum miserunt Epistolam, quâ illum ob contemptum Sedis Apostolicæ redarguerunt gravissimè, pœnamq; excommunicationis infligendam, nisi auctoritati Pontificiæ obtemperaret, comminati sunt.

4. In Concilio Warmatiensi eodem sæculo à Ludovico indicto, Canon exhibetur à Galliæ Episcopis: *Proinde nobis in Sacramenti diversitate, quid tenendum sit, Apostolicæ Sedis informemur præceptis, non nostram sed Paternam institutionem sequentes: Beatæ igitur memoriæ S. Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex, de hac diversitate, quid potius esset sequendum, edocuit &c.*, & infra: *Quapropter quia de utroq;* Canon. 9.

Sacra-

Sacramento, quod fit in Sancto Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, utrumq; rectum, utrumq; irreprehensibile, in Sancta Dei Ecclesia habeatur.

5. In Concilio Sueonensi 1. an. 853 dejectus fuit Ebbonus Episcopus à Sede, factione Hincmari; & ordinati ab illo rejecti, verùm cùm ad lapidem Lydium perventum est, ad judicium videlicet Apostolicæ Sedis, omnia ut à vento fumus, evanuerunt; Hincmarus igitur, quominus sciret Sueonense judicium non posse subsistere, eò magis à Leone Pontifice iteratis legationibus illud petijt confirmari, quòd S. Pontifex omnino facere renuit: cognito postea Hincmarus auctoritatis Apostolicæ rigore, & perterritus voce Leonis, in altera Sueonensi Synodo paulò post in materia simili celebrata, nihil cum Episcopis decidere ausus, sed causam decidendam reservavit Pontifici, teste Sirmondo.

tom. 3 Conc. Galliæ.

6. Vitâ functo Pontifice, idem Hincmarus Rhemensis Episcopus, iterum opere aggreditur, quòd adversûs aliquos Episcopos vivente Leone perficere non poterat: Concilium Silvanectense convocandum, & Rhotaldum Episcopum Sueonensem, malis artibus deponendum curaravit, quod factum cum complures Galli detestarentur, non tantùm ipsi injuriam Rhotaldo illatam Nicolao tunc Pontifici denunciarunt, verùm etiam libellum supplicem ipsius Rhotaldi, Apostolicæ Sedi obtulerunt. Quid autem Summus Præsul egerit? quidve responderit? indicant Acta Concilij 5ti Romani, ejusdem sæculi: Acta Synodalia Silvanectensis Concilij, ut potè quæ Sacris Canonibus adversarentur improbavit, & simul irrita reddidit; item constituit, ut nisi Hincmarus, alijq; Episcopi ter quaterq; moniti Rhotaldum Episcopum iniquè à sede amotum, spatio triginta dierum restituerint, à Missarum celebratione omnes suspensi haberentur, eandemq; pœnam incurrerent, quam ipsi Rhotaldo

habetur in Conc. Silvane.

taldo

taldo inflixerant. Nec legitur mandato Pontificio contradictum.

7. Ipsorum Christianissimorum facta Regum constantissimum perhibuêre hoc eodem sæculo testimonium, Universam Christi Ecclesiam solius Pontificis Romani auctoritate administrari, & contineri in unitate debere, & officio. Lotharius namq; & Ludovicus Galliarum Reges contra Carolum fratrem ad Sedem Apostolicam provocarunt, rogantes Pontificem, ut Synodum in Gallijs celebrandā indiceret, & ad eam mitteret Legatos, qui unâ cum Episcopis causas eorum cognoscerent, & dijudicarent. Audiatur fragmentum Epistolæ Lotharij ad Pontificem: ,, Apostolicis (inquit) documentis, & Pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut Vestri Sanctissimi Apostolatûs apicem Principis Apostolorum fide, & nomine consecratū, quoties Sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus, ibiq; veri consilij salutaria instituta, sinceriter hauriamus, ubi mitis magister Christus, & summum Caput nostrum fundamentum Ecclesiæ posuit; ,, & in fine: ,, Unde humiliter petimus, ut vestræ Paternitatis, veræq; charitatis anchoram solido figatis in littore, nullaq; justitiæ libra vacillet, sed fidissimus almi fluentis fatus, præscriptos Legatos præstoletur &c. ,,

ex Conc. Metensi.

ex Codice Treviren. apud Baron. ad an. 862

8. Quam præterea metuenda fuerat Romani Pontificis auctoritas ipsis Principibus, profitetur idem Lotharius aliâ ad Nicolaum Epistolâ: ,, Ut verè fateamur (inquit) non modicè purum in vestra fidelitate nostri cordis intuitum, & humanæ conditionis aciem obnubilat, quòd fulgureo Vestri Pontificij jubare, nos non solùm illustrari, verùm etiam crebro terreri placuit: Unde attonita nostra mansvetudo, vix tanti fulminis radios ferre valuit, nostræ tamen salutis monita avidissimè excepit, atq; abundantissimè amplexa est. Regij nostri a-

„ picis culmen, Prædecessorum nostrorum more humiliter
„ ac benignè submisimus, & propter reverentiam SS. A-
„ postolorum, Vestræq; Sedis Sanctæ auctoritatem, jussis
„ illorum paruimus, immo vestris studuimus obtempera-
„ re edictis. „ Jam non modò in Ecclesiæ Antistitibus, sed & in Principibus laudatissimis, de auctoritatis Pontificiæ præcellentia, hæc Gallia professa est.

EX CONTROVERSIIS 10, 11, 12, & 13 SÆCVLI OPPOSITIONES Auct. Anonymi desunt.

CAPUT XII.

In quo ex Controversiis 10, 11, & 12 sæculi incidentibus, factis Ecclesiæ Gallicanæ probatur auctoritatis plenitudo Apostolicæ, & in Antistitibus eiusdem Ecclesiæ continua præ cæteris pietas demonstratur, erga Apostolicam Sedem.

I. SIlentio honorari placuit Auct. An. cœteras sequentium sæculorum Controversias, quæ in Ecclesia viguerunt, occasione schismaticorum Apostolicæ Sedi continuò insultantium, atq; immobilem petram evertere conantium, quas ideo prætermitti voluit, quia tametsi monumenta pervoluerit omnia, & annales singulos discusserit Gallicos, haud jota excutere valuit, quod nobis opponeret, vel non contraponeret sibi.

2.

2. Cùm enim sæculis illis cæteræ Regiones abundassent portentis, sola Gallia monstra non habuit, verùm sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoq; titulis, & plurimorum exhibitione operum erga Apostolicam Sedem præfulsit: neq; enim Francia cæteris Regnis proclivibus ad schismata his sequentibus sæculis, tali factione fœdata est, nec malignorum acquievit erroribus, aut fabricata est idolum in Ecclesia, nec venerata est extra Petri Cathedram monstrum, neq; in ipsa Cathedra veri Ecclesiæ Præsulis vel in apice auctoritatem labefactari voluit, sed plena in constantia perseverans, Romanæ Ecclesiæ pacem, & unitatem tenere, ab eaq; semper studuit schismaticæ pravitatis infamias depellere, multisq; quâ par erat observantiâ, & debitæ venerationis medijs eandem exaltare; etsi quandoq; mala in regnum irrepserant, adhibito moderamine statim depulsa erant.

3. In exordijs decimi sæculi, regente Ecclesiam Sergio, cùm adhuc sacrilega Photij dogmata auctoritati Romanæ Sedis derogantia, licet sæculo anteriori damnata, in orbe adhuc viguerint, plurimæq; Orientis Provinciæ ejus blasphemijs contaminatæ fuerint: Conati sunt Ecclesiæ Gallicanæ Patres pro Apostolica Sede certantes, errores reprimere Canonicarum obice sanctionum, & reliquias mali Orientalium seminis, ab Occidentali Ecclesia, multiplicibus Canonibus & sententijs Patrum contextis omnino depellere. Composito itaq; Sueonensi Concilio, auctore *Heriveo* Rhemensi Archiepiscopo, inter alia Synodica acta, quam accepissent ab Apostolica Sede admonitionem, de perversa doctrina Orientalium, his significaverunt verbis: *Quia innotuit nobis Sancta Sedes Apostolica, adhuc errores & blasphemias cujusdam vigere Photij: hortamur vestram fraternitatem, ut una mecum secundùm admonitionem Domini Romanæ Sedis Præsidis,* ex Conc. Sueon. Ca. 14.

dis, singuli nostrûm, perspectis Patrum Catholicorum *sententijs de Divinæ scripturæ pharetris acutas proferamus sagittas, potentes, ad conficiendam belluam monstri renascentis, & ad terebrandum caput nequissimi serpentis.* Ex quibus Gallicanorum probatur fides Episcoporum, dum licet merita non attendentes, ista scribentis Sergij, ea tamen quæ ab eo dicerentur considerantes, ipsius obediunt jussionibus.

4. Initio Capitis 15 ejusdem Concilij, ijdem laudatissimi Patres subjecerunt, de illibata quam receperunt à Petro, & ejus Succ. ssoribus fide Catholica, cui ut superædificent bona opera, compendio deducto, quæ debeat facere quisq; Catholicus, admonent & hortantur toto illo Capite; hæc autem præ cæteris præcipuè consideranda: *Qui* (inquiunt) *justè & piè volunt vivere in* ibid. Cap. 15. *communione Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ est unum corpus Christi, cujus unus est Dominus, una fides, unum baptisma: quæ cùm generaliter ab uno Capite Christo super petram, id est super confessionem Petri sit ædificata; manifestùm tamen est, per omnem Italiam, Gallias, & Hispaniam, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes. Et quoniam Ecclesia in nostris quoq; partibus super hanc petræ soliditatem non tantùm fundata, sed ab eo, ejusq; Successoribus etiam est edocta: cum Dei gratia ipsius B. Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primò percepit, hactenus inconcussam servare studuit, nullaq; perfidorum consortia percepit.* Hæc sanctissimè reliquis quoq; Capitibus pro magnitudine, & plenitudine auctoritatis Apostolicæ Sedis in universam Ecclesiam, Gallicanæ Ecclesiæ Patres.

5. Joannes X licet malis artibus Pontificatum detinebat, cui nec ætas, nec legitima suffragata est electio, nomen tamen reveriti Pontificis, Episcopi Galliæ, omnem illi exhibuêre reverentiam; ut est in exemplo hist. Rhemen. lib. 4 Cap. 18. Artaldus Archiepiscopus Rhemensis totius Regni Primas,

mas, qui duos legatos ad eum misit, pallium expostulando, ejecto auctoritate Apostolica Hugone puero, qui annorum quinq; ætatis fuerat, à patre in eandem intrusus sedem. Litibus postea de Episcopatu crescentibus inter eundem Artaldum & Hugonem, negotium ad Agapitum Pontificem delatum est, qui celebrandum indixit Episcoporum Concilium, ad dignoscendam, Rhemensis Ecclesiæ causam, deputatoq; Vicario suo Marino Episcopo, literæ ipsius Papæ mittuntur ab Vrbe, præter Episcopos Galliæ, quosdam quoq; Germaniæ vocantes ad Synodum, qui juxta præscripta Apostolica in Concilio Artaldo Episcopatum Rhemensem adjudicaverunt, proscripto, & in exilium pulso Hugone. Hildegarius autem Episcopus Bellovacensis, vocatus est Romam à Marino, rationem redditurus coram Pontifice, de illicita ordinatione prædicti invasoris in Episcopatum Hugonis.

6. Eodem sæculo Francorum Proceribus adversùs Ludovicum Regem rebellantibus, & recipere eum detrectantibus; legatus Stephani Papæ, nomine Damasus ordinatus in Franciam venit, afferens literas Apostolicæ Sedis ad Principes Regni, ut Regem suum Ludovicum reciperent, quòd si facere renuissent, & eum amplius hostili gladio persecuti essent, excommunicationis interminationem fulminare paratus erat.

7. Cùm sparsus fuisset rumor adversûs Arnulphum Rhemensem Archiepiscopum, quòd ejus jussu Civitas Carolo Patruo suo prodita esset, Rex Galliæ Hugo, eum cogitavit Synodali subijcere judicio: reluctabatur ipse audiri ab alijs, quàm à Romano Pontifice, quem solum sciret habere superiorem, apud ipsum verò experiri paratum. Contra eum legati expediuntur cum literis ad Joannem Romanum Pontif., tum ab Hugone Rege, tum ab Episcopis Rhemensis Provinciæ suasu ejusdem Regis,

quæ extant in Concilio Rhemensi hoc sæculo celebrato.
ex Concil. Rhem. Ca. 25. & sequ. Reversi sunt à Pontifice legati, qui se ab eo non fuisse auditos, triduo agentes Romæ, retulerunt: Rex irâ accensus, cum Episcopis ipsi morem gerentibus, celebrandæ adversûs Arnulphum Synodi, contra sensum Pontificis, inivit consilium; congregatisq; in Vrbe Rhemensi Episcopis, Arnulphum degradari, & in carcerem detrudi fecit, ordinariq; & in sedem ejus locari Gerbertum.

8. Quòd ubi denunciatum Romano Pontifici, illico interdixit Sacris, omnibus Episcopis, qui Arnulphum dejecerant, & ordinaverant Gerbertum; damnatoq; illorum Conciliabulo, Synodum aliam in eadem Rhemensi Vrbe decrevit faciendam, Leone Abbate in Gallias expedito ad Segvinum Senonensem Archiepiscopum, qui vices ejusdem Pontificis in Synodo congreganda gereret: Collecto igitur Concilio, ipse Gerbertus condemnatus turpiter, loco cedere jussus est, atq; restitutus Arnulphus: hac in sententia adijcientes Synodi Patres: *Nos vero RR. PP. Romanam Ecclesiam propter B. Petri memoriam, semper honorandam decrevimus, nec decretis Romanorum Pontificum obviare contendimus.* (ibid. Cap. 28.) Rex autem Galliæ cùm vidisset ipsum Pontificem vehementer esse commotum ob ejectionem & carcerem Arnulphi, quòd legatione, & literis per Leonem Abbatem significaverat; eum ut placaret Rex, legationem aliam fecit, atq; ad ipsum literas dedit, in quibus hæc notatu digna: *Beatitudini vestræ, ego, & Episcopi, per Ioannem Archidiaconum Rhemensis Ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanavimus, sed nunc obsecrando superaddimus, ut mihi, meisq; justa decernatis: nihil nos contra Apostolatum vestrum gessisse scimus. At si nos, & nostra invisere libet, summo eum honore descendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur; hoc ex integro* (Annal. Gall. lib. 3 apud Mason.)

affe-

affectu dicimus, ut intelligatis & cognoscatis, nos, & nostros, vestra nolle declinare judicia. Quibus consvetam erga Apostolicam Sedem, Gallorum Regum propensionem Hugo significat, cujus se, suosq; judicio subijcit, quòd non solùm verbis, sed rebus præstitit.

9. Undecimo sæculo in eadem Gallicana Ecclesia, oborta fuit controversia, de Sancto Martiale Christi Discipulo, qui primus in Aquitaniæ Provincia Evangelium prædicavit, essetne in Sacris precibus nominandus Apostolus? sicut in Ecclesia Lemovicensi ab eo erecta hactenus factum esse constaret: contradicentibus alijs, nonnullis contendentibus, non Apostolum, sed Confessorem tantùmmodo nominandum; consulta est Apostolica Sedes, quæ auctoritate sua finem posuit controversiæ, data in Gallias Epistola, cum collecta de eodem S. Martiale. Cujus sententiæ exemplar extat in actibus Synodalibus Concilij Bituricensis, quæ relata sunt in Synodo Lemovicensi. Conc. Lemou. act. 1.

10. In eadem Synodo conquisitum erat ab Episcopo Avernensi, de Comite quodam Diœcesano à se excommunicato pro uxore legitima quam dimiserat, aliamq; duxerat, & à Pontifice Romano absoluto, cui à Patribus responsum legitur: *Frustra hæc querela adversùs caput nostrum mutire audet: Apostolicus enim absq; culpa est, & potius nos culpabiles sumus* quòd videlicet literis suis Pontifici non detulerint Comitis factum, propter quod excommunicatus fuerat; inde sequens canon conditus est: *Hoc autem teneamus, ut Parochiano suo, Episcopus si pœnitentiam imponit, eumq; Papæ dirigit, ut judicet, utrum sit, an non, pœnitentiâ dignus pro tali reatu: potest eam confirmare auctoritas Papæ, aut levigare, aut superadijcere; judicium enim totius Ecclesiæ, maximè in Apostolica Romana Sede consistit.* ibid. action. 2.
Conati quidem erant paulò post nonnulli Gallorum Episcopi, qui in ovile Dominicum aliunde quàm per ostium ir-

um irruperant, & in Ecclesijs suis, Catholicorum Patrum sanctionibus contraria quædam pullulare permiserant, aditum præcludere adventanti in Gallias Pontifici Rom. Leoni nono, ad resarciendos hactenus collapsos eorum mores, & ad eradicandam simoniacam hæresim, incitantes nimirum Regem, ut ab ingressu in Urbes Franciæ arceret Pontificem, ne ex examine deponendæ ab illo Synodi, vitia illorum propalarentur. Sed conatus eorum fuit inutilis; deposito namq; ipse Leo in Ecclesia S. Remigij Concilio, pœnâ excommunicationis damnavit rebelles Episcopos, qui ipsius Pontificis formidantes adventum, Concilio seposito, Regem secuti erant; & eos simoniacos quotquot repererat, Episcopalibus privavit titulis & honoribus; quorum primus erat Senonenensis Archiepiscopus, secundus Lingonensis, tertius Bellovacensis, quartus Ambiensis Episcopi, & Abbas similiter S. Medardi, quia absq; licentia Pontificis recesserat à Conventu Concilij. Sanctorum Patrum per illos conculcata renovavit decreta, & quæ in Ecclesia Gallicana exercebantur illicita, ne fierent ulterius, sub anathemate prohibuit.

in Chronic. Herman.

11. Nec illud memorandum prætereundum duxi, quod Deus hocce in Concilio in præsentia S. Pontificis permiserat- Vesontionensis Archiepiscopus, caussam accusati Lingoniensis suscepit defendendam in facie totius Synodi, qui dum ad excusationem criminosi, incongrua quædam, & dissona veritati decerneret proponere, insperatò sibi suffragium vocis Divino sensit denegari numine. Cùm autem in tertia sessione ex præcepto Leonis lectæ fuerint adversùs accusatum Lingoniensem Patrum sententiæ, & universi judicio Concilij anathematis pœna damnatus sit, Vesontionensis surrexit Archiepiscopus, & quomodo eundem reum excusare nitens divinitûs suffragio lingvæ privatus fuerat, coram toto Con-

ibid. act. 2. Conc. Rhemen.

Conventu publicè patefecit, veniamq; devotè à Pontifice petijt, quòd ejusmodi novitatem miraculi, eò usq; celaverit.

12. Rursum cùm Gregorius VII increbrescentes querelas in Philippum Regem de Simonia in venundatione Ecclesiarum audiret sæpius, & quòd electus à Clero Matiscensi Episcopus, ob eam rationem ad sedem non admitteretur, deputavit Cabillonensem Episcopum ipsius Regis familiarem, qui de his Philippum commoneat, eà adhortatione adhibita, ut nisi resipiscat, & pareat Apostolicæ Sedi, Galliæ privandus sit Regno. Hæc præ cæteris adnectens Epistolæ: *Quoniam anteactis diebus per familiarem suum Cubicularium Albericum ad nostri censuram judicij, & vitam corrigere, & Ecclesias ordinare firmiter nobis respondit: rigorem canonum interim exercere distulimus. Hujus ergo promissionis fidem in Matiscevienſi Ecclesia Pastoris regimine diu desolata, & ad nihilum pene redacta imprimis volumus experiri: quòd si facere renuerit, indubitanter noverit, nos hanc Ecclesiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, & ex auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam coercituros: nam aut Rex ipse repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo (nisi fidem Christianam abijcere maluerint) generalis anathematis mucrone percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt.* Greg. Epist. 35 lib. 1.

13. Paruisse Regem Gregorij monitis, misisseq; ob eam potissimùm causam legationem ad ipsum Pontificem, quâ significaret se in omnibus ipsi semper pariturum fore; constat ex alijs literis ejusdem Gregorij ad eundem Philippum datis: *Significasti nobis per literas, & legatos tuos, te Beato Petro Apostolorum Principi devotè ac decenter velle obedire, & nostra in his, quæ ad Ecclesiasticam religionem pertinent monita, desideranter audire atq; perficere,* lib. 1. Greg. Epist. 36.

14. Post fata Gregorij, cùm in aliud vitium inci-

disset Rex ob ejectam legitimam uxorem, & pellicem subintroductam, atq; ex monitorijs Vrbani ejus nominis secundi nihil omnino proficeret, iteratas literas scribit Pontifex ad Archiepiscopos & EpiscoposGalliarũ omnes, ut Regẽ hortarentur ad resipiscentiam, alioquin in eum exercerent Ecclesiasticam disciplinam. Commoti quidem Galliæ Præsules Epistolis Pontificis, ita tamen, ut non verè correctionem Regis urgerent, sed palpando potius indulgerent, ut ex cicatrice malè obducta, recrudescens multa sanie apostema tumescens, ferro chirurgi potius, quàm lenitate ungventi curandum sit; Vrbanus in Claromontensi Concilio, Philippum anathematis perculsit gladio; pœnitentem verò postea absolvit: sed rursus ad vomitum redeuntem, rursus subjecit interdicto: qui ut audivit Pontificem esse defunctum, perinde atq; cum ipso sacræ leges pariter essent extinctæ, fregit vincula quibus tenebatur adstrictus, cum injuria violatæ censuræ Ecclesiasticæ.

lib. 1. Epist. 5. & 32.

15. Quibus perceptis Paschalis Papa, vindex legum exurgens, & Antecessoris sui inhærens vestigijs, decernit legationem in Gallias, per quam in Regem Concilium indiceretur, cui ipse Rex ad dicendam causam reus assisteret, delegatis duobus qui Concilio præessent Cardinalibus. Pictaviæ deponitur Synodus: cùm autem Episcopi ibi collecti, essent literis Regis inde pellendi, quid mirandum Deo agente tunc acciderit, sequentia ferunt Annales Gallici.

ex Annal. Aquitan. Joan. Bonch.

16. Cum innotuisset Regi cogendum esse Concilium, scripsit Gvillelmo Aquitaniæ Duci cognato suo Pictaviæ agenti; petijtq; ut talem sibi injuriam fineret in sua Vrbe inferri: instantijs Regijs satisfaciens Aquitaniæ & Pictaviæ Princeps, legatis Apostolicis mandatum dedit, ex Urbe cum Episcopis ut excederent, qui cùm spatium respondendi, unicum impetrassent diem, nocte,

quæ

quæ interjecta fuit, visus est Legato adstare S. Hilarius, eumq; exhortari, ne minis Gvillelmi perterritus ab incepto desisteret, neq; enim passurum Deum, ut negotium Ecclesiæ malè succederet. Visionem Principi recitavit Legatus, cui ut cuncta perficeret, indulsit pro arbitrio. Ibid.

17. Quæstione ergo Regis de adulterio & incestu ibi proposita, ipsoq; renitente, & jussionibus Apostolicis refragante, anathematis fulmine plexus est. Quòd præter annales Gallicos, quos inficiari volunt moderni Novatores, refert Juo Carnotensium Episcopus, in Epistola ad Rudolphum Rhemensem Archiepiscopum, his rem gestam perstringens: *Propter patrati incestûs comprobationem, excommunicatus est Rex Philippus à Domino Papa Vrbano in Claromontensi Concilio. Et cùm post factum divortium, reversus esset ad prædictæ mulieris consortium, excommunicatus est in Pictaviensi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto.* Facti postea pœnitens Rex, per legatos à Pontifice absolutionem petijt, quæ fuit solemniter facta Parisijs, in præsentia Episcoporum, & Procerum Regni assistentia. Juon. Epist. 212.

18. Hoc eodem sæculo præfatus Carnotensium Episcopus Juo, à cæteris Episcopis Galliæ oppressus, & malè judicatus, quòd ab Apostolica Sede ordinationem receperat, quasi in concussionem jurium Galliæ, eandem interpellavit Apostolicam Sedem, quam vindicem justitiæ habere voluit, hæc de sui judicio & appellatione scribens Vrbano Pontifici: *Notum facio Beatitudini Vestræ, quòd Senonensis Archiepiscopus consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus alijs non dissimilis vecordiæ, Meldensi, & Tricassino, de ordinatione quam à vobis acceperam, me inordinatè satis accusavit, dicens: me in majestatem Regiam offendisse, quia à Sede Apostolica ordinationem præsumpseram accepisse. Cùm itaq; conarentur Gaufredum depositum, contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre,* Juo. Epist. 12.

Sedem Apostolicam appellavi, & decretis Apostolicis, quamvis ea non nisi in futurum timerent, à sua præsumptione revocavi: unde necessarium mihi videtur, ut literas communes tam Archiepiscopo, quàm Suffraganeis mittatis, quatenus aut plenam mecum pacem habeant, aut præsentiam vestram rationem inde reddituri mecum adeant. Hæc magnus ille Juo, Ecclesiæ Gallicanæ decus, & exemplar Præsulum illius sæculi.

19. Duodecimo sæculo, certante de sede Anacleto cum legitimo Pontifice Innocentio secundo, & literas officiosissimas ad Gallicanæ Ecclesiæ Præsules faciente Pseudopontifice, ad demulcendos si posset eorum animos, existimans magni ponderis esse, si ad suam communicationem eos pertraheret Episcopos: at constantes tunc in fide Gallicani Patres, noluerunt venerari in Ecclesia monstrum, sed nobili devotione indubitato fasces deferebant Pontifici Innocentio, hæc illi in via degenti, denunciante Alberone Trevirensi Archiepiscopo, suæ, & Gallicanæ Ecclesiæ nomine, per Epistolam à S. Bernardo conscriptam: *Nostram citra montanam Ecclesiam, tam in nostro, quàm in Francorum Regno noveritis fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in vestra obedientia, promptam ad servitium.* Convocato namq; Rex Ludovicus uti pijssimus Ecclesiæ defensor, *Stampis* ex Episcopis & Proceribus Regni Concilio, unum omnium consilium fuit, una sententia (Gvillelmo Aquitaniæ Duce excepto, qui Anacleti partes vehementer secutus fuerat initio) recognoscendum pro legitimo Pontifice Innocentium, exuflandum verò Pseudopontificem Anacletum. Eidem postea Pontifici in lares Galliæ advenienti, prædictus Rex occurrens cum familia sua, & nobilem diademate coronatum verticem, tamquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit, & Catholicum affectum, devotiq; effectum servitij, ei promittit & Ecclesiæ. Perlustratâ verò Galliâ Innocentius, convocavit ex diversis ubiq; Nationibus *Rhemis* Episcó-

Bernard. Epist. 176.

pos, qui intrusum PseudoPontificem excommunicaverunt, & electione Innocentij probata, eundem Anacletum, Leoni, nisi resipisceret, tradiderunt.

20. Iterum laborante Schismate Romanâ Ecclesiâ per intrusum ab Imperatore Friderico in Sedem Octavianum, Victorem à suis nuncupatum, contra legitimum Pontificem Alexandrum tertium. Gallia iterum præ cæteris nihil non movit ad refutandam Schismatici intrusionem, & protegendam electionem canonicam Alexandri. Licet enim Fridericus modis omnibus egerit cum Francorũ Rege Ludovico, vt ad perpetuandam amicitiam mutuam sibi hac in parte concors existeret, in acceptando videlicet Octaviano in Romanum Pontificem (quem ille factione erexerat) exploso penitus Alexandro: inflecti noluit Imperatoris precibus Rex, sed celebri Episcoporum & Nobilium Conventu facto in Vrbe Bellovacensi, repudiata parte Octaviani, Alexandrum pro legitimo habendum Pontifice, & cum Regni subditis ei, de cætero in ijs, quæ Dei sunt parere decreverunt, latâ solemniter in Schismaticum excommunicationis sententiâ. Inde à Petro Blesensi Antistites Galliæ in Epistola ad Wilelmum Archiepiscum Senonensem, hæc audire meruerunt. *Vos* (inquit) *estis, in cujus consilio & auxilio potissimùm suæ salutis anchoram navicula Petri constituit, cùm instar Schismaticæ persecutionis fluctus periculosius æstuaret, vobis contulit Deus super senes intelligere, & futuram naturæ canitiem maturiore morum senio pervenire, fluxos adolescentiæ motus in vobis ratio magistra coluit, vt omni lasciviæ libertate præcisa, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec potestas, nec cætera quibus pudicitia expugnatur, propositum intervertereni honestatis, sed modesta in omnibus conversatio, plus Angeli, quàm hominis exhiberet.* Hæc Petrus Blesensis in persona Senonensis Archiepiscopi, ad omnes Gallicanos Antistites, illo sæculo. Petrus Blesensis Ep. 28

21. Non hîc commemoro, quanta cum pietate à devotissimo Rege, ingressurus Parisiorum Vrbem Alexander Pontifex susceptus sit? quomodo occurrens ei Baronibus stipatus & militibus, officio vsus stratoris, dexterâ frenum equi illius gerens, post pedum oscula in exultatione ad præparatum deduxit locum.

22. Illud æternâ dignum memoriâ, hîc recitandum censui, quòd laudatus Rex, Friderico eum artibus dolosis circumvenire conanti, vt deturbato Octaviano, ipse quoq; Alexander de Sede deijciatur, & tertius vtriusq; auctoritate, Ludovici inquam & Imperatoris ipsius, adhibitis Galliæ Episcopis, in thronum Apostolicum sufficiatur, per Legatum reposuerat: *Miror* (inquit) *prudentem virum vana mihi & fabulosa verba misisse: an ignorat prædictus Imperator, quòd Dominus noster Iesus Christus cum esset in terris, B. Petro, & per eum universis ejus Successoribus oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio, eidem Principi Apostolorum dictum, Simon diligis me? Pasce oves meas. Numquid sunt hîc Francorum Reges, vel aliqui Prælati excepti? an Episcopi Regni mei non sunt de ovibus, quas Filius Dei Beato Petro commisit?* quibus dictis, vertit habenas equi, dicta spernens Legati, & cum militia sua consurgens, debiliora Regni sui munivit loca, certaturus vtiq; cum Friderico pro Sacra Apostolica Sede, & legitimo Ecclesiæ Præside Alexandro. Hæc sæculis illis Gallicana Ecclesia in Christianissimis Regibus, & Sanctis Antistibus pro gloria & auctoritate Apostolicæ Sedis, cæteris Regnis & Provincijs ad Schismata vergentibus, perpetuis monimentis signanda reliquit verè Catholicæ professionis specimina, procurans semper Ecclesiæ Romanæ pacem atq; vnitatem tenere, etsi quandoq; (vt relatum hactenus) ex suggestu antiqui veritatis & Ecclesiæ Christi hostis diaboli, in Principes, vel homines privatos, Romanæ, Sedi obvia irruperant, haud moram

Hist. Gall. apud Neubrig. lib. 2. Cap. 14.

passi

passi sunt Orthodoxi Patres in eradicandis zizanijs & depellendis malis, adhibito brachio auctoritatis Apostolicæ. Quare à Willelmo Carnotensium Episcopo ad eundem Alexandrum Pontificem dicta Gallicana Ecclesia, hoc veneratur elogio. ,, Inter omnia regna mundi, non ,, est ex animi mei Sententia, regnum,, quod fidem sinceriorem, charitatem ferventiorem, devotionem vberiorem Apostolicæ Sedi semper exhibuit, quàm Francorum. Non est inter Reges & Principes, qui benignius exaudiat preces vestras, qui mandatis obediat humilius, qui Ecclesiam, & viros Ecclesiasticos devotius honoret, & studiosius tueatur, Christianissimo Rege nostro. Non est Ecclesia, quæ Ecclesiæ Romanæ fuerit vtilior in omnibus angustijs suis, quàm Gallicana,, hæc Willelmus duodecimo sæculo.

Ep. 57. apud Ioannem Seresberg.

Ex CONTROVERSIA 14. 15. & 16. SÆCVLI.

In Concilio Pisano, Constantiensi, & Basileensi, ac post Basileense Concilium agitata.

OPOSITIO XI. Auctoris Anonymi.

IN Concilijs (inquit) Pisano, depositi sunt duo Pontifices, à sedibusq; deturbati: In Constantiensi tres, ,, videlicet Gregorius 12, Benedictus 13, & Ioannes 23. ,,

„ In Concilio Piſano quidem, ex conſenſu omnium Chri-
„ ſtianorum Principum congregato, in quo pluſquam du-
„ centi Epiſcopi adfuerunt, ex Italia, Francia, Germania
„ & Anglia, è Pontificatu ejecti fuēre Gregorius & Bene-
„ dictus, cùm ad illud venire renuiſſent, in eorumq; lo-
„ cum ſuffectus fuit Alexander quintus, qui & verus & le-
„ gitimus Pontifex ſtatim ab omnibus agnitus fuit. In Con-
„ cilio verò Conſtantienſi rurſus ijdem Pontifices Grego-
„ rius & Benedictus, qui ſe adhuc veros & legitimos Pon-
„ tifices oſtentabant, ſunt depoſiti, & cum eis Ioannes 23.
„ qui Alexandro ſucceſſerat, quemq; vt verum & legiti-
„ mum Petri Succeſſorem, omnes, & Principes & Chriſti-
„ ani agnoſcebant, etiam cùm nollet libenter ſe Pontifi-
„ catu ſicut promiſerat pro bono pacis abdicare; de mul-
„ tis accuſatus coram Patribus Concilij, depoſitus eſt, quod
„ factum vniverſa approbavit Eccleſia, & in Romanum
„ Pontificem electus fuit vnanimis vocibus Martinus 5.
„ cui modò verè ſuccedunt in Cathedra Petri, quos Pon-
„ tifices veneramur, qui dubio procul, non veri & legi-
„ timi eſſent Eccleſiæ Chriſtianæ moderatores ſupremi, niſi
„ hanc habuerit Eccleſia in Concilio Conſtantienſi con-
„ gregata poteſtatem conſtituendi Pontificem Martinum 5.
„ loco Ioannis 23, & aliorum duorum: atqui non perab-
„ ſurdum tantùm eſt dicere, nos in Eccleſia modò veros
„ Pontifices non habere Romanos, ſed & hæreticum pror-
„ ſus eſt id aſſerere; igitur ex depoſitione illorum Ponti-
„ ficum, verè conſtare videtur, habere Concilium Ge-
„ nerale auctoritatem ſupremam in Summos Pontifices.
„ Præterea in eadem Conſtantienſi Synodo Seſſione 4ta
„ & quinta definitum eſt: Concilium Generale vniver-
„ ſam Ecleſiam repræſentans, auctoritatem habere imme-
„ diatè à Deo, cui quilibet cujuſq; ſtatûs, conditionis &
„ dignitatis *etiamſi Papalis* exiſtat, obedire tenetur in his,
„ quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schiſmatis,

necnon

necnon reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & mem- „
bris; quæ Concilij Sanctiones à Martino 5to Decretali „
Pontificio approbatæ sunt. Idipsum sancitum legitur, „
in Concilio Generali Basileensi postea celebrato: Frustra „
autem & temerariè Vniversi Ecclesiæ Patres, hanc Con- „
cilijs Generalibus attribuissent potestatem, nisi eam ijs- „
dem jure inesse Divino credidissent, frustra & Marti- „
nus decreta Concilij approbasset. Igitur illo sæculo, non „
Ecclesia modò, sed & Romani Pontifices jus judicandi „
supremum, & vltimum judicij tribunal in Ecclesia Con- „
gregata recognoverunt. „ hucusq; A: Anon: „

CAPUT XIII.

In quo de Pisano & Basileensi Concilio difficultas expeditur, & obiectio Adversarij prima, de depositione trium Pontificum, ex antiqua praxi Ecclesiæ, diluitur.

1. NOn est leve quòd hîc discutiendum opponitur, de diuturno in S. Romana Ecclesia Schismate, & Concilij Constantiensis Controversia, res est ardua multorum vexans ingenia, & quibusdam non exigui nominis viris, erga Sedem Apostolicam devotissimis videbatur perplexa; siquidem constat certissimùm ex vna, tres Romanos Pontifices nuncupatos, à dicta Synodo dignitate fuisse exauctoratos, & in locum eorum suffectum canonicè Martinum V, cui hodie succedunt legitimè, qui Ecclesiam Catholicam moderantur: & ex altera parte; nullus dubitat, idem Constantiense Concilium inter Oecumenica numerari; & ab ipso Martino pluries Sacrosanctum nuncupatum fuisse, duosq; ab eadem Synodo

Canones 4tà & 5tà Sessionibus prodijsse, quibus potestas suprema Ecclesiæ, quæ à Christo immediatè est, penes Concilium Generale, non in Romano Pontifice reponitur.

2. Præterea constat, à dicta Synodo vacante Sede, hæreses Hus & Viclef fuisse damnatas, quòd nonnisi supremæ in Ecclesia potestatis argumentum est. Firmata tandem legitur hæc eadem Synodus Pontificis Romani auctoritate, nullâ interpositâ Canonum illorum exceptione: imo post mortem Martini, in Basileensi Concilio eadem duo Decreta Constantiensia, in terminis vt jacent, communi omnium voce fuerunt roborata, ratificata, & Actis Synodalibus perpetuò duraturis inserta, ex communi ordinatione Patrum.

3. Hujus de difficultatibus controversiæ, quæ in dicto Concilio, occasione Schismatis, initium habuit, scripsêre magni nominis, pariter ac dignitatis Theologi, temporibus illis coętanei aliqui, vicini alij; Decreta Sessionum illarum (de quibus potissima quæstio est) ab vna tantùm Concilij parte, ex Ioannis obedientia fuisse condita, idq; inconsultè & minùs regulariter, pluribus ejusdem Obedientiæ Prælatis reclamantibus: Primus eorum erat qui hæc scripserant, Eugenius 4tus Pontifex, secundus Cardinalis Turrecremata, qui dicto Concilio interfuerunt in minoribus dignitatibus constituti; Rodericus Episcopus Calaguritensis, Campegius Episcopus Calabricensis, eadem referentes affirmant, se accepisse ab eis qui præsentes Constantiæ aderant, hos insecuti sunt Sanderus, & Phygius, suis de Ecclesiastica Hierarchia Tractatibus, Bail, Cabasucius, Auctor Libri, cui titulus *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, vt prætermittam alios, tam antiquos, quam recentes Scriptores.

4. Omnia illa oculatorum testium dicta, tanti hodie apud aliquos habita sunt, quòd nullam omnino fidem merue-

meruerint, quasi honoratissimi viri illi, quorum alter ad apicem Apostolicum vocatus, Purpurâ donatus alter, ad elevandam auctoritatem Pontificum, propriè excogitaverint: ,, Cùm enim (inquit A Anon:) premerenturDe- ,, cretorum eorum pondere, istam responsionem com- ,, menti sunt; Decreta Concilij Constantiensis non fuerunt ,, recepta ab omnibus: non fuit de illis sufficienter disputa- ,, tum: opposuère se in Concilio multi eorum publicatio- ,, ni & promulgationi; sed hoc tam facilè de DecretisCon- ,, cilij dixerunt, quàm fuit illis difficilè rationem istius sui ,, dicti afferre. ,, Hæc Adversariorum acumina, contra ,, tantorum virorum testimonia.

5, Auditis ejusmodi & similibus, eorum artificijs, D. Emanuel *à Schelstrate* Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, ad perquirendos & evolvendos antiquissimos codices, acta & gesta hactenus inedita Concilij Constantiensis referentes, studiò se contulit, vtq; Orbi Catholico manifestum faceret, Summi Pontificis Eugenij dicta, factis omnino inniti, quibus contradici non potest, ea luci tradidit Antverpiæ an. 1683. adiunctâ brevi dissertatione.

6. Tentavit Pr. *Maimbourg* hæc omnia conquatere, & ratiunculis speculativi conceptûs respondere ad singula, tractatu suo historico, quem in vulgari idiomate composuit, & Dissertationem dictam ex professo impugnavit. Verùm non defuit animo D.Emanuel Palinodiā Palinodiæ dare, & momenta Patris Maimbourg omnia discutere, Tractatu illi alio opposito, quem Romæ An,D. 1686. edidit, additis alijs Concilij Constantiensis Actis compilatis per quatuor Prothonotarios à Pontifice ipso, approbante Concilio ad id deputatos, quibus doctrina illius falsitatis convicta, atq; in ipsum Auctorem Maimbourg calumnia regesta est.

7. Redivivus hodie Maimbourg, tamquam Her-

cule major, non obsistit modò secundo à D. Emanuel edito tractatui, verùm aggreditur etiam, Acta Synodalia illa, commentitia & apocrypha asserens, Apostolicam dignitatem liberis suis cacozelijs lacessere non desinens; Quare palam contra eum agendum constitui, non vt D. Emanueli suppetias feram, neq; enim ferendæ sunt, sed vt argumentis illius jam à me recensitis ad finem vsq; satisfaciam.

8. Tria igitur opponit A. Anon: 1mo. Depositionem Romanorum Pontificum, à Pisano & Constantiensi Synodo, & Electionem Martini quinti. 2dò: Decreta duo ab eadem Synodo adversûs Pontifices condita, & (vt ait) à Martino 5. decretali Pontificio approbata. 3tio. Concilium Basileense, à quo dicta duo Concilij Constantiensis decreta, renovata iterum asserit. De depositione, Pisano & Basileensi Concilio, in quibus nullum robur, hîc expediam: De Decretis verò Concilij Constantiensis, & approbatione eorum, vbi tota difficultas, differam paragraph: sequentibus.

9. Ex depositione Ioannis, Gregorij & Benedicti, quos Pontifices Romanos vocant, & electione Martini 5ti, non rectè auctoritas Concilij Generalis Pontificiæ præponitur, cùm Superiori Capite dixi, in quo vnanimes consentiunt tum Theologi, tum Canonistæ, duobus in eventibus Ecclesiam Congregatam auctoritatem independenter exercere posse; Primò si Pontifex sit manifestus hæreticus, & in hæresi pertinax, tunc enim desineret esse Pontifex, Pastor & Caput Ecclesiæ, sicut desineret esse membrũ ejusdem Ecclesiæ, concipi enim non potest, vt aliquid sit Caput corporis; cujus non modò membrum non est, sed nullo modo in corpore est. Id S. Mârtyr Bonifacius confessus est. *Huic* (inquit) *culpas isthic*

redar-

redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. in Cap. Si Papa dist. 40.

10. Secundò tempore Schismatis, quando ita creati sunt plures Pōtifices Romani, vt discerni non possit, quis eorum verus & legitimus sit, aut quis illegitimus, quis præferendus, aut reijciendus, tunc enim interest Ecclesiæ regimini, & animarum saluti, indubitatum & certum providere Pontificem, & Schisma ab ovili Christi repellere. In tali casu cùm ignoratur, quis contendentium sit verus & legitimus, Concilium Generale in eos habebit auctoritatem, quia pro veris Pontificibus non habentur, sicut quod nescitur consecratum, pro non consecrato habetur, & consecratione eget, vt habetur Cap. *Veniens de Presbyteris non baptisatis.* In his duobus casibus subesse auctoritati coactivæ Concilij, nullus dubitat, non vt auctoritate Pontificiâ exauctorentur, quia in eis supponitur nulla. sed vt pro non Pontificibus declarentur, tametsi actio illa intermedia dicatur depositionis, sicut pro declarando vero Pontifice, intervenit actio electionis.

11. Quòd autem ob solam hæresim, vel Schisma notorium, quod hæreseos incentivum est, non propter aliorum delicta generum deferri ad Concilium possit, expressum satis habetur in Scriptura, quâ inter hæresim & peccata alia, notatur discrimen: de peccato enim infidelitatis dicitur *Ioan:* 3: *Qui non credit, jam judicatus est. & Ioan.* 1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere, nec ave ei dixeritis*, hæc Prælatos Ecclesiæ, & subditos omnes respiciunt, doctrinam Domini non ferentes. De alijs verò Præsulum criminibus, aliter loquitur Scriptura *Math:* 24. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis servate, & facite, secùndum opera eorum nolite facere.*

In Psal. 36. Conc. 3. prope finem. Et ut optimè Augustinus jam supra recitatus: *In Cathedra Moysi, cui hodie succedit Cathedra Christi, sedent & mali, & tamen docendo bona non obsunt auditoribus.* Rationem dat alibi: *Quia coguntur etiam mali bona dicere, neq; enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra unitatis, doctrinam posuit veritatis.*

Serm. 23. de Sanct. C. 1.

12. Imò non Concilij tantùm Generalis privilegij, sed Cleri quoq; Romani juris & officij esse, contra ejusmodi sententialiter procedere, verum Pastorem Ecclesiæ proponere, reijcere alterum, deduco ex antiqua Ecclesiæ praxi, occasione schismatum. Tertio sæculo, Novatus schismaticorum artibus Pontifex Romanus declaratus erat, sedente in Cathedra Cornelio, nullum tamen legitur fuisse Generale Concilium, sed solius Romani Cleri studio, Novatus Romà ejectus, Cornelius pro legitimo recognitus fuit. Quarto sæculo, Damaso Ecclesiam regente, Vrsicinus à parte conspirante Pontifex fuit creatus, absq; Synodo tamen Oecumenica, à solo duntaxat Romano Clero, schisma repressum Valentiniani auxilio, & Vrsicinus à Sede Petri expulsus est.

13. Quinto sæculo post mortem Zozymi, duo fuerunt denunciati Pontifices, alter Bonifacius ad Theodoræ Ecclesiam, Eulalius alius in Laterano, sedatum nihilominus schisma, absq; ullius interventu Concilij, solo Ecclesiæ Romanæ Clero postea consonante. Aliud eodem sæculo obortum, inter Symmachum & Laurentiū, verùm solius Romani Conventûs auctoritate, concordia & unitas Ecclesiæ facta est, Laurentio exploso, & Symmacho in Sedem Apostolicam restituto.

14. Sexto sæculo, creato in Basilica Julij, Bonifacio 2do, adversùs eum in schismate erectus est Dioscorus opera Althalarici Regis, parte Cleri ei consentiente, Dei tamen beneficio, & ejusdem Cleri majori vigilantia, non Ecclesiæ Congregatæ factum auxilio, ut extincto

tincto schismatico, extingveretur & Schisma. Non multò post, cùm auditus esset obitus Agapeti Papæ, Gothorum Rex violentâ manu in sedem intrusit Sylverium, quem postea canonicâ electione facta pro vero Pontifice Ecclesia reverita est. Idipsum contigisse cum Vigilio, & septimo sæculo cum Theodoro & Paschali; item cum Benedicto 8vo & Gregorio, sæculo undecimo, absq; Concilij Generalis intermedia auctoritate, referunt Annales Ecclesiastici.

15. Non ergo solius Concilij Generalis muneris est, sed Cleri quoq; Romani antiqui juris & auctoritatis, illegitimos Pontifices eijcere, intrusos, qui aliunde quàm per ostium intrant, ab ovili arcere, unum Ecclesiæ præponere, vel si omnes sint dubij, per electionem Canonicam novum substituere: quis autem deduxerit inde? Clero Romano principaliorem regiminis & auctoritatis competere potius prærogativam, quàm vero & indubitato Pontifici, eò quòd actio illius sensibilis electionis, vel dejectionis quandoq; intervenerit, si quidem auctoritas ista ministerialis tantùmmodo est in declarando, non absoluta in judicando. Idem dico de Pisano & Constantiensi Concilio, quod officio Romani Cleri in partes tunc discissi, & schismate laboranti, fortiori jure fungi debuit, ad reprimendum dirum & pestiferum schisma, quod 70 circiter annis vexabat Ecclesiam, primo duobus, postea tribus de Papatu contendentibus.

16. Concedimus itaq; à Pisano duos, à Constantiensi Concilio depositos tres, legitimè & canonicè suffectum Martinum quintum, legitimos qui ei succedunt, successeruntq; Ecclesiæ Romanæ Antistites & Pastores, sed contendimus (quòd sequenti paragra. declarabitur) dejectos illos, illegitimos, incertos, schismaticos extitisse Pontifices, adeoq; justè extrusos, exturbatos, & dignitate Papali, quam nullis titulis vendicabant, spoliatos

&

& exautoratos, quid ergo ſequitur inde? niſi quòd Generale Concilium ſchiſmatis tempore; Clero quoq; Romano diſcordante, pacem Eccleſiæ quærere, & in dubios Pontifices poteſtate agere valeat; in veros & legitimos Chriſti Vicarios neutiquam aliquid attentare, ipſius ejusdem Concilij Conſtantienſis Actis apertè demonſtraturus.

17. Addo, quòd Joannes & Gregorius non abſolutè inviti depoſiti ſunt, nam ipſi etiam ſpontè renunciarunt Papatui; Joannes Seſſione 2da, per ſolemnem cum juramento promiſſionem· Gregorius autem Seſſione 14. Benedictus quidem non ceſſit, ſed poſt mortem ejus Clemens 8 Succeſſor, Nicolao 5 renunciavit, & liberè inſignia depoſuit. hæc de depoſitione Pontificum.

18. De Concilijs autem quæ in objectione recenſet A. A. hæc pro reſponſione accipiet; Piſanum Concilium nec Generale nec legitimum fuiſſe, à nullo quippe Pontificum legitur approbatum, nec pro Canonico ab Eccleſia receptum: & à S. Antonino appellatur Conciliabulum illegitimum, ideo nihil facit ad propoſitum, cùm de legitimis & Oecumenicis, cum veris Pontificibus comparatis, ſemper procedat quæſtio. De Baſileenſi, quod ſecundæ parti argumenti inſeruit Adverſarius, illi tantùm differunt, qui Conciliorum auctoritatem anteponere volunt, ut detrahant Pontificiæ, ſed ex eo concludunt nihil, ſi quidem illud ex majori parte reprobatum eſt auctoritate legitima, ut conſtat Seſſ. 11. Concilij Lateranenſis ſub Leone 10 celebrati, ubi Concilium hoc ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis appellatur.

3. par. ſum. hiſt. tit. 22 C. 5. parag. 2. & 3.

19. Equidem dicta Synodus in initio cæpit Oecumenica, eò quòd auctoritate Pontificis indicta, ac primò nutrita, & ſub præſidio Juliani Legati Apoſtolici aliquo tempore continuata fuerit: verùm dum ſub ſpecie refor-

reformandæ Reipublicæ Christi, ausa est in legitimum Pontificem Eugenium, depositionis pronunciare sententiam, & schismaticum alium substituere, omnes præcipui Episcopi cum Juliano Legato discesserunt, quando verò post discessum eorum Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi usurpaverat. invitoq; Pontifice prorogaverat Synodum, non tantùm legitima desijt, sed schismatica esse cæpit. Unde Nicolaus Eugenij successor, pacis gratiâ (ut loquitur Bulla) approbavit tantùm illas Constitutiones, quæ de beneficijs Ecclesiasticis editæ fuerunt, reliqua verò quæ sunt contra Sedem Apostolicam, & Curiam acta, cum Canonibus citatis Concilij Constantiensis, judicio ejusdem Nicolai sententiam Prædecessoris sui Eugenij hac in re imitantis, rejecta & reprobata sunt; ideoq; communiter ex majori parte dicitur reprobatum: Et in Universitate Parisiensi nusquam pro Canonico reputatum, à cæteris verò Cleri Gallicani Prælatis, Leonis 10 & Francisci primi tempore, in Concordatis (de quibus parag. ultimo dicturus sum) omnia statuta ejusdem Concilij, contra Romanos Pontifices edita, & à Carolo septimo Rege, Pragmaticæ Sanctioni olim inserta; ita annullata sunt & abominata, quòd nulla de illis mentio in futurum habenda foret in Gallia.

ex Robert. hist. Conc. Florent.

in fine Côc. Basileen.

20. Tota igitur difficultatis series, quæ hîc discutienda occurrit, sunt Decreta 4tæ & 5tæ Sessionis, Concilij Constantiensis: An videlicet canonicè juxta regulas Ecclesiæ condita sint? Qualis sint fidei? Quis Patrum erat sensus in illis determinandis? Vtrum Martinus illis legibus obstrictus fuerit? Quid tandem Ecclesia Gallicana de illis sanctionibus disseruerit? A tribus sententiatis Pontificibus exordior.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur Benedictum, Gregorium, & Ioannem, dubios & incertos fuisse Pontifices, & status Constantiensis schismatis breviter describitur.

I. FAcilè diluitur ex hactenus dictis Adversarij oppositio prima, minimè derogari auctoritati indubitati Pontificis, per factam in Concilio Constantiensi trium (ut ajunt) Pontificum demotionem, si certum est, nullum ex eis fuisse verum & legitimum Ecclesiæ Pastorem, sed dubiæ dignitatis extitisse omnes. De Benedicto quidem & Gregorio nec ipse Adversarius hæsitat; quoniam Ecclesiæ Gallicanæ Antistites in Concilio Pisano palam confessi sunt, ipsos fuisse plus quàm schismaticos, Sessione videlicet 13, quæ fuit in septimana Pentecostes, in qua post Missam, Magister Petrus *Plaouste*, pro Universitate Parisiensi dixit, & declaravit: opinionem Universitatis esse, illos duos contendentes, debere reputari hæreticos, & antiquati schismatis nutritores, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandam eos esse ab Ecclesia præcisos & abjectos, & eos quantum opus est abijciendos.

ex act. Cōc. Pisan. edit. Luc. Acherij.

2. Constat præterea Benedictum, non nisi umbratile Summi Pontificis nomen contra fidem demissionis sæpius à se datam ad interitum usq; detinuisse, ex eo, quòd Roberto Genebensi, Clementi 7mo dicto, contra Urbanum sextum à factione schismatica Avinione erecto, suffectus fuerat, qui 30 & amplius annis titulum Pontificis apud suos tantùm retinuit; PseudoPontificis autem & schismatici, in Italia, Germania, Bavaria, Regno Neapolitano, Poloniæ, Siciliæ, Bohemiæ, Ungariæ, Angliæ, cognomen sortitus est. Gregorius quoq; 12, eadem

dem ratione pro schismatico reputatus est, ab omnibus Galliæ Provincijs ab Alpibus, usq; ad Oceanum Britannicum, cùm unâ tantùm Cardinalium parte suffragante, Bonifacio & Innocentio successisset, sedente Avinioni Benedicto. Tota ergo est difficultas de Joanne 23, quem verum & legitimum Pontificem probant Adversarij, duplici ex Capite. Primò: quòd Alexandro 5to legitimo, à Concilio Pisano electo per Canonicam electionem successerit: secundò, quòd major pars Ecclesiæ eidem obedierit, & ipsum Concilium Constantiense eundem pro vero recognoverit. Expendemus eorum probationes, & duobus schismaticis, tertius comparabitur.

3. In memoriam revocandum, quòd in hoc Cap. pluribus probavi factis, facultatem eligendi Pontificem, cùm alius mortem obierit, vel per schisma, aut hæresim Papa desierit, jure antiquo inesse Romanæ Ecclesiæ Clero, seu Cardinalibus, qui membra sunt, & pars mystica Pontificij corporis, illis verò dissentientibus, & divisis schismate, Concilij Universalis officij esse, procurare unionem Ecclesiæ; unum verum Pastorem constituere, & illegitimos qui pro tunc essent, pro non Pontificibus declarare.

4. Certum autem est, eo tempore, quo Benedictus & Gregorius de Papatu certabant, jam diu ante, Romanum Clerum in partes scissum fuisse, quorum alij Romæ, alij cum suo degebant Avinioni: Concilium ergo legitimum & verè Oecumenicum (quod hoc in casu requirunt omnes) fieri debuit, ut schisma sedaretur, & verus Pontifex Ecclesiæ præficeretur. Erat sanè non alio fine coactum Pisis, quàm ut depositis duobus, tertius sufficeretur, qui & suffectus defacto erat, nomine Alexander, sed quia non fuit vniversalis Patrum collectio, irregularis acclamabatur Alexandri electio, ideoq; continuò revixit schisma, imò majori impetu erupit, majusq; incen-

dium excitavit, ut quod duo tantùm Capita habuit initio, Synodusve utrumq; vellet abscindere, tria simul eodem tempore subitò extitêre, ipsaq; Ecclesia quæ in duas partes ante Concilium hoc, divisa, tunc in tres distrahebatur.

5. Quòd non fuerit Universale Oecumenicum Concilium Pisis, quale requiritur ad schisma sedandum, & denunciandum verum Pontificem, authentica desumo ex actis Synodalibus à Felice Contelorio ex antiquo codice conscriptis, & à P. Labbeo editis. Primò, quòd non nisi 180 Episcopi interfuerint, ijq; potissimùm Galli, qui à Carolo Francorum Rege flagitati, stimulisq; adacti, Pisas se contulerunt, cum Cardinalibus ex obedientia Benedicti, quando idem relictâ Galliâ, se recepit in Cathaloniam, ut Regis Aragonum patrocinio tegeretur. Ex obedientia Gregorij paucissimi erant Episcopi, aut nulli, Cardinales tantùm sex, qui in literis ejusdem Gregorij nominantur, videlicet Antonius, Prædestinus, Conradus, Franciscus, Jordanus, & Odo. Ex quibus apertè constat, non fuisse verè Oecumenicum.

habentur in append. Cõc. Constant. apud. Labb.

6. Nec valet, quòd reponit A. Anon: „ Non propterea deficere Concilium Pisanum verè Ecclesiam totam repræsentare, & esse Synodum Oecumenicam, quòd pauci eidem interfuêre, quia ad Concilium vocati omnes erant, interesse omnes debebant, eorumq; culpa erat si non venirent ad Concilium; quemadmodum Ephesina Synodus, est verè Oecumenica, licet ei non interfuerint plures Provinciæ Patriarchatûs Antiochen. Et à Tridentino abfuêre multi, quando primæ sessiones celebratæ sunt, duo de quinquaginta tantùm erant Episcopi, cùm de libris Canonicis, traditionibus, alijsq; actum est. „

7. Non valet inquam, cùm de vniversali Convocatione hujus Concilij non constet, nullum extat vestigium

gium generalis per Ecclesiam edicti; loquuntur autem historiæ: aliquorum Principum precibus, & nominatim Caroli Francorum Regis incitamento, Cardinales ex Benedicti obedientia, & Episcopos ad agendum Pisis Conventum adductos fuisse, unde quatuor tantùm Nationum legati leguntur adfuisse, Franciæ, Poloniæ, Angliæ, & Siciliæ: requirunt tamen omnes ad generaliter celebranda Concilia, ut & vniversaliter intimetur, & in pleno numero, ex multis saltem si non òmnibus, melioribusq; Provincijs Episcopi congregentur: Unde paritas de Ephesina Synodo non facit ad propositum, quia constat ex Cap. 5. parag. 2. supra, generali diplomate Apostolico fuisse indictam, & ex pluribus Orientalis Ecclesiæ Primatibus collectam. Præterea eidem Synodo per Vicarios præsedit, & illam auctoritate direxit Romanus Pontifex, *in quo* etiam sine Concilio *figuratur Ecclesia* secundùm Augustinum, multò magis cum Concilio, licet non ex omnibus Episcopis conflatum esset, eandem sufficienter repræsentare poterat. Idem dico de Tridentino; & addo aliud, quòd cæteri Episcopi, qui postea advenerant, ratas habuêre Patrum de Traditionibus, & libris canonicis sanctiones.

de verb. Domini ser. 13.

8. Secundò, non Oecumenicam fuisse Pisanam Synodum, nec Canonicam Alexandri suffectionem, ex Concilij Constantiensis actis apertè colligo: Annitebatur Joannes 23 omni studio & contentione ut in Constantienti Conventu Synodus Pisana firmaretur, quo Benedicti & Gregorij depositio atq; Alexandri electio rata haberetur, ut sic utroq; exauctorato, Pontificatum sibi debitum assereret: verùm ab ea discrepabant sententia Patres, unâ cum Sigismundo, aliorumq; Regum Oratoribus, eoq; tendebant omnium studia, ut iterum ad depositionem illorum duorum procederetur, & ab Joanne idem exigeretur, sicut in re factum fuit. Frustra autem

apud Raynal. ex manuscri. cod.

esset Benedicti & Gregorij iterata depositio, si hæc legitima auctoritate, & canonicè à Synodo Pisana peracta fuisset, declaratio illius & approbatio utiq; suffecisset, ut novæ turbæ impedirentur, atq; brevioris viæ compendio perveniretur ad dandam Ecclesiæ pacem, sed quia illegitima non Oecumenica credebatur Synodus, ideo dubia censebatur duorum depositio, dubia & Alexandri electio, consequenter nec legitima Joannis successio.

9, Porro Concilij illius tempore, certæ propositiones controversæ per Ecclesiam, & Universitates sparsæ sunt; quarum prima erat: *Si Concilium Pisanum fuit ritè & canonicè celebratum? 2. si duo contendentes de Papatu fuerint canonicè depositi 3. si Alexandri electio fuit ritè & canonicè facta? 4. si dicta electio ab illis qui fuerant in Concilio, fuit legitimè & canonicè acceptata.* Disceptabatur de illis pro utraq; parte, nullo interim ex duobus illis cedere volente. Quæstiones istæ certè in Ecclesia non prodijssent, si Concilium Pisanum Oecumenicum, & Alexandrum legitimum Pontificem fideles omnes credidissent.

10. Et dato, quòd Universalis fuisset Pisana Synodus, Canonica & Alexandri electio, adhuc non sequitur indubitatum Pontificem Joannem extitisse; tum quia non fuit electus canonicè ab omnibus Cardinalibus utriusq; obedientiæ; sed paucis nimium; tum quia non fuit recognitus ab Universali Ecclesia, imò nec à majori Ecclesiæ parte, plura enim Regna & Provinciæ Gregorio & Benedicto obedierant, quàm quæ Joanni adhæserant, ut dicetur inferius. Tum demum, quia Concilium Constantiense nequaquam ipsum pro vero Pontifice recognoscebat, (de quo viribus contendunt Adversarij.) In exordio namq; Concilij, visa fuêre arma Pontificia Gregorij ad valvas Conventûs Patrum Augustinianorum affixa, & sequenti nocte jussu Joannis inde sublata, quam ob caussam dum gravis quæstio orta esset, omnes tandem in eo con-

convenerunt Patres Concilij, quòd Gregorius ipse si personaliter Constantiam advenisset, arma Pontificia non obstante Joannis præsentiâ potuisset affigere: Quomodo igitur Joannem pro indubitato Pontifice habere potuit Concilium, si alteri pariter ac Joanni, usurpare permisit Pontificatûs insignia, ambobus quidem, pro bono pacis faciendæ.

11. Præterea si Concilium eundem pro legitimo judicavit Pontifice, cur Nuncio Gregorij ingressum publicum cum Capello rubeo ambienti, in pleno Patrum consessu, aliqui licentiam illam concedendam esse asseruerunt? cujus sentimenti auctor erat Petrus de Aliaco Cardinalis nationis Gallicæ, quòd dum Synodus Constantiensis permisit, facto declaravit se Joannem pro certo & indubitato minimè habuisse.

12. Aliâ viâ probat ipsa Constantiensis Synodus Joannem illegitimum & schismaticum egisse Pontificem, quia violentis, & iniquis medijs Papatum anhelans, in vitam Alexandri 5 extitit machinatus, ut veneno extingveretur, sicut defacto extinctus tenetur & creditur: ut habetur in citatione, quæ legitur Sess. 11. ideoq; Sessione 14 prohibet Synodus facere mentionem in instrumentis & Actis Synodicis de Romano Pontifice & Sede Apostolica; usq; ad cessionem illorum inclusivè. *Hæc Sancta Synodus* (inquit) *ex certis bonis aspectibus statuit, & ordinat quòd per Notarios, qui de præmissis rogabuntur, in instrumentis per eos conficiendis, nulla fiat mentio de Romano Pontifice, vel de Sede Apostolica, sed de anno Regnorum Seren. Principis D. Sigismundi Romanorum & Vngariæ, & hoc usq; ad cessionem eorum inclusivè.*

ex Felic. Contel. apud Raynal.

13. Si autem Patres Concilij, Joannem pro verò Ecclesiæ Pastore cognovissent, utiq; inhibitionem illius Pontificatûs, in instrumentis & actis Synodicis more antiquo in Concilijs fieri solitis, ante cessionem ipsius non

fecis-

fecissent. Hoc autem à Concilio decernitur, tum quia incertos omnes & illegitimos judicavit, tum quia Apostolicæ Sedi decretis suis præjudicare noluit, ideoq; additur: *usq; ad cessionem illorum exclusivè*, nam post cessionem eorum, de eligendo legitimo Pontifice agebatur.

14. Idem Joannes coram Patribus de hæresi & alijs criminibus fuit accusatus, unde Sess. 8. non Pontifex vocatur, sed mercenarius, Dominicum gregem deserens, bonum Ecclesiæ, & extirpationem hæresum evitans, imò conservator schismatis & hæreseos; ut habetur in tenore citationis dictâ Sess. Ea propter Sess. 13. à Patribus sententiatus, & de throno Apostolico quem indebitis titulis usurpaverat, dejectus, tamquam pacis & unionis perturbativus, schismatis nutritivus, à voto & juramento deviativus, simoniacus, bonorum juriumq; nedum Ecclesiæ Romanæ, sed aliarum quoq; plurium dilapidator notorius: hæc & alia contra Joannem in decreto dictæ Sessionis. Et quid præjudicat veris & legitimis Pontificibus? dum unus de hæresi, & schismate convictus, à Concilio exauctoratur.

15. Quòd si adhuc contendas, Joannem pro vero Pastore existimatum fuisse, ab aliqua Ecclesiæ parte, nihil contra evincitur, quoniam ipse (ut dixi) Sess. 2da Papatui cessurum cum juramento promiserat, ea igitur Ecclesiæ pars, quæ illi paruerat, putaretq; justum titulum habuisse; cùm eundem vidisset, eidem titulo in Synodi manibus quasi renunciasse, jam penes se crediderat Concilium, tam Synodale quàm Pontificale jus, in ipsum Joannem à juramento promissionis postea retrocedentem, adeoq; processit auctoritate, non tamquam in verum titulum habentem, sed ut in schismaticum, Concilio, & sacris illudentem. Ex depositione igitur trium PseudoPontificum, nihil contra auctoritatem Apostolicæ Sedis concluditur, cùm nobis de veris, & legitimis Ecclesiæ Pastoribus, sit semper quæstio. PA-

PARAGRAPHVS II.

An Decreta Sessionis 4tæ & 5tæ fuerint Conciliariter facta, & tamquam ab Oecumemenica Synodo Vniversalem Ecclesiam protunc repræsentante, canonicè edita,

1. QUòd prædicta Sessionum Decreta non fuerint facta conciliariter, cum debita videlicet deliberatione, & consentientibus omnibus quorum intererat, neq; canonicè condita à Concilio, vt Vniversalem Ecclesiam repræsentante, jam dudum tradiderunt supra à me nominati Theologi, cum Eugenio IV. & Card. Turrecremata, & de his Sessionibus, vt testes oculati scripserunt ex professo: Et novissimè laudatus D. Emanuel, memoratis supra in acta Concilij Constantien. Dissertationibus, hæc omnia plenissimè illustravit, ex Actis Synodalibus de manuscriptis antiquissimis codicibus, eò vsq; orbi Catholico incognitis, & ab eo primò in lucem editis. Cùm autem præsens quæstio ab eo sic digesta, atq; cum tanta diligentia & claritate tractata sit, vt nulla Adversarijs musitandi occurrat ratio, nullus terriculamenta injiciendi locus amplius maneat, nisi negandi & pernegandi acta quæ illis obijciuntur authentica omnia, sic enim respondet A Anon: ,, Non constat (inquit) certò an manuscripta illa Sacræ Constantiensis Synodi acta, quæ allegantur, sint originalia, & authographa, neq; alicui homini manuscripta illa originalia esse dicenti, & non probanti credere quis tenetur.,, Hæc est tota responsio Adversarij ad omnia illa collecta acta, per verbum nego, vel, non credo, pro omnium resolutione reponentis, cùm tamen multa dictis Codicibus, quæ illis

[Margin notes: lib. 2. de Ecclesf. — in suo tract. manuscri. de auct. supr. Eccl.]

illis opponuntur indubitatam fidem faciant,

2. De tribus quidem, quatuor Prothonotarij à Ioanne 23. ipso approbante Concilio ad hoc deputati testificantur, Ordinationes, Statuta, Constitutiones, Decreta, & alia acta & gesta, ab ijs recollecta, visa, & ordinata fuisse, vt in titulo eorundem actuum legitur. De alijs verò qui in Vaticana, & alijs pervetustis Bibliothecis inventi sunt, constat originales, & authographos esse, quia illud ex ipsis ijsdem Codicibus deducitur, sub tempus Concilij Constantiensis fuisse conscriptos; & hoc vnicum (vt cætera taceam) originalis, & certæ eorum fidei judico argumentum, quòd in rebus substantialibus inter se concordent omnimodè. Quare hîc tantùm ad propositum censui, illorum Actuum Seff. 4, & 5. concernentium, quæ novissimè typis mandata sunt, compendium reddere, vt novis Adversarij occurram rationibus, videatq; Lector, quàm infirma sit opinio aliquorum, totum robur in duobus Decretis illius Synodi stabilientium.

3. Duo sunt in quæstione proposita. Primum: an Decreta illa sint facta conciliariter? secundum: an ea condita sunt à Concilio, vt Vniversalem Ecclesiam Christi repræsentante? id est: an Concilium, Sessionum illarum tempore, fuerit jam Vniversale & Oecumenicum. Ac imprimis, vt certùm suppono cum omnibus, conciliariter à Synodo aliquid fieri, nihil aliud esse, quàm fieri cum matura deliberatione, & examine debito, vniversis quibus interest in vnum consentientibus cum suffragiorum libertate: Hæc observata semper fuit à Synodis Orientalibus, & Occidentalibus in condendis Canonibus regula, hæc perpetua Conciliorum praxis.

4. In memoriam revocare liceat, quæ superioribus Controversijs de 8. Synodis Generalibus retuli, in quibus dum de gravioribus Ecclesiæ causis agitaretur,

cum

cum quanto rigore in illis discutiendis procedebatur, quomodo Canones & SS. Patres pervolvebantur, & ubi veritas comperta fuit, dissentientes qui erant, foras à Concilio mittebantur, & postea non resipiscentes, ex albo Orthodoxorum proscribebantur, *anathema ei, qui ita non consentit: qui non subscribit: qui ita non credit*: his factis demonstrare, & posteriores docere voluerunt antiqui Ecclesiæ Patres, definitiones in principalioribus quæstionibus, ad totam Ecclesiam spectantibus, deliberatione & diligenti examine prævio, communi Patrum sensu & suffragio, atq; unanimi corde fieri debere, ut ex Spiritûs S. assistentia, una omnium fides, & Ecclesia una monstretur: neq; enim Spiritus S. infallibiliter assistit Patribus oscitantibus, aut in rebus fidei ad invicem discordantibus, sed summâ diligentiâ rei, de qua controvertitur, veritatem quærentibus; Ecclesia namq; non habet novas revelationes, sed ratione, examine, doctrinâ, disquisitione, verum discernit à falso, nec nisi post multas collationes, & preces ad Deum fusas, largitur spiritus veritatis, & infallibilis assistentiæ: Unde paucis concluditur; conditiones requisitas ad verè *conciliariter* & cum assistentia Spiritûs S. agendum, in Materijs Ecclesiæ gravioribus, fidem potissimùm concernentibus, non esse alias, quàm examen debitum, plenam Patrum deliberationem, suffragia libera, & unanimem omnium, quorum interest, consensum.

5. Et dato, quòd volunt Adversarij, majorem Concilij Generalis partem sufficere in terminandis etiam gravioribus Ecclesiæ negotijs, ut pro ratis decreta Synodi habeantur; volo & huic assertioni pro nunc subscribere, (tametsi dissonam omnino Conciliorum Generalium praxi, notaverim, in materijs potissimùm fidei) reliquis tamen prærequisitis necessarijs conditionibus. Jam ad Concilium Constantiense digrediamur.

6. Non ibit (ut opinor) inficias Adversarius, in prædictis duabus sessionibus, ex principalioribus Materijs ad totam Ecclesiam spectantibus, causam fuisse agitatam, dum de subjecto supremæ in Ecclesia auctoritatis, quæstio in Concilio exorta fuit, materiam existimo hanc fuisse gravissimam, quia in supposito fidei, quâ semper erat creditum, nec unquam dubitari licuit, dari in Ecclesia Christi visibilem potestatem: cùm enim militans Ecclesia sit collectio fidelium, qui de se fallere, falliq; possunt, proinde inalterabilis veritatis constantia proficisci non potest, nisi agnoscatur in terris, aliqua potestas infallibilis Divinitùs instituta, quæ Christi fideles regat, veritates orthodoxas proponat, lites dirimat, & inerrabiliter controversias componat fidei: hoc primum professionis Catholicæ rudimentum, quod nec antiqui hæretici inficiati sunt. Ita esse fatetur A. Anon. Ergo illud unicum in Actis Constantiensis Concilij requirendum venit, quomodo Patres Concilij sessionibus illis duabus, in materia tam gravi se gesserint? quomodo quæstionem definierint? quomodo decreta publicaverint? consentientibusne in unam sententiam cum debita deliberatione & examine omnibus, vel saltem majore parte Concilij Oecumenici? Ab actis & gestis Synodalibus incipiendum.

ex act. à D. Eman. Schel. editis.

7. Post Sessionem 3. die Veneris, 29 Mensis Martij, cùm tres Nationes, videlicet Germanica, Gallicana, & Anglicana deliberassent Sessionem celebrare in crastinum, & Capitula quæ volebant in ea statuere; Domini Cardinales in Palatio Episcopali Constantiensi convenientes, habita inter se deliberatione, obtulerunt Domino Regi, quòd ipsi parati erant sessioni in crastinum celebrandæ interesse, dummodò non fierent, neq; statuerentur alia Capitula, nisi Capitula infrascripta, quibus sic oblatis D. Rex, receptis Capitulis infrascriptis, dixit,

se

se iturum ad Nationes in Claustro S. Francisci congregatas, & cum eis prædicta Capitula conferre velle; & de eis postea respondere.

8. Eadem die, horâ tardâ D. Rex à Nationibus ad dictos Cardinales rediens, retulit: quòd Nationes supra infrascriptis Capitulis tantùm in Sessione statuendis, *non poterant concordare*, sed obtinuerat ab eis, quod Sessio usq; ad horam decimam prorogaretur, & in crastinum, usq; ad illam horam viderent, *si possent ad invicem concordare*.

9. Die Sabbathi, quæ fuit dies Sabbathi Sancti, penultima Mensis Martij, horâ septimâ ante meridiem, convenientibus in Palatio Episcopali Constantiensi, D. Rege Romanorum, DD. Cardinalibus, & Nationibus, *fuit plurimum super infrascriptis, & alijs Capitulis altercatum* (& ut gesta ex alijs 4 manuscrip. codicibus referunt) *quia Cardinalibus adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Sessione, nec etiam Ambasiadoribus Regis Franciæ*, præfati Cardinales & Ambasiadores, erant deliberati, non interesse in Sessione. Et licet Rex multùm instaret apud Cardinales, quòd interessent; tandem cum jam Prælati sederent in Concilio, cum mitris & pluvialibus, Rex tractavit cum Cardinalibus, & per ejus medium adhibito quodam moderamine in illa Sessione, Cardinales consenserunt interesse, & fecerunt quòd etiam interfuerint Ambasiadores Regis Franciæ, cum quibus Cardinales se conjunxerunt, & illi cum Cardinalibus. Rebus ita stantibus, celebrata fuit Sessio 4ta, & publicata in ea de auctoritate Concilij Capitula.

10. Post Sessionem 4, die Sabbathi, quæ fuit 6 Mensis Aprilis, cùm per prius inter Dominos Cardinales & Nationes *altercatum fuisset, super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti Sessione statutorum*, tandem ordinatum & conclusum est, quòd supradicta Capitula

"erant Capitula illa, quæ habentur Sess. 4. & 5. de auctor. Concil.

consenserant interesse Sess. non Capitulis in ea publicandis.

,, corrigerentur. Convenientibus itaq; dictâ die, Glor. ,, Principe D. Sigismundo Rege Romanorum, DD. Car- ,, dinalibus, cæterisq; Principibus, Prælatis, Regum, ,, Principum, ac Dominorum Oratoribus, & Procurato- ,, ribus, & alijs in Concilio Constantiensi existentibus in ,, Ecclesia Cathedrali, *præmissâ per DD. Cardinales protesta-* ,, *tione* in Camera Paramentorum Palatij Constantiensis se- ,, cretè facta, quòd propter scandalum evitandum ad Ses- ,, sionem ibant, *non animo consentiendi his*, quæ audierant ,, in ipsa statui debere: Tandem quinta Sessio celebrata ,, est: D. *Andreas Laschari* Electus Posnaniensis pronunci- ,, avit Capitula. (addunt alia gesta ex 4 manuscriptis co- ,, dicibus.) Fuerunt pronunciatæ definitiones per Ele- ,, ctum Posnaniensem, quia Cardinalis Florentinus *illas* ,, *noluit pronunciare*.

ibid. apud D. Emanue. Schel.

11. Eadem gesta ex 4 manuscrip. Codicibus referunt, de querelis Cardinalium, apud Nationes interpositis, quòd sine deliberatione post Sessionem 2dam cuncta in Concilio peragerentur: ,, Cardinales autem licet ,, præsentes in Sessione fuerunt, *nunquam illam formam vi-* ,, *derant*, eodem enim die, circa horam septimam de ma- ,, ne, fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cùm ,, jam plures Prælati sederent, & immineret relatio novo- ,, rum facienda Regi, & deputatis Nationum in Sacristia, ,, in qua relatione præsentes fuère, *nec poterant illam videre*, ,, cùm statim facta relatione, perventum est ad Sessionem, ,, quæ jam parata erat, * & ita pene in omnibus Decretis ,, Concilij factum est; Cardinalibus in ita arcto & brevi ,, tempore ostensa sunt Decreta, jam conclusa à Nationi- ,, bus, ut non fuerit in eorum potestate super illis *suffici-* ,, *enter deliberare*, imò in magnum contemptum habiti sunt. ,, Plures conquesti sunt Cardinales de contemptu, & fina- ,, liter petiverunt, quòd cùm essent in Concilio 4 Natio- ,, nes, una Angliæ, in qua non erant viginta Capita, de qui-

* (intellige sub una obedientia Joannis.)

quibus tres solùm Prælati, & Cardinales essent 16, & alij futuri, de quibus plures magni & insignes Doctores propter dignitatem Collegij ut habeant vocem, & auctoritatem tantam, sicut Natio Anglicana, quòd fuit recusatum & dictum, quòd venirent ad suas Nationes, ita quòd nullam habent auctoritatem. ,, Hucusq; gesta Constantiensis Concili, de examine, deliberatione, consensu, & definitione obortæ quæstionis, de subjecto potestatis Ecclesiasticæ. ,, plura ,, Nationũ ,, Capita ,, non erãt ,, in Sessione. ,,

12. Jam notasti conditiones necessarias Concilijs Generalibus omnibus, ad Canonicè operandum, & ritè procedendum in Controversijs gravioribus, seu quòd idem est ad *conciliariter* agendum, definiendum, & concludendum, ut infallibilis aliquid dicatur fidei, obligetq; ad credendum omnes ubiq; fideles. Audisti gesta Synodalia, conditiones dictas de controversa in Concilio quæstione clarè circumscribentia, illa relege, & animo quieto judica, an Sessionis 4tæ & 5tæ Decreta, conformiter ad alia antiqua Oecumenica Concilia; canonicè & vere *conciliariter* facta fuerint? De examine & matura deliberatione Patrum, satis manifestùm habetur, fuisse nulla: examen quidem uno duntaxat die absolutum; die 29 Martij proposita erat à Rege examinanda quæstio, & die sequenti, nempe penultimâ mensis ejusdem, jam tota decisio, jam finita tam difficilis controversiæ discussio; sed quomodo tam cito finiri potuit? si *Cardinalibus* activitatem præ cæteris, propter dignitatem Collegij Apostolici in Concilio habentibus, *adhuc non fuerat plenè aperta materia agendorum in illa Sessione, nec etiam Ambasiatoribus Regis Galliæ*, sed solis per Sigismundum Nationibus, nullo servato præscripto ab Ecclesia agendi ordine, ideoq; *præfati Cardinales & Ambasiatores erant deliberati non interesse in Sessione.*

13. Quomodo cum matura deliberatione Patrum

res

res terminata esse potuit? Si *Cardinales nunquam illam formam viderant, eodem enim die circa horam septimam de mane, fuit data eis copia, ad deliberandum super illa, cùm jam plures Prælati sederent, & immineret relatio novorum facienda in Sacristia, in qua relatione præsentes fuêre, nec poterant illam videre, cùm statim facta relatione, perventum est ad Sessionem, quæ jam parata erat; & ita pene in omnibus decretis Concilij factum est.* (hæc ultima verba intellige de Decretis Concilij, quæ erant sub una obedientia Joannis.)

14. Libertas suffragiorum quæ erat illis in Sessionibus? in quibus clamaverunt sæculares, siluerunt Cardinales, potentiâ Regis perterriti, ita: *ut non fuerit in eorum potestate, super illis sufficienter deliberare, imò in magnum contemptum habiti sunt, pluresq; conquesti sunt de contemptu.* Quis servatus est à SS. Patribus sancitus ordo judicij? quandoquidem non omnibus, quorum intererat, datus est in Sessione locus suffragij, dum enim petierunt Cardinales, ut alij *de quibus magni & insignes erant Doctores propter dignitatem Collegij, ut habeant vocem & auctoritatem tantam, sicut* Natio *Anglicana: fuit recusatum & dictum, quòd venirent ad suas Nationes, ita: quòd nullam habent auctoritatem.* Hîcne modus veritatis quærendæ? Ubi est consensus quorum intererat omnium? quandoquidem *Nationes supra infrascriptis materijs,* de auctoritate nimirum Concilij supra Pontificem, *Sess. 4ta statuendis non poterant concordare,* adeo: ut Rex Romanorum qui fautor decidendæ controversiæ fuerat, de omittendis illis Sessione 4ta, & in aliam differendis operam adhibuerit, & *obtinuerat ab eis, quòd Sessio usq; ad horam 10 prorogaretur, & in crastinum usq; ad illam horam viderent, si possent ad invicem concordare.*

15. Ubi erat animorum unio, tam in statuendis, quàm in publicandis illis decretis? si ante Sessionem 5tam, *inter DD. Cardinales & Nationes altercatum fuit super correctione & emendatione Capitulorum in præcedenti Sessione statu-*

statutorum, fecerintq; protestationem solemnem unà cum Oratoribus Regis Galliæ, in Camera Paramentorum Palatij Constantiensis, (Rege, Principibus, Prælatis, Regum Oratoribus & Procuratoribus in Concilio existentibus,) *quòd propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant in ipsa statui debere*; & cùm ad Sessionem 5tam perventum esset, ut Capitula iteratò publicarentur, per D. *Andream Lascharium* Electum Posnaniensem Polonum pronunciata fuerunt, *quia Cardinalis Florentinus illa noluit pronunciare*, utiq; nec ullus alius Cardinalium. Ex quo oppositio eorumdem Cardinalium, & aliorum ipsis adhærentium apertè colligitur. Hæcne est conspiratio omnium? hæcne unanimis conventio Patrum? ad exprimendam totius Ecclesiæ sententiam, in tam abstrusa quæstione: *plenarij Concilij sententia, totius Ecclesiæ consensio est* inquit August. Et ideo Gregorius Magnus, se quatuor Concilia Generalia prima, non minori prosequi reverentia testabatur, eâ: quam quatuor Evangelijs deferebat. Et Ambros. *Epist.* 2 *Sequor tractatum Concilij Nicæni, à quo nec gladius, nec mors me separabit.* Et Magnus Leo de rebus apud Nicæam & Chalcedonem definitis ait *Epist.* 78: *Nullum audemus inire tractatum, quasi dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum S. fixit auctoritas*; quia videlicet cum ejus assistentia, veritas quærebatur, & inventa, ab universis Patribus, vivis vocibus unitis cordibus consignabatur. lib. 1. de bapt. cont. Donat. C. 18.

16. Respondet ad omnia ista A. Anonymus; majorem partem Concilij in dirimendis etiam difficilioribus Controversijs sufficere: Et hoc admisi gratis; licet communiori Doctorum sententiæ, & praxi Ecclesiæ omnino contrarium. Sed ubi est hæc majoritas; ubi pluralitas Patrum in consentiendo? ,, In illis (inquit) ,, editis à D. Emanuel codicibus legitur, quòd habitâ di- ,, sceptatione inter D. Regem, DD. Cardinales, & Depu- ,,

„ tatos Nationum, super Capitulis prælibatis, tandem Di-
„ vino flamine inspirante, in unam sententiam convene-
* „ runt,* quòd tantùm Capitula infrascripta statuerentur:
(Natio- „ Fuit ergo dicta Sessio de consensu & voluntate D. Regis,
nes vi- „ & DD. Cardinalium in Constantia existentium, quatuor
delicet.) „ Nationum, & Oratorum Regum, & Principum celebra-
„ ta, & omnes Cardinales in Constantia existentes, qui
„ non erant infirmitate gravati, interfuerunt. „ Non inficior Sessionem illam de consensu Cardinalium & quatuor Nationum fuisse, quodq; omnes præter infirmos eidem interfuerint; sequiturne inde? eosdem Cardinales, & Nationes omnes, pro Capitulis quoq; in Sessione statuendis, & publicandis, consensum suum præbuisse? si ex ijsdem ipsis Codicibus, ex quibus hæc deprompsisti, satis liquidè constet, præfatos Cardinales cum Natione Gallica, post illam Sessionem quæ quarta fuerat, protestationem emisisse, quòd propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant in illa statui debere,quia necdũ eis aperta erat materia agendorum; aut quo pacto consentire poterant pro Capitulis? si nunqvam puncta illorum viderant, ideoq; post Sessionem hac de re, cum alijs Nationibus altercati erant.

17. Libenter admitto, quòd Nationes (quibus tantùm proposita erant à Rege Capitula) in unam sententiam convenerunt, ut illa in Sessione statuerentur; sequiturne inde? illorum Capitulorum quæstionem cum rigore examinis & matura deliberatione ab ijsdem Nationibus resolutam fuisse? si ijdem Codices referunt, quòd intra spatium diei unius, totum negotium sit absolutum: die Mercurij materia discutienda Nationibus erat à Rege proposita, & die immediatè sequenti, *inceptâ missâ pro Sessione celebranda*, Rex associatus Cardinalibus *jussit ad se vocari deputatos Nationum jam in Choro paratos existentes pro Sessio-*

ex ijsdem codicibus à Protho-

Sessione celebranda, quibus venientibus, facta fuit non modica disceptatio inter D. Regem & DD. Cardinales, & deputatos Nationum super Capitulis prælibatis, & *tandem* (verba sequuntur relata ab Adversario) *in unam sententiam convenerunt* (Rex videlicet cum Nationibus, non cum Cardinalibus) *quod tantùm Capitula infrascripta statuerentur.* Quomodo unius missæ intervallo cum plena deliberatione, tanta causa potuit terminari? Cardinalibus & Natione Gallica cum alijs Nationibus contendentibus, illis utiq; assensum recusantibus; vel quid prodesset Nationum, in barbam Cardinalium, & Gallorum, conspiratio, pro sanciendis Capitulis, si inconsultè, & absq; sufficienti deliberatione, imò litigantibus partibus procedebatur ad Sessionem. not. compilatis.

18. Dum ergo acta referunt (quæ citat Advers.) *quòd tandem in unam sententiam convenerunt*, loquitur de solis Nationibus, qui in Conventu PP. Franciscanorum seorsim fuerant adunati, non de Cardinalibus, neq; alijs, ipsis adhærentibus, ut erat Natio Gallica, qui pro Sessione tantùm, non pro statuendis in ea Capitulis consenserant, ad eamq; propter evitandum scandalum iverant.

19. Verùm ut ad propositum A. Anon. regrediar; de vocum pluralitate, quam in Nationibus, non in Cardinalibus videtur reponere, superest respondendum. Quatuor in argumento allegat Nationes ex dictis Codicibus, de quorum consensu, & voluntate, facta fuit Sessio, atq; adeo concurrente majore parte Concilij; & quid inde? etiam de consensu Cardinalium postea facto, & omnium aliorum, Concilium totum pro tunc integrantium, facta fuit eadem Sessio, omnesq; præter infirmos illi interfuerunt: ergo non majori parte (ut ille asserit,) sed toto consentiente Concilio, inchoata erat Sessio, sed quid inde? De consensu Concilij pro Sessione facienda cardo difficultatis non vertitur, sed de plurali-

tate suffragij pro resolvenda materia, & publicandis in Sessione Capitulis controvertitur, videlicet: quot Nationes, & quæ, propositam sibi de suprema in Ecclesia auctoritate quæstionem discusserint? qui definierint? & quot pro publicandis in Sessione definitionibus consensum dederint? in hoc tota rei controversia.

20. Repete iterum hactenus recensita gesta Concilij, & comperies, pridie ante Sessionem quartam, quæ fuit dies Veneris 29 Martij, tres tantùm Nationes in Claustro S. Francisci hac pro materia congregatas fuisse, nimirum Gallicanam, Germanicam, & Anglicanam, cum quibus *Rex Sigismundus prædicta Capitula conferre voluit*, & de eis *postea respondere Cardinalibus*, Italica Natio ibi non erat, quia hæc unita fuit cum Cardinalibus, Prælati Gallicæ Nationis, die sequenti 30 Martij, Germanos & Anglos dimiserunt, *cum quibus Cardinales se conjunxerunt, & illi cum Cardinalibus.* Jam habemus duas Nationes Capitula proposita impugnantes, & tertium Collegium Cardinalium, duæ solæ restant Adversario, Germanica videlicet & Anglicana; ex quanto autem suffragiorum numero hæc ultima erat composita, meminerunt acta Concilij, *in qua non erant viginti Capita*: non dubito, quòd propter numeri paucitatem comparatione ductâ cum alijs Nationibus, hæc studiò à Prothonotarijs fuerint adnotata. Faciat nunc computum Adverf. Definitorum Concilij; ab unica Natione Germanica, cum decem & novem Anglis, facta fuit de potestate Ecclesiastica definitio, & illis solùm volentibus, ejusdem sententiæ in Sessione 4ta & 5ta publicatio, à reliquis verò, Italicâ, Gallicâ, & Collegio Cardinalium, contra prædicta statuta, contradictio, oppositio, & Canonica protestatio: ubi ergo erit major pars Concilij? quam ad dirimendas graviores etiam controversias ais posse sufficere, ostendas illam pluralitatem, demonstres, & vincas. Dabo tibi plus,

bi plus, (licet concedere haud liceat,) à pluribus Nationibus omnia illa Seff. 4tæ & 5tæ Decreta conclusa fuisse, adhuc quòd velis, non sequitur, Nationes inquam illas, majorem partem constituisse Constantiensis Concilij, ut Universam Ecclesiam repræsentantis: & hoc est alterum punctum quæstionis in titulo positæ.

21. Optimè notaverunt jam pridem Orthodoxi Doctores cum Summo Pontifice Eugenio, & Cardinali Turrecremata, qui oculatè Constantiæ facta viderunt, Concilium hoc tres status habuisse. Primum, in quo erant Nationes ex Joannis obedientia, ad Edictum ejus Constantiam convenientes, qui eum Summum Pontificem crediderant; hæc Congregatio duravit à prima Sessione, usq; ad 13 inclusivè. Secundus status fuit, quando Prælati obedientiæ Gregorij 12, novo illius convocationis Edicto emanato, Constantiam convenerant, & cum obedientia Joannis se conjunxerant, quòd factum legitur Sessione 14. Et ut referunt gesta Concilij, ex duobus codicibus manuscrip., Gregorius noluit cum sua obedientia unionem facere Seff. 14, nisi improbatâ convocatione per Joannem facta. Tertius status est, in quo Reges & Principes ac Prælati obedientes Benedicto 13, per suos Oratores novâ factâ convocatione Concilij, se univerunt duabus alijs obedientijs, & hoc factum fuit Sessione 22. *pro quo solo tempore* (inquit scriptor ille qui Constantiæ præsens fuerat) *convenientibus omnibus tribus obedientijs, fuit certum dicere, quòd universalis Ecclesia repræsentativè congregata essèt Constantiæ. Nullus autem dubitat, quòd asserere, quòd sola obedientia Ioannis, faceret Concilium Vniversale, Vniversalem Ecclesiam repræsentans, essèt temerarium alijs duabus obedientijs,* Non temerè tamen dicendum existimavit Pr. Maimbourg, dum Concilium Constantiense primis illis Sessionibus, non ex una tantùm Joannis obedientia, sed ex alijs quoq; compositum Turrecr. lib. 2 de Ecclef.

 fuis-

fuisse imprudenter asserere præsumpsit; dixit, quòd voluit, sed recepit à suo Æmulo, quòd noluit.

22. Perspiciantur omnium Editionum vulgata acta, super Constantiense Concilium, & in eis videbitur, Joan. Dominicum Cardinalem S. Sixti, & Carolum de Malatestis à Gregorio 12 destinatos, Sessione 14 in Concilium venisse, & post factam resignationem Papatûs Gregorij per Synodum acceptatam, Patres Concilij & Cardinales utriusq; obedientiæ esse unitos, tollendi schismatis causâ. Item Sessione 22 legitur, quinq; Legatos Regis Aragoniæ, qui Benedicto obedierant, ad consessum Synodalem intromissos, ubi cum alijs duabus obedientijs unionem fecerunt: & ut addunt acta nunc primùm in lucem edita, sub conditione à dicta Natione facta fuit unio, donec advenirent Legati Regis Castellæ, qui dicebatur major & præcipuus Hispaniarum Rex, quòdq; haberent in illa Natione voces tantæ auctoritatis, quantæ essent voces omnium Prælatorum, & personarum Cleri Regnorum dicti Regis, quæ citra & ultra mare possidebat, in quibus erant Insulæ Canariæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, & Majoricarum. Eodem tempore accesserunt ad unionem Legati Regis Portugaliæ: omnes isti fuerunt ex obedientia Benedicti. Ex quo manifestè deducitur, Concilium Constantiense primis Sessionibus, usq; ad Sessionem 13, non fuisse compositum, nisi ex Nationibus unius obedientiæ Joannis.

23. Non negat hæc A. Anon. licet asserat, obedientiam illam unicam, Concilium Oecumenicum complevisse, & Universalem Ecclesiam sufficienter repræsentasse, ,, quandoquidem (inquit) generaliter convocatum fuerat à Joanne, ad Concilium omnes vocati erant, interesse omnes debebant, eorumq; culpa erat, si non venirent ad Concilium. ,, Prætendit ergo A. Anon. ut de Pisano quoq; superiùs locutus est, Concilium Con-

stan-

ſtantienſe, 4tâ & 5tâ Seſſionibus, Univerſale fuiſſe, licet unius tantùm obedientiæ interfuerint Nationes, quia univerſaliter omnes per Edictum Joannis vocati erant, & omnes intereſſe debebant - Ex Edicto ergo Joannis, & tantæ Chriſtianitatis carentia, Concilium Oecumenicum facit; quaſi verò Convocationis Bulla, & abſentia Epiſcoporum, Univerſam repræſentet Eccleſiam, & Synodum Generalem faciat: aut quomodo erit Oecumenicum? quòd duabus Chriſtiani orbis neglectis partibus, imò ipſis renitentibus & reclamantibus, ex tertia tantùm componitur. Joannes, Pontifex legitimus non erat (ut in Cap. Controverſiæ abundanter oſtenſum) obligare univerſam Eccleſiam Edicto ſuo non poterat: Eccleſiarum Antiſtites non illi obedire debebant, quia alium Paſtorem erroneâ conſcientiâ credebant, nec vocantis auctoritatem recognoſcebant: quid ergo concluditur ex Generali Edicto Joannis? ſi ei nullum erat jus in Eccleſiam, quod ſi habuiſſet, compellere Eccleſiaſticos ad repræſentandam Eccleſiam, & Plenariam Synodum faciendam debuiſſet.

24. Dixi ſuperiùs, quòd ſanè ſentiunt omnes, paucos Epiſcopos totam repræſentare non poſſe Eccleſiam, quæ ideo in Univerſali Concilio repræſentari dicitur, quia collectio fidelium ſigillatim in Paſtoribus ſuis figuratur: quomodo autem fieri poteſt? ut pauci numeri, limitatæq; jurisdictionis Epiſcopi, aliorum Paſtorum repræſentare valeant greges fidelium; numquid Epiſcopus Pariſienſis, typum gerere poterit in Concilio, populi Eccleſiæ Cracovienſis? aut Epiſcopus Varmienſis, repræſentare fideles Eccleſiæ Antverpienſis? Paritas quam de Piſano Concilio adduxit Adverſarius de Epheſina & Tridentina Synodo, à quibus abfuêre multi, quando priores Seſſiones celebratæ ſunt, & tamen pro Oecumenicis in toto habentur, non currit; diſparitatem enim reddidi

didi

didi superiùs, quia nimirum illæ, & diplomate indubitati Pontificis fuerunt convocatæ, & definitiones licet à paucis in exordio conditæ, ab advenientibus postea Episcopis unanimi voce fuerunt comprobatæ: Decreta autem prima Constantiensis Synodi, à paucis illis Episcopis, nec concorditer definita sunt, nec à duabus postea unitis Obedientijs roborata, ut ostendam inferiùs.

25. Et ut prætermittam ratiocinia, factis declaro; Concilium hoc, prout unius erat obedientiæ, nequaquã pro Universali existimatum fuisse à duabus partibus ejusdem Concilij, imò nec ab omnibus Assessoribus illius tertiæ partis, quæ erat ex Joannis obedientia. Documenta hujus extant in gestis Synodalibus: ac primò quidem in Concordatis Narbonensibus, quibus de unione Hispanorum agitabatur, & de modo literarum alterius convocationis, tam ex parte Benedicti, quàm ex parte Concilij Constantiensis, unde forma Edicto inserenda, hæc præscripta erat: *Miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & cæteri in Constantia Provinciæ Moguntinensis, in Christi nomine congregati, Illustri Principi Ferdinando Aragonum & Siciliæ Regi &c.* ubi nulla fit mentio Concilij Generalis, licet ab ipso Concilio fuerit composita.

26. Additur ibidem, quòd Rex Aragonum debeat sumere onus faciendi præsentari dictas literas convocatorias Regibus, & Princ pibus obedientiæ Benedicti, & quòd in dictis literis convocatorijs præfigatur tempus, ad interessendum in Civitate Constantiensi, *pro uniendo se, & faciendo Concilium Generale, unâ cum alijs ibidem congregatis.* Hæc Concordata facta sunt post Sessionem 14, à duabus obedientijs jam unitis Joannis & Gregorij; pro Generali tamen Concilio nedum fuit habitum, nisi Prælati tertiæ obedientiæ advenirent, *pro faciendo, Concilium Generale*; quomodo igitur illud Oecumenici nomi-

nomine baptisare prætendit Adversarius, in primis Sessionibus.

27. Nonne Legati Gregorij, irritam prius fecerunt Convocationem Concilij à Joanne? antequam ipsi Synodo unirentur, aliâ novâ editâ; quòd est auctoritatem Concilio denegare, & illegitimum reddere. De tertia obedientia, referunt eadem Acta primò luci tradita, quòd per integrum mensem fuit cum ea actum, ut alijs duabus partibus uniretur, & Concordatis Narbonensibus pro unione factis subscriberet; renuebat Benedicti obedientia, quia necdum omnes Constantiæ advenerant, Legati videlicet Regis Castellæ, super quod inter partes diu erat disceptatum, & nihil conclusum; *tandem post hæc Legati Aragonum dixerunt, quòd vellent se unire Concilio, non tamen reputare esse Concilium Generale, neq; agi de rebus Concilij Generalis, donec venirent Legati Castellæ.*

28. Quid manifestiùs his afferri potest? quàm quòd Concilium Constantiense primis suis Sessionibus, dum ex una tantùm obedientia conflatum erat, nullatenus pro Universali fuerit creditum, à duabus orbis Christiani partibus, imò neq; ab omnibus illius unius obedientiæ Patribus. Ubi ergo erat major pars Concilij? quæ Decreta illa condidit, & Universam Ecclesiam repræsentavit: Nationes unius obedientiæ, etsi in unum consentientes admitterem, hæc præstare non poterant, cum alijs postea unitis Nationibus factâ paritate; ex parte enim Joannis erat Germanica Natio, sed non tota, quia Duces Bavariæ, cum pluribus Episcopis ejusdem Germaniæ, Gregorio adhærebant; Italia non tota, hæc enim in obedientijs passa est divulsionem, Polonia, Angliæ 19 Capita, hæc sunt ex prima Obedientia; Gallia Joannem pro Summo Pontifice non credidit, quia contra eum ad Concilium literas dedit, ut Constantiam reduceretur, & usurpatâ Papali dignitate privaretur. Gre-

gorio autem paruerunt, Regnum Siciliæ, Neapolitanum, Romandiola, Bavaria, cum multis Episcopis Germaniæ, ultra plures timoratos, & Sanctos viros, ut testatur D. Antoninus Archiep. Florentinus. Benedicto obedierunt, Regna Scotiæ, Navarræ, Castellæ, & Aragonum, cum Sardinia, Majorica, & Canarijs Insulis, alijsq; terris, tam Regi Aragonum, quàm Comitibus Fuxi, & Armeniaci subjectis. Ex quibus satis abundè dignoscitur, quæ pars Ecclesiæ in exordio Concilij fuerat, & quot Nationum Prælati, à Sessionibus illis pro auctoritate Concilij factis, abfuerant.

parte 3. Chronic. tit. 22.

PARAGRAPHVS III.

Ostenditur Decreta Sessionis 4tæ & quintæ, dubiæ esse fidei, & argumentis Adversarij occurritur.

I. VT sanctiones Conciliorum indubitatæ sint fidei, obligentq; fideles omnes ad credendum fide Divinâ, probatione egent decretali Romani Pontificis, ut nimirum & auctoritate roborentur, & toti Ecclesiæ proponantur observandæ inviolabiliter, ut una lex, & una fides noscatur ab omnibus; nullum siquidem Concilium legitur Canonicum, nec in Ecclesia receptum, quod non sit auctoritate Apostolicæ Sedis firmatum: Frustra quoq; tot expansis laboribus, peregrinationibus, per 15 sæcula, ad Apostolicam Sedem fidei quæstiones delatæ fuissent, si omnia unius Concilij sententiâ independenter à Pontifice terminari tutò potuissent. Plures namq; concurrere conditiones, ut Canones Conciliorum validi & legitimi censeantur, dixi *paragr*, superiori: præter intimationem auctoritate Pontificiâ, & ejus per se, vel per Legatos assistentiam, requiritur; ut decreta conformia sint

scri-

scripturis, cohæreant cum SS. Patrum traditionibus: celebrari debent secùndum Ecclesiasticas regulas, in illisq; vigere debet plena suffragiorum libertas, cum matura deliberatione, & examine debito: ut autem cognoscatur has conditiones appositas esse, necessaria est Pontificia auctoritas, quâ Synodus discutiatur, & si conformis regulis inuenta fuerit, roboretur; totiq; Ecclesiæ per Sedem Apostolicam publicetur: hæc loquitur perennis Ecclesiæ praxis, ut ex sæculis anterioribus ostensum est, illudq; profitentur Orthodoxi omnes.

2. Perquirenda ergo primùm est Concilij hujus quò ad omnes Sessiones approbatio, ut & robur Concilij videatur, & qualis Decreta illa sint fidei, notitia eruatur: Exstat quidem confirmatio à Martino V Pont. facta, sed ita ambigua, ita perplexa, & nusquam à RR. Pontif. usitata, ut vix dignosci possit, quænam Sessiones pro legitimis, & quæ pro irregularibus habendæ sint. En approbationis verba: ,, Martinus Papa dixit, quòd omnia ,, Session.
& singula determinata, conclusa, & decreta *in materijs* ,, 45 Cōc.
fidei per præsens Concilium *conciliariter*, tenere & ob- ,, Cōstant.
servare inviolabiliter volebat, ipsaq; sic *conciliariter* facta, ,,
approbat & ratificat, *& non aliter, nec alio modo.* ,, Ubi ,,
clarissimè supponit Martinus, aliqua fuisse facta non conciliariter, quòd de decretis Sessionis quartæ, & quintæ ostendi superiùs.

3. Sed aliud est, quòd hîc ingerit difficultatem, ea tantùm approbari voluit Martinus, quæ sunt determinata & conclusa *in Materijs fidei*; contendunt autem Adverſ. prædicta Sessionis 4tæ & 5tæ Decreta, in materia quoq; esse fidei; quia de fide est, dari supremam in Ecclesia potestatem: si igitur (ut prætendunt) probatæ sunt auctoritate Pontificiâ præfatæ Sessiones, de Potestate Ecclesiastica; jam fide Divinâ tenendum esset, Synodum Generalem esse Pontifice superiorem; sicq; sequitur,

solos Doctores illos, qui innixi hisce Canonibus, Conciliorum auctoritatem Pontificiæ anteponunt, esse Catholicos; reliquos verò omnes, quia contra Concilium Constantiense omnem potestatis & regiminis plenitudinem credunt in Pontifice Rom. juxta Adversarios fore hæreticos; Aliàs enim argumentari licet: vel dictarum Sessionum decreta, quibus agitur de auctoritate suprema Concilij, sunt in Materia fidei, vel non? si sunt in materia fidei, eaq; Pontificio Decreto probata; Ergo de fide erit Pontificem esse Concilio Generali inferiorem, eumq; hæreticum qui dictis sanctionibus contraveniret: si non sunt in Materia fidei Canones illi! Ergo neq; à Martino 5to probati, quandoquidem illa tantùm approbat, quæ facta sunt in Materia fidei. hæc consequentia ex se est manifesta: alteram si concedant Adversarij, necesse est omnes religionis Catholicæ Doctores, solis Adversarijs exceptis, damnari hæreseos.

4. Quomodo autem salvetur, de fide esse, dari in Ecclesia supremam potestatem, & tamen non esse fidei prædicta Sessionis 4tæ & 5tæ decreta? ex supradictis abundè colligitur: nimirum non alio fine fuisse facta, quàm pro trium obedientiarum unione, contra tres schismaticos, de Papatu contendentes, non autem ut obligarit omnes ubiq; fideles ad credendum fide Divina, in Concilio Generali, non in legitimo Rom. Pontifice, supremam potestatis auctoritatem esse. Addo (quòd *paragr. 2do* ostensum est) non fuisse facta decreta illa *conciliariter*, communi totius Concilij suffragio. adeoq; à certitudine fidei deficere, cùm à Martino tantùm probentur ea, quæ *conciliariter* decisa sunt.

5. Et ut optimè notavit D. Emanuel; Decreta illa sunt edita per modum Constitutionum Synodalium, non autem in materia fidei, idq; colligitur ex actis Synodalibus, in quibus Seff. 5. refertur: „ quòd Electus Po-

differ. 3 de Conc. Constan. Seff. 4. & 5.

Posnaniensis publicaverit decreta supradicta, *per modum Constitutionum Synodalium*, & post illorum aliorumq; Decretorum publicationem, adjungitur: *quòd idem Posnaniensis legerit, quædam adjutamenta in Materia fidei, ut super materia Ioannis Hus detenti per Concilium, & de quodam Ioanne Wiclef ibidem subjuncta.* Concilium ergo ipsum distingvit Decreta, per modum Constitutionum Synodalium, & in Materia fidei: primi generis appellat decreta Sessionis 4tæ & 5tæ: 2di generis, decreta errores Hus & Wiclef concernentia, consequenter Martinum V. non aliud nomine *materiæ fidei* intellexisse, quàm ea, quæ in materijs hæreticorum & sacrorum dogmatum acta sunt: Quare ex hoc capite, approbationis videlicet, incertæ sunt fidei Sess. 4tæ & 5tæ decreta.

6. Incertæ præterea fidei ex eo manifestè conijcitur, quòd (ut refert Turrecremata) cùm post editum decretum, lis exorta fuerat inter Catholicos, an Oecumenicum tum temporis esset, quòd modò angustioris, modò augustioris fuisset auctoritatis, cùm in principio, Synodo adfuerunt tantùm ij, qui Joanni parebant; crevit deinde in Sess. 14. quando Gregorius, Joan. Dominici Cardinalis opera, illud confirmavit: cùm verò Hispani demum Constantiensibus Præsulibus se junxêre, aucta tunc maximè illius dignitas, ut non dubitaretur amplius à Catholicis, an Oecumenicum esset; sancita igitur sunt illa decreta à Concilio non Oecumenico, idq; absq; debita & matura deliberatione ut dixi superiùs, excitatasq; propterea fuisse turbas in Concilio, refert Rhodericus Episcopus Calaguritanus, qui hoc se, ab illis, qui interfuêre Concilio, accepisse affirmat.

lib. 2. de Eccl. cap. 9.

in dialogo de auct. Rom. Pont.

7. Dubiæ porro & incertæ fidei esse in Ecclesia, prædictarum decreta Sessionum, ex eo vel maximè deduco, quòd ipsi Romani Pontifices, quorum auctoritas in Materijs, Ecclesiam, vel ipsius Ecclesiasticæ Hierarchiæ

 ordi-

ordinem concernentibus, summè ponderanda est, de canonica eorum auctoritate dubitarint. Præter Martinum V. de quo supra, produco Eugenium IV. ejusdem Martini successorem, qui (ut dixi superiùs) eidem Constantien. Concilio interfuerat in dignitate Cardinalitia; hic de præfatorum Canonum fide non solùm dubitavit, sed ex proposito eosdem impugnavit, totiq; posteritati scripta sua tradidit, sub nomine Apologiæ contra Basileenses, in libello, qui incipit *Moyses servus Dei* quo affirmat constantissimè, dicta decreta non solùm sine communì deliberatione debita, sed nec statuta fuisse uniformiter ab omnibus unius obedientiæ Patribus, *qui Constantiæ* (inquit) *consedebant, unius tantùm obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam sententiam convenerunt, sed non nulli reclamavêre graviores, qui strepente multitudine superati, sicut his novissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est, audiri nequiverunt.*

8. Idipsum supra laudatus Rhodericus in Dialogo: atq; à Campegio adducitur: *decretum illud* (inquit) *præter id quod factum fuit à sola obedientia Ioannis* 23, *nec etiam concorditer factum ab omnibus ejusdem obedientiæ, cùm reclamaverint complures S. R. E. Cardinales, complures Prælati & Doctores, affirmantes decretum minus juridicum fore, daturumq; quandoq; occasionem schismatis*, quòd defacto ea ex ratione factum est in Concilio Basileensi. adeoq; ex hoc Capite, si non invalida dicta decreta, saltem dubiæ fidei & auctoritatis sunt censenda. Sed ad solidiora & efficaciora fidem & integritatem præfatis Canonibus derogantia digredior, & à communi Theologorum principio exordior.

9. Tradunt communiter Theologi, ut aliquid certæ sit fidei, & indubitatæ auctoritatis, uniformem Doctorum Orthodoxorum, vel testimoniorum requirit sensum, sicut enim fides unica & uniformis est, ita illa quæ sunt

fidei,

fidei, exigunt esse uniformia: unde si de aliqua quæstione noviter orta dubitatur, an ejus clara explicataq; decisio tradita sit, illa sententia reijcienda, & omnino improbabilis dicenda est, cui multorum Doctorum conspiratio, vel testimoniorum dissonantia refragatur: unde sententia contraria de probabilitate in materia fidei & Sacramentorum damnata est à Rom. Pontificibus; hinc apud Theologos omnes, pro indubitato principio illud acceptum est, quòd conspirans omnium Orthodoxorum, vel testimoniorum & scripturarum sensus, invictum præbeat infallibilis firmitatis, & certitudinis, argumentum.

10. Incumberet ergo monstrandum Adversario, integritatem Sess. 4tæ & 5tæ nobis persvadere satagenti, & eas indubitatæ fidei proclamanti, ubinam sit totius Ecclesiæ sensus, vel Catholicorum Doctorum de fide illarum, concordantia? cùm aliàs exploratissimùm sit, majoris Ecclesiæ partis, imò omnium ferè Catholicæ professionis Doctorum, unius Ecclesiæ particularis Gallicanæ exceptis, in contrarium auctoritas. Quòd si Concilij Plenarij sententiam esse, adeoq; totius Ecclesiæ consensionem asserant; id negamus & pernegamus nos, nec Concilij plenarij sententiam, nec indubitatam Concilij sententiam esse.

11. Primum quidem auctoritate Codicum, & oculatorum testium, ostensum est, Concilium Constantiense primis Sessionibus, nec Plenarij, nec Oecumenici nomen habuisse: alterum, (præter ea quæ dicta sunt,) ex eo eruitur clarissimè, quòd testimonia antiqua, eaq; authentica, decreta Sessionum illarum referentia, multùm discrepent, ab actis Concilij Constantiensis, quæ ex vulgata editione opponunt Adversarij, ut optimè demonstravit D. Schelstrate adversùs P. Maimbourg *dissert. super act. Conc. Constant.* editionis Antverpiensis: quòd ad infringendum infallibilitatis & certitudinis robur Cap. 1. art. 1.

suf-

ſufficit; nec enim continuò deeſt ratio dubitandi, quamdiu conſtat, de teſtimoniorum & editionum diſſonantia: quæ autem ſit actorum differentia, refert citatus Auctor ſequentibus.

12. Decretum Seſſ. 4tæ de quo agitur, ex actis quæ vulgò recitantur habetur iſtis terminis: *Quòd ipſa Synodus in Spiritu S. congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuscunq; ſtatûs, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & exſtirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ, in Capite, & in membris.* Hoc ipſum decretum legitur Seſſione 5. vulgatæ editionis. Omnes tamen aliæ Editiones, quæ præceſſerunt Editionem Petri Crabbe, Severini Bini, Labbei, & Collectionem Lupaream, non habent illam particulam *ad fidem.*

13. Primò enim in editione Concilij Conſtant. anno 1499 inchoata, & an. 1500 abſolutâ, in Imperiali Oppido *Hagenow* deſiderantur illa verba, quâ tamen editione antiquiorem hucuſq; non eſſe repertam, refert laudatus Bibliotecæ Vaticanæ Præfectus. Secunda editio prodijt an. 1511 Mediolani, typis Gotardi de Ponte, opera Zachariæ Ferrerij Subaſienſis Abbatis Vincentini. Tertia, an. 1524 Pariſijs, typis Galioti à Prato, opera Jacobi Merlini Doctoris Pariſienſis, in Collectione Conciliorum, quæ anno 1530 Coloniæ iterum prodijt ex ædibus Quintilianis: & in his omnibus editionibus, particula *ad fidem* non legitur.

eâdem diſſert.

14. Altera eſt; quòd in ijsdem vulgatis Editionibus, Decreto Seſſionis 4tæ adjuncta leguntur hæc verba: *& reformationem generalem Eccleſiæ in Capite & in membris*, hæc autem verba non inveniuntur in tribus Codicibus citatis manuſcrip. antiquiſſimis, nunc primò in lucem editis, acta Concilij Conſt. & decretum Seſſ. 4tæ continentibus,

tibus, quæ à Notarijs ejusdem Concilij conscripta sunt. Idem quatuor Codices manuscrip. nunc quoq; per dictum *D. Schelst.* typis mandati, continentes gesta indubitata Constan. Synodi, quorum duo circa ipsius ejusdem Concilij tempus conscripti sunt; nullam tamen mentionem faciunt in Decreto Sess. 4tæ, *de Reformatione generali Ecclesiæ Dei, in Capite & in membris*: quinimò in uno ex istis codicibus, post hæc decreti verba: & *exstirpationem dicti schismatis*, notatum erat: *iste articulus imperfectè fuit factus ut sequitur, ideo suppletur in Sessione sequenti.* Quibus indicatur, clausulam *de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* abesse debere à decreto Sessionis 4tæ. Duo demum Codices, continentes regestrum Actorum Concilij Constant. quorum unus circa tempus ipsius scriptus, spectavit ad Em. Cardinalem Sirletum: alius antiquo charactere Italico conscriptus est, licet omnia acta contineant, à prima Sessione usq; ad electionem Martini V. nullam tamen mentionem faciunt in decreto Sess. 4tæ *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris.* hucusq; D. Schelstrate, de varietate, & dissonantia Codicum, ab editionibus vulgatis, quæ Editionem Crabinam subsecutæ sunt.

15. Omnia hæc allata testimonia, uno verbo convellere nititur A. Anon: dum dicit: ,, Non constare ,, certò an illa manuscripta, ex quibus editiones illæ secu- ,, tæ sunt, quæ verba de quibus agitur non continent, sint ,, originalia & authographa, cui sic dicenti & non proban- ,, ti credere non tenemur: ,, hæc A. Ano: de utroq; genere Codicum, & recensitarum Editionum; quòd non est aliud dicere, quàm illa falsitatis arguere, & imposturæ. Testimonium ergo iterum reproducendum est, an Editiones relatæ careant fundamento, vel adinventionem sapiant. Consideret quæso sequentia Adversarius, & comperiet, nisi præoccupatus fuerit, duas illas actorum

Concilij ab alijs differentias, factis omnino inniti, quibus contradici prudenter non potest.

16. Et quidem de primis Editionibus, quæ particulam *ad fidem* desiderant, sciat illas prodijsse ex prima compilatione Basileensium contra Eugenium 4tum schisma conflantium, & auctoritatem Sedis Apostolicæ impugnantium: dixi: *ex prima compilatione Basileensium*, non ex Editione Basileensi decreta Constantien. referente, quibus particula illa *ad fidem* non scio quo pacto postea irrepserat; sed ex prima collectione actorum Constantiensium à Basileensibus. Cùm enim Basileenses post schismaticam electionem Felicis V. contra Eugenium 4tum, vidissent auctoritatem suam contemni, & à toto orbe Catholico diminui cæpisse, eam actis Constantiensibus restituendam esse crediderunt, & illorum compilationem, septem è suis ad id specialiter deputatis mandarunt, duobus videlicet Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabiensi; facto igitur Decretorum Constantiensium extracto, illud Basileenses auctoritate roborarunt, & Bullâ plumbeâ in cordula pendente munierunt.

apud D. Eman. ibid.

17. Cùm autem hoc compilationis exemplar authenticum asservatum fuisset in Germania, usq; ad annum 1490, Joannes Hober ex *Inderdorff* eo ipso anno copiam manu suâ descripsit, eamq; cum originali concordare, testatus est *Mathias Strinbach* publicus auctoritate Apostolicâ Notarius, ut patet ex hoc ejus testimonio. *Concordant Sessiones & decreta suprascripta S. Concilij Generalis Constantiensis, cum exemplari de pergameno, bullâ plumbeâ S. Generalis Synodi Basileensis, modo, formâ, & Notario, quibus supra, bullato, & auscultato, factâ una cum præfato Magistro Ioanne infrascriptorum scriptore collatione diligenti, per me Mathiam Strinbach, Clericum Eistetensis Diœcesis, publicum Sacrâ Apostolicâ auctoritate Notarium subscriptum, rogatum, & requi-*

requisitum, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, redacta in 123 folijs, præsenti in numero computato, quòd protestor manu, & signito solito, meis proprijs. Exstat hoc testimonium in Constantien. Concilij Editione, quæ an. 1500 in Imperiali Oppido *Hagenow* in fidem supradictæ copiæ typis prodijt, in qua non legitur particula illa, *ad fidem.* En clarum facti testimonium, quo clarius produci nequit. Quare sine certa scientia, accusat falsitatis Adversarius illam Editionem, ex qua non dubito alias prodiisse, quæ post hanc, Mediolani & Parisijs typis mandatæ sunt.

18. De alijs Codicibus, Decretum Sessionis 4tæ continentibus, sine verbis *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris*, idem D. Schelstrate tractatu contra *P. Maimbourg* satis clara testimonia reddidit. Et quidem de prioribus tribus Codicibus manuscriptis, à quatuor Prothonotarijs Constantien. Synodi collectis, (ut in titulo suæ compilationis ipsimet fatentur) quòd duo eorum exstent in Bibliotheca Vaticana, tertius in Bibliotheca defuncti Cardinalis Riccy. De quatuor alijs Codicibus manuscr. gesta Constantiensia continentibus, quos ipse vocat indubitatæ fidei, non producit quidem Auctor testimonium, sed ego auribus meis perceperam, Camerini ex ore proprio Eminent. Cardinalis *Fransoni*, prædictos Codices à se fuisse inventos in quodam Conventu PP. Benedictinorum propè Constantiam, & eidem Præfecto Vaticanæ Bibliothecæ à dicto Eminent. Cardinale consignatos; quorum duos circa tempus ipsius Concilij conscriptos fuisse, constat ex ijsdem ipsis Codicibus. De alijs item duobus regestrumCõstantiensis Synodi cõtinentibus, non occurreret ratio suspicandi, quoniam unus eorum, ut supra dictum est, circa tempus ejusdem Concilij scriptus ad D. Cardinalem Sirletum spectavit, alius charactere antiquissimo Italico, & stylo vetusto exaratus

Uu 2 est.

est. His omnibus adjungi potest alius Codex planè antiquissimus, qui ex Bibliotheca Em. quondam Cardinalis Ludovisij, in Bibliothecam Em. Cardinalis Ottoboni, postea Summi Pontificis ejus nominis Alexandri octavi migraverat, cujus liberalitate in Bibliothecam Vaticanam repositus fuit.

19. Reproducit dictus Auctor aliud documentum, viri cujusdam celeberrimi nomine Gabelini Decani Bisfeldiensis, & Officialis Paderbornensis, qui tempore Concilij Constantiensis vivebat, & prout Patres Constantiæ acta publicabant, ea ipsa ad posterorum memoriam literis mandabat, testaturq; circa finem operis sui, illud à se sub Bonifacio IX. inchoatum, & sub Martino V. anno Pontificatûs ejus primo, An. 1418 consumatum fuisse: nullam tamen mentionem facit vir ille, *de reformatione Ecclesiæ in Capite, & in membris* in Decreto Sessionis 4tæ, sed ait prædictum articulum publicatum fuisse 6ta die Mensis Aprilis, quâ agebatur Sessio 5ta.

in Cosmodromio, ætat. 6. Cap. 94.

20. Poterintne certiori, & clariori testimonio comprobari Editiones & Codices, qui ex probato Auctore hactenus relati sunt? quam ultra probationem requirit Adversarius? nisi fortè figmenta omnia ista esse dixerit; sed si fidem cunctis his testimonijs pertinacius adimere voluerit, quomodo nobis inculcare poterit, ut irrefragabiliter illis, quas opponit credamus Editionibus? & pro indubitatis habeamus; cùm ab ipso, nec majora, nec similia audiamus in oppositum testimonia: imò si videremus similia, non continuò ad illis inhærendum cum omni certitudine raperemur, cùm adhuc sufficiens esset & prudens ratio dubitandi, propter tantorum testimoniorum contrarietatem & dissonantiam, quòd ad rationem incertæ & dubiæ fidei sufficere, toties ostendi superiùs.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Respondetur alijs A. Anon: obiectionibus adversùs allata testimonia militantibus.

I. NOn sistit Adversarius, sed conatur contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; ad fontes suos Parisienses recurrit, & auctoritates, quas ex Vaticanis fontibus, de manuscr. Codicibus, & ex alijs Editionibus antiquissimis hucusq; ex D. Eman. retuli, suis ipse alijs Codicibus, & Editionibus alijs, molitur obruere: & quidem de allatis Codicibus, hæc scriptis suis inseruit A. A. Codices suos quasi majoris auctoritatis, & indubitati essent testimonij, contraponendo.

2. Opponi (inquit) meritò posse, his omnibus ,, Codicibus, tum Vaticanis, tum alijs, qui dicuntur Car- ,, Urget dinalis Sirleti, alios optimæ notæ Codices, ex diversis ,, Adver. Bibliothecis extractos, quos non viderunt, qui asserunt, ,, deesse in omnibus antiquis Codicibus ista verba, *& ad* ,, *reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*; exstant verò ,, illi Codices antiquissimi & fidelissimi, hîc Parisijs in Bi- ,, bliothecis, Regia, Colbertina, Regalis Abbatiæ S. Vi- ,, ctoris, Collegij Regij Navarici, in ijsq; acta Concilij ,, Constantiensis fideliter & acuratè descripta, hancq; ,, clausulam continent, de qua quæstio est: atq; inter ma- ,, nuscripta Victorina, habentur singularum Sessionum ,, Concilij exemplaria, quæ ex ipsa Constantiensi Syno- ,, do, à Præsulibus, Theologisq; Gallicanæ Nationis, Pari- ,, sios statim atq; celebratæ fuerant, mittebantur: in qui- ,, bus Sessione 4tâ decretum ijsdem omnino verbis legi- ,, tur, quibus in Editione Aganòénsi, & tribus sequenti- ,, bus, ad reformationem Ecclesiæ in Capite & in mem- ,, bris; ,, hucusq; Advers: de suis Codicibus desumptis ex ,, Librarijs Parisiensibus.

3. Tria itaq; in sua obiectione notat. Primùm, quòd non in omnibus antiquis manusc. Codicibus desint à Sessione 4ta illa de quibus loquimur verba, *ad Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*. Secundum, exstare illos Codices, in quatuor Bibliothecis Parisiensibus, quos ipse supponit indubitatæ esse auctoritatis. Tertium, haberi in manuscriptis Victorianis, Constantiensium Sessionum extractum Codicem, quem ille authenticum vocat, quia illo eodem tempore, quo Concilium celebrabatur, ab illis, qui pro parte Nationis Gallicanæ Constantiæ aderant, Lutetiam missus fuerat. Et hæc sunt tria, quæ Adverf. existimat inexpugnabilia, quasi nullus ei respondere valeat, cùm tamen faciliter ijsdem satisfaciat.

4. Primum quidem quia non est ad propositum, absq; difficultate resolvitur. Non enim negamus absolutè, dari aliquos Codices clausulam illam de qua agitur continentes; sed contendimus, quoscunq; alios, nec majoris, nec parilis esse auctoritatis cum illis, qui ex fontibus Vaticanis, & Cardinalium Bibliothecis deprompti sunt. Et dato (quòd nusquam demonstrat Adverf.) quòd nostris æqualia opponeret pro suis testimonia, numquid propterea sui Codices, indubitatæ fidei, & infallibilis censerentur esse auctoritatis? aut nostri falsitatis, vel apocrismi obnoxij? cùm pro vtraq; parte, permaneret dubitandi ratio, suane documenta, an nostra authentica, gravius foret, & firmius certitudinis argumentum?

4. Vnde ad secundum, quòd de Codicibus Bibliothecæ Regiæ, Colbertinæ, Regalis Abbatiæ S. Victoris, & Collegij Navarici inijcit Adversarius, sequitur: non illam esse quam requirimus probationem. Concedo libenter (supposita illius fide) reperiri dictos Codices cum illa clausula Decreti Sessionis 4tæ, in quatuor præfatis librarijs, sed vtrum extractus originales & authentici

sint?

sint? restaret demonstrandum. Nonne ostendimus nos authentica, de tribus primis manuscr: Codicibus, quorum duo in Vaticana, tertius in Card: Riccij exstant librarijs, nimirum fuisse compilatos à quatuor Prothonotarijs ipsiusmet Constantiensis Synodi, quia hoc testimonium ad postremam memoriam titulo eorundem appositum est, ab ipsismet quatuor Concilij Prothonotarijs. Nonne declaravimus, de alijs quatuor manuscriptis Codicibus, decreta Constant. referentibus, quòd duo eorum sint conscripti sub tempus ipsius Concilij, quia id deducitur, ex ijsdem ipsis Codicibus. Duos deinde alios, regestrum Constantiensium Actorum recensentes, non deterioris fidei exinde probavimus, quòd etiam tempore ipsius Concilij exarati sunt. Produximus insuper aliud manifestum *Gobelini* testimonium, qui Concilio aderat, & prout Decreta Patres publicabant, fideliter adnotabat, vt testatur ipse, in suo supra citato opere. Probet nunc A. Anon: ostendat, & monstret, his majora, vel saltem æquiparantia, pro suis quatuor, quos citat Parisiensibus Codicibus testimonia; Plus enim quàm certùm est, Conciliũ Constantiense non fuisse actum Parisijs, sed Constantiæ; igitur Acta illius descripsisse aliquis debuerat, & asportasse Parisios; citet ergo A.A. quis illorum copiam fecerit, ex quo fonte extraxerit, quibus medijs, vbi, quomodo, quando, prout à nobis demonstratum vnicuiq; patet.

5. Nisi fortè dixerit, quatuor illos Codices, ex Victoriano vno, qui à Præsulibus Nationis Gallicanæ tempore Concilij Parisios missus fuerat, prodijsse: sed de hoc non constat, sicut nec de auctoritate indubitata Victoriani Codicis; imò si de vtroq; constaret, parum inde pro se, contra nos, non multùm concluderet; siquidem taliter nonnisi vnum nobis opponeret originalem Codicem, qui tria authentica non faceret testimonia;

nos

nos tamen numero septem, & originales & authographos contraponimus, quid ergo manifestiùs? quid probabiliùs? & quid sit improbabiliùs? nostrane, vel Adversarij testimonia, Lector judicet.

6. De Victoriano manuscr: Codice, quod est tertium, illudq; principalius obiectionis punctum, totam difficultatem Adverss. faciunt; nec inficior aliquid ponderis esse, si certùm est, quòd ille refert, Constantiâ à Gallis transmissum fuisse, sed & illud ab eruditis jam solutum est. Ex libro P. Maimbourg hæc suffurata est objectio, accipienda erat ab ejus æmulo solutio. Non est tantæ fidei manuscriptus ille Victorianus Codex, Decretum Sessionis 4. cum clausula *ad reformationem Ecclesiæ &c.* referens, vt de eo suspicari non possit; cum duplex sit fundamentum de auctoritate illius dubitandi. Primum desumitur ex Ioanne Gersonio Cancellario Vniversitatis Parisiensis, qui cum cæteris Galliæ Theologis Concilio Constantiensi intererat, imo primum inter omnes locum vendicabat, nec dubito, quòd Codicem illum cum alijs pariter, Parisios mittebat, vt potè qui omnibus Gallis tunc eminebat: hic autem sermone quem habuit in Concilio pro Viatico Sigismundi Regis, de Decreto clausulam dictam continente sic loquitur: *Prima lex, sive directio, liberans iter nostrum à primo scandalo, quæ data est in Sess: publica sexto Aprilis anni præsentis: Concilium Generale potestatem à Deo immediatè habet, cui quilibet cujuscunq; Status, vel dignitatis &c. obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & exstirpationem Schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* observanda sunt illa verba Gersonij, *prima lex, quæ data est in Sess: publica sexta Aprilis.* Ex omnibus autem, tam novis, quàm antiquis Editionibus patet die sexta Aprilis, quæ tunc fuit Sabbathum post Pascha, celebratam fuisse sessionem quintam, non quartam, de qua hîc agimus, quæ

ex tract. hist. Cap. 23.

fuit

fuit antecedenter die 30. Martij. Igitur ex hac Gersonij auctoritate deducitur, Codicem Victorianum Sess. 4ta clausulam illam referentem, convulsionem pati, nec esse indubitatæ auctoritatis, cùm idipsum asserat Gersonius pluribus alijs locis, vt Tract. *de Potestate Ecclesiastica* Tract. *de Appellat. à Sum. Pont.* nimirum 6ta Aprilis Decretum cum illa clausula publicatum fuisse: vix ergo credibile, Codicem illum à Gersonio, vel ejus Collegis, in ea qua dicitur forma, cum decreto Sessionis 4tæ, missum fuisse ex Concilio.

7. Altera dubitandi ratio de eodem Codice, in eo sita est; quòd non constet præcisè, quonam tempore missus erat, videlicet, vtrum ante publicationem Decreti illius cum clausula *de reformatione &c.* vel post publicationem illius? quòd scire cuperimus, cùm multùm sit ad rem nostram. Si enim posteriùs dixerit A. A., quomòdo salvabuntur testimonia Gersonij? constanter affirmantis Decretum illud cum dicta clausula primò promulgatum fuisse sextâ Aprilis, quâ agebatur Sessio 5ta: si priùs asseruerit, nempe ante publicationem missum fuisse, quid sequitur inde? nisi quòd Prælati gentis Gallicanæ illud Parisios transmiserint, quod necdum factum erat in Concilio. Ut enim notatum est superiùs ex tribus Codicibus manuscr. Decretum illud cum clausula de qua agitur, fuisse combinatum in Palatio Episcopali, Sessione quarta publicandum, sed quia Nationes super hoc non poterant concordare, eò, quòd Cardinalibus adhuc non fuerat planè aperta materia agendorum in illa Sessione, nec Ambasiatoribus, unde fuit altercatum, & Sessio prorogata ad 30 Martij: cùm autem ventum fuerat ad Sessionem 4. non obstante altercatione, lectum fuit decretum per Cardinalem Florentinum, cùm autem venisset ad illa verba, *& ad reformationem Ecclesiæ in Capite &c.* substitit: & ut refert Panormitanus, tract. de sent. finali.

tanus; noluit illa verba legere, tanquam præter communem deliberationem addita, unde idem Cardinalis nec Sessione 5ta voluit Decretum recitare, sed recitatum est per Lascharium Electum Posnaniensem.

8. Ex quibus abundè patet, Decretum illud, quod in Codice Victoriano legitur, missum fuisse Parisinis, prout privatim fuit factum, non autem prout in Sessione 4ta publicatum. Ex quo semper sequitur, Codicem illum, non esse certæ & indubitatæ fidei. Et hæc ad objectionem A. Anon: de Codicibus.

9. De Editionibus supra *paragr.* 3 relatis, particulam *ad fidem* minimè continentibus, prosequitur argumentum A. A. alias Editiones particulam illam referentes, opponendo: ,, Opponi (inquit) etiam posse his

alia oppositio Adver.

,, Editionibus, in quibus dicunt non reperiri verba de quibus agitur, Editiones alias perantiquas, quæ ex antiquis ,, Codicibus Germanicis & Belgicis prodiêre, quos Petrus ,, Crabbe Mechlinensis, ut suam Editionem Coloniensem ,, adornaret, undiq; conquisivit: hic autem vir eruditus & ,, diligens, cùm vel minutissimas lectionum varietates, & ,, dictionum, syllabarum, ac literarum defectus, vel redundantiam notârit, nullam tamen varietatem lectionis, ,, in decreto Sessionis 4tæ animadverterit, illudq; decretum ediderit cum his verbis, quæ in omnibus, quos habuit, Codicibus manuscriptis legerat. Item decretum ,, illius Sessionis 4. in Editione etiam Coloniensi Laurentij ,, Surij Carthusiani, ijsdem verbis legi, quibus nos illud ,, exhibemus: testatur autem hic Surius, se exemplaribus ,, in adornanda sua Editione, admirandæ vetustatis usum ,, fuisse. Ijsdem etiam verbis quæ legimus, Severinum Binium Sess. 4 Decretum descripsisse: imò id decretum sic ,, etiam legi in pluribus Codicibus Vaticanis, & in alijs ,, plurimarum Bibliothecarum Vrbis Romæ, quod & viderunt, & legerunt Editionis Romanæ Curatores, quæ

Pau-

Pauli V. Pont. Max. auctoritate prodijt. Hoc cùm verum sit, ut quid modò nobis Codices antiqui, & veteres Editiones, quæ verba illa non continent, obtruduntur. „ Hucusq; A. A. de suis Editionibus, nostras explodere satagendo.

10. Quatuor ergo recensentur ab ipso Editiones particulam *ad fidem* continentes. Prima, Petri Crabbe Mechlinensis Ord. Minorum. Secunda, Coloniensis Laurentij Surij. Tertia, Severini Bini. Quarta, Romana, quæ jussu Pauli V. typis mandata est, quas ille perantiquas & veras asserit, adeoq; nostras reijcit & despicit, quasi nullius essent momenti, in comparatione antiquitatis & veritatis illarum. Rata foret Editionum dictarum oppositio, si eas Advers: vetustiores nostris ostenderet, & declararet nec in apice esse mendosas, & conformiter ad Codices authographos luci traditas, sic namq; antiquitatis earum authoritas fidem faceret, & conformitas cum originalibus Codicibus, ratio esset, illis potiùs, quàm alijs assentiendi: hæc silentio præterit Advers. cùm tamen utrumq; desideretur. Quare perscrutanda venit illarum antiquitas, & perstringenda veritas, an cum nostris quas supra recensuimus Editionibus, in vetustate cohæreant, vel eas superent veritate.

11. Quatuor, *parag.* antecedenti protulimus nos quoq; Editiones, particulam *ad fidem* minimè continentes, eò cum discrimine, quòd & vetustatem illarum, & cum Codicibus antiquissimis cohærentiam, demonstraverimus. Primam, in Oppido *Hagenow* typis expressam an. 1500. Secundam, Mediolanensem, an. 1511 absolutam. Tertiam Parisinam, Jacobi Merlini an. 1524 à Galiato Typographo publicatam. Quartam Coloniensem, an. 1530 luci proditam. En Editionum nostrarum antiquitas; non est dubium, quòd ex antiquioribus fuerint deductæ Codicibus. Probavimus præterea ibidem, ea-

rundem veritatem Editionum, propter uniformem cum citatis Codicibus consonantiam: Primam nimirum prodijsse ex prima Basileensium compilatione, quæ ex genuinis Constantiensis Concilij Codicibus excerpta est, à septem deputatis, duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, & tribus Theologis, idq; comprobavimus testimonio publici auctoritate Apostolicâ Notarij, cujus tenor habetur in Editione Concilij Constant. quæ in dicto Oppido *Hagenow* facta est; Et hæc est antiquitatis & veritatis Editionum nostrarum probatio.

12. Nihil horum demonstrat, de suis, quas citat Adverſ. Editionibus, nec de authentico Germanicorum & Belgicorum Codicum mentionem facit, cùm tamen & vetustatem illarum, & unde error in Sessionem 4. irrepserit superiùs aperuerimus. Petri Crabbe Editio prodijt An. D. 1538. quam primo loco reponit Adverſ. cùm tamen nec cum ultima nostra Editione sit comparanda, ut patet confrontanti. Laurentij Surij Editio luci apparuit A. D. 1567. Severini Bini An. 1618. Col. Agrippinæ. Romana An. 1528. confrontet Lector antiquitatem Editionum A. A. cum vetustate nostrarum, & solam Romanam, ultimâ nostrâ duobus annis antiquiorem inveniet.

13. Nec refert, quòd hæc Romana Editio auctoritate Pontificis prodierit, ut hac ratione indubitatæ asseratur fidei Sessionis 4tæ decretum particulam *ad fidem* referens; neq; enim Paulus V. adjecit Bullam in Decretorum aut verborum confirmationem, eo sensu, quasi omnes textus indubitatæ sint certitudinis, tamquam ex indubitatis & authographis eruti Codicibus, sed veritatem lectionis penes Codicum, ex quibus decreta desumpta sunt, reliquit, nullâ factâ veritatis Codicum originalium requisitione, & Editionum mendosarum correctione, quam tamen fieri debere, diligentissimè posteri observa-

runt,

runt, à quibus unde error hic, in Sessionem 4tam irrepserit, compertum est, à Concilio nimirum Basileensi, ut leges inferiùs. (non à compilatione prima Basileensi, de qua notaveram.)

14. Prima igitur citata ab A. A. Editio, in qua legitur particula *ad fidem* decreto Sessionis 4tæ annexa, est Patris Crabbe, sed in hoc deficit Adversarius, quòd adijciat prædictum Patrem, nullam varietatem, & discrepantiam lectionis, in Decreto Sessionis 4tæ animadvertisse; cùm ego in Editione illius notaverim hæc in margine ad decretum Sessionis 4tæ apposuisse: *& in Concilio Basileensi, Sess.* 2, 16, *&* 18. Cur autem hæc Auctor ille addiderit? accipe ab ipso eodem Auctore notitiam.

15. In exordio Editionis suæ præfatus Pr. Crabbe, primò omnium recenseri voluit Præfationem supra Constantiense Concilium factam à Basileensibus, à quibus Actorum ejusdem Constant. Synodi facta est editio, quo certùm faceret Lectorem, se non aliunde decreta, & acta Constantiensia deprompsisse, quam ab ipsis Basileensibus: Lege dictæ præfationis sequentia verba, & quam dicimus veritatem comperies: *Sacrosancta Synodus Basileensis in Spiritu S. legitimè congregata. Quoniam &c. nos magnam atq; evidentem utilitatem ex cognitione gestorum illius S. Synodi* (loquitur de Constantiensi) *resultare prospicientes, decreta ibidem facta, ex actis ejusdem Concilij extrahi, & colligi, ac fideliter conscribi, Bullâ quoq; seu plumbo, hujus S. Concilij Basileensis communiri, adhibitis singulis ad id necessarijs, voluimus, & mandavimus. Ad ejus operis consumationem, dilectissimos Ludovicum &c. ordinavimus, & deputavimus: ipsi autem Commissioni nostræ, multo tempore vacantes, juxta nostrum mandatum extraxerunt, & collegerunt, ac conscribi fecerunt decreta, & gesta nonnulla, præfati Sacri Concilij Constantiensis, in unum redigentes volumen, quorum tenores sequuntur & sunt tales.* in principio Conc. Constant. apud Crab.

16. His ita præmissis Pr. Crabbe, incipit enarrare Acta, & Decreta Concilij Constant. Ex quo apertè constat laudatum Collectorem, ex collectione & Editione Basileensi, volumen suæ Editionis confecisse: dixi *ex Editione* Basileensium, non autem ex prima compilatione, quoniam ostensum *parag.* antecedenti, in primo extracto actuum Constantiensium à Basileensibus, desiderari in decreto Sessionis 4tæ particulam *ad fidem*, in Editione autem, eadem particula legitur; quam cùm vidisset Pr. Crabbe in dicta Editione, & in Concilio Basileensi ipsam eandem particulam tribus insertam Sessionibus, conscientiâ erroneâ ductus, nec minimam syllabam de tam numeroso Concilio auferre voluit, ideoq; in margine adnotavit, *& in Basileensi Concilio Sess.* 2, 16, & 18. vult innuere eum legentibus, quòd & in Editione Basileensium, de qua suam confecit historiam, ut ipse testificatur Præfatione, & in Concilio ipso Basileensi, eodem modo repererit Sessionis 4tæ Concilij Constan. decretum. Et hæc est ratio cur prædictam notam in margine ultra solitum adjecerit.

17. Unde ex his sequitur, corruptionem decreti Sessionis 4tæ, quòd in postumis Editionibus vulgò legitur, à Basileensibus ortum duxisse, qui authentico primo Constantiensium actuum extracto, motu proprio, particulam *ad fidem* sicut & *clausulam de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris* typis addi voluère.

18. Hujus à me si requiratur probatio, præterquam quòd ex supradictis erui possit, alia in promptu, ex historia ejusdem Concilij, sufficiens adest persvasio: Cùm enim Basileenses sub specie reformandæ Reipub. Christi, pleraq; Romanæ Ecclesiæ privilegia omnino tollere & antiquare studerent, Eugenius Papa Legato Sedis Apostolicæ revocato, Concilium, cujus inchoationem ante approbaverat, dissolvit, & annullavit; inde excitatum

fuit

fuit contra Pontificem schisma, ut de throno Apostolico deijceretur, sicut defacto irregulariter dejectus erat, & suffectus alius schismaticè, at quibus artibus, jam dudum omnibus notum est, nimirum usurpatâ sibi non sine fraude, indebitâ auctoritate; dum namq; Eugenius Concilium impugnasset, illudq; postea dissolvisset, Basileenses in unum conspirantes, gesta & acta Sessionis 4tæ & 5tæ Concilij Constant. nedum illo tempore edita, Pontifici objecerunt, quasi ibi communi omnium sensu definitum fuerit in Conciliorum Generalium favorem adversùs Pontifices, quòd illa potestatem à Deo immediatè habeant, non tantùm de fide judicandi, verùm etiam reformandi Ecclesiam in Capite. Hoc & non aliud motivum fuisse corrumpendi acta Constantiensis Synodi, eruditi jam dudum notaverunt.

19. Et aperta huic suffragatur ratio: in Compilatione enim primâ, seu extracto Actuum Constantiensium, non inveniuntur, ut ostensum supra, illæ de quibus loquimur particulæ. In Editione verò eorundem, quæ post Concilium Basileense ab ijsdem Basileensibus typis exarata habentur, reperiuntur. Igitur manifestùm est, non alio, quàm controversiæ tempore, inter Basileenses & Eugenium, errorem in prædicta Constantiensia Acta irrepsisse.

20. Quare ad alia objectionis puncta de Editione Surij, Bini, & Romana, facilè respondetur, dictos Conciliorum Collectores, & reliquos Recentiores omnes Basileensium Editionem secutos fuisse, nullâ factâ correctionis reflexione, nec Editionum vetustiorum, sicut & Codicum requisitione, propter solius Basileensis Concilij auctoritatem, quod Universale illo tempore proclamabatur, licet tamen nullius hac in parte fuerit auctoritatis, quia à Leone X. & Concilio Lateranensi (ut dixi) ut seditiosum, & schismaticum reprobatum, Constitutionibus

onibus beneficia Ecclesiastica concernentibus solùm exceptis, quæ à Nicolao fuerunt approbatæ, ut in *Cap.* fusiùs dictum est.

21. Quòd autem Collatores illi, quos in objectione recenset Adver. Editionem Basileensem de facto secuti fuerint, exinde habetur testimonium, quòd Bulla Basileensium, quæ initio actuum Constantiensium annexa fuerat in Editione Basileensi, ab omnibus illis licet non integra referatur; ut præter nominatas Editiones, videre licet Editionem Parisinam dictam Lupaream, & Venetam apud Nicolinum.

alia oppositio Adver.

22. Urget iterum A. A. alias duas Editiones, Regiam, & Labbejanam reproducendo: „ Legitur (inquit) etiam decretum Sessionis 4tæ cum illis verbis, de quibus „ quæstio est, in Regia, & Labbejana Conciliorum Editio- „ ne; si verò Eximij PP. Labbe & Corsacius, vel unum le- „ gissent manuscriptum Codicem, in quo hæc verba defu- „ issent, ea de re dubiò procul pro sua ingenuitate, monu- „ issent Lectorem, quòd cùm non fecerint, certùm est, il- „ los hæc verba ubiq; reperijsse: unde si qui modò Codices „ reproducantur in medium, in quibus ita non legatur, „ non debent illi majores auctoritatis esse, quàm alij, imò „ non tanti debent esse ponderis, quàm alij Codices, ad „ quorum fidem, centum Editiones ubiq; terrarum factæ „ sunt. „ hucusq; Auctor. Anon.

23. Centum numerat Editiones Adversi. cùm duas non nisi specificet, quarum & si specificaret, & baptisaret Auctores singulos, eandem omnino pro omnibus solutionem reciperet: nimirum omnes illas, utpotè recentiores, & nostris quas recensuimus longè posteriores, ex Editione Basileensi mendosa prodijsse: Probationem hujus requirat, quam certè reperiet in ipsis quas citat Editionibus.

Labbejana editio prodijt an. 1672.

24. Legat si dubitat Editionem, quam obijcit Regiam 37 tomis contentam, & primò videbit intuitu, Basileensium Bullam super Acta Constantiensia reddentem testimonium; ex quo clarè conijciet dictæ Editionis Auctorem, non aliunde quàm ex Editione Basileensi copiam actorum deprompsisse. Pervolvat & Labbejanam Editionem, & comperiet partem ejusdem Bullæ Basileensium non esse prætermissam, quòd est dare sufficiens Lectori monitum, non ex alio fonte, quàm ex Basileensium editione, eandem confecisse.

25. Non inficior honoratos PP. Labbeum & Corsacium, omnem diligentiam in inquirendis antiquis manuscriptis Codicibus adhibuisse, sed numquid culpandi ideo? quòd ad manus eorum qui latebant in absconditis, & casu potiùs quàm diligentiâ postea inventi, non pervenerint; quos si præ manibus habuissent, sine dubio eorum mentionem, in Appendice saltem fecissent, sicut de facto fecerunt aliorum, ut Felicis Contelorij ex antiquo manuscripto codice fragmenta actuum Constantiensium describentis: & alterius Codicis antiqui Capranicensis, qui ad usum Cardinalis de Capranica Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, in quo, ut in reliquis omnibus supra relatis, deest clausula *de reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris.* Ex quo manifestè colligo P. Labbeum prædictos quatuor Codices non vidisse, quandoquidem nullum eorum habeatur vestigium, cùm tamen meminerit aliorum.

26. Præterea; si (ut contendit Adver.) præfati Collectores, Codices illos cum verbis de quibus quæstio est, legissent, quid causæ esse potuit? quòd alia lectu digna, atq; essentialia ad Sess: 4tam & 5tam spectantia omisissent, ut v. g. quòd ante Sessionem 4tam, summa fuerit inter Nationes de publicatione decretorum discordia: quòd Cardinales per Franciscum Zabarellam, se adeo

deo efficaciter opposuerint, ut Deputati Nationum ratione convicti, ab illorum publicatione abstinendum esse judicaverint: quòd contra Sessionem 5tam Protestatio ab Oratoribus Regis Galliæ unâ cum Cardinalibus interposita fuerit. De hoc nihil habetur adnotatum apud Labbeum, quæ tamen orbi Catholico jam manifesta sunt; ista saltem pro sua ingenuitate non prætermisissent? si dictos Codices vel semel perlegissent. Ex quibus colligitur, Editiones illas, quæ ab Adver. obtruduntur, ut potè corruptioni obnoxias, nullius esse roboris, adeoq; egere correctione, & illud quòd in titulo *parag.* proposui, sequitur; nimirum Decreta Sessionis 4tæ & 5tæ, propter tot Codicum & Editionum discrepantiam, non esse certæ & indubitatæ fidei, atq; adeo principale Adver. ruere fundamentum.

PARAGRAPHUS V.

An mens Concilij Constantiensis fuerat, ut prædicta Sess. 4tæ & 5tæ decreta, extendantur ad omnia Oecumenica Concilia, in ordine ad legitimos & indubitatos Pontifices extra Schisma.

I. DUo hîc examinanda occurrunt, quia in duobus potissimùm litem facit Adversarius. Primò asserit, dictarum Sessionum Decreta, non ad solum Constant. Concilium restringenda esse, sed de omnibus alijs Concilijs Oecumenicis intelligenda. Secundò, improbat eorum sententiam, qui ad solum schismatis tempus, eadem decreta referunt, ut videre licet in Decreto Congregationis Cleri Gallicani An. Dom. 1682. Parisijs habitæ. Vult dicere Adver. Patres Constantienses absolutè

lutè definivisse, supremam Ecclesiæ jurisdictionem extra schisma, non alibi, quàm in Generali residere Concilio, cui ipsi quoq; Romanæ Sedis indubitati Antistites subesse debeant. Eà propter diligenter discutiendum venit, an ea conformis sit sensui Constantiensium Patrum interpretatio? verùm ut lector mentem exactiùs percipiat Concilij, occasionem primò, cujus prædicta Sess. 4tæ & 5tæ decreta condita sunt, ex actis authenticis describendam censui.

2. In prima Conventione Patrum, & Principum in Palatio ante inchoationem Concilij, Cardinalis S. Marci, duo principaliter agenda proposuit in Synodo: alterum de pace & perfecta unione Ecclesiæ: alterum de Reformatione statûs Ecclesiastici. Pro pace, & vera unione Ecclesiæ, unum ex tribus eligendum suasit, vel per reductionem non obedientium schismaticorum; vel per discussionem & determinationem juris contendentium; vel per cessionem omnium contendentium. Primum modum impossibilem duxit, ex eo, quòd reduci non possint, nisi viâ belli, illud verò inter Principes Catholicos committi necesse fuisset, ex quo plurima mala, quæ solent ex bellis evenire sequerentur, fine incerto. Secundum, probavit difficilem, propter contrarias prætendentium voluntates. Tertiam, per viam cessionis unius cujuscunq; judicavit facilem, ad exstirpandum schisma, & reparandam Ecclesiæ unionem. Non deerant equidem ex parte Joannis, tertiam partem impugnantes, illum videlicet in throno Apostolico manere cupientes; verùm Nationes, Gallicana, Germanica, Anglica, & postea Italica unanimiter decreverunt finaliter, omnes ad viam Cessionis deducere, secùndum formam cedulæ Cardinalis S. Marci, quæ incipit: *In Generali Concilio &c.*

in append. Labbei.

3. Die Sabbathi, quæ fuit 16 Febr. idem Joannes indixit Concilium Sess. 1ma; in 2da, obtulit cessionem

sui Pontificatûs, cum conditione, si idipsum Gregorius & Benedictus essent præstituri, cui regratiatum fuit à Rege Romanorum, & Cardinalibus pro tam bona & Sancta oblatione. Ante Sessionem 3tiam die Mercurij, quæ erat 20 Martij, prædictus Joannes de nocte fugit Constantiâ in habitu simulato Scaphusiam. Die immediatè sequenti, scripsit cedulam Concilio, tenoris sequentis: *Gratia Dei liberi sumus in Scaphusiensi, & non venimus animo declinandi ab ijs, quæ promisimus per nostram renunciationem facere pro pace Ecclesiæ Sanctæ Dei, sed ut in libertate & salute propriæ Personæ nunc possimus ea executioni mandare.* Tulit graviter Synodus Joannis discessum, magnamq; hæc cedula suspicionem schismatis generavit: Hinc perterriti Patres, ne Joannes recessu suo, Concilio officeret, (nonnulli enim ex Joannis adhærentibus, ut notat Raynaldus, ad an. 1415. pro dissolvenda Synodo media cogitarunt) idcirco Sessio 3tia die 26 Martij deposita est, in qua firmiter stabilitum, Sacram Synodum in suo robore & integritate permanere debere, non obstante illius fugâ, etiamsi aliquæ ordinationes ab ipso factæ essent in contrarium, vel fierent in futurum. Mox Sessio 4ta deponitur, ad ratificandum ea quæ antecedenti Sessione de integritate Concilij decisum erat ex Joannis occasione; conditur decretum contra eum: quòd Concilium Constantiense, potestatem habeat immediatè à Deo, cui quilibet cujuscunq; statûs, conditionis, & dignitatis etiamsi Papalis existat obedire tenetur.

4. Hanc & non aliam fuisse occasionem condendi decreti Sessionis 4tæ & 5tæ, lector comperiet ex actis indubitatis Constant. Concilij, quæ Felix Contelorius, vir insignis & eruditus ex Codicibus antiquis manuscriptis duobus tomis describenda curavit, eorumq; copiam Em. Cardinalis Barberinus Parisios transmisit. habentur in Append. Editionis Labbejanæ, quam Advers.

magnæ

magnæ habent fidei. Ex quo prudenter quisq; colligere poterit, Constantiensem Synodum non eo animo Sessionibus illis statuisse, quasi sibi supereminentis auctoritatis titulum arrogare, aut verum & legitimum Pontificem Concilio Generali subijcere voluisset, cùm in initio Synodi, nulla fuerat cogitatio, nulla mentio de vero & legitimo Pontifice, sed primò de schismate tollendo; viam tantùmmodo schismatis, quam ex fuga Joannis stratam animadverterant, definitione illâ, tribus de Papatu certantibus, præcludere in animis erat, ne majus & diuturnius excitaretur, vel ut graviori perterriti sententiâ, faciliùs Pontificatûs insignia dimitterent, quòd de facto successisse, non aliam ob causam, quàm ob incussum illis à Synodo terrorem, duabus potissimùm illis Sessionibus, nec dubitandum est.

5. Et illud observarunt diligenter cum Turrecremata, qui Acta Concilij Constant. trutinarunt Posteriores, ex verbis nimirum ipsorum Decretorum manifestùm fieri, quænam mens fuerit Patrum, qui aderant unius tantùm obedientiæ, in condendis dictis Canonibus, illos nec ad alia Generalia Concilia, nec ad legitimos Pastores extendere voluisse: non enim additur in illis Decretis; *Omnis Sancta Synodus*, vel dicitur indefinitè *Sancta Synodus*, sed restrictiva adjungitur, & individuans particula, *Hæc Sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens &c. potestatem habet immediatè à Deo: cui quilibet cujuscunq; status, & dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur.* Quis non videt ex adjuncta illa particula, *Hæc*, ad solum Concilium Constant. detractum esse: Quòd autem dignitatis Papalis nomine non intellexerint verum Pontificem, sed eos duntaxat, qui pro tempore schismatis exstiterant, indicat clausula ejusdem decreti immediatè sequens; *in his quæ pertinent ad exstirpationem dicti schismatis:* atqui tunc dum erat schisma inter Pontifices, nul-

lus erat verus & legitimus Pontifex, ut fusè ostensum superiùs; dubius enim & schismaticus Pontifex, non est indubitatus & legitimus Pontifex: Igitur Constantiensis Synodus, Papalis dignitatis nomine, non intellexit verum Pontificem, vel omnem legitimum Pontificem, sed illos tantùmmodo, qui Concilij ejusdem tempore de Papatu contendebant.

6. *Paragr. 2do* quæ super his Sessionibus dixi, etsi intentum Concilij in illis Decretis Lector satis conijceret, hîc tamen pro probatione adhibere nolo, quoniam facta sunt ab una tantùm obedientia, quæ Universale Concilium pro tunc facere minimè potuit: Demonstrandum enim est, quid post trium obedientiarum unionem, cùm Ecclesia Universalis sufficienter repræsentari, & Oecumenicum esse cæpit Concilium, Patres de Decretis illis censuerint? & quomòdo auctoritatem eorum portaverint?

7. Tria notantur particularia in dictis Sessionis 4tæ & 5tæ Decretis: In quarta quidem Sess. primùm habetur: *quòd potestas suprema Ecclesiæ, sit penes Generale Concilium, eaq; immediatè à Deo.* 2dum: *Pontificem esse inferiorem Concilio, cui ille obedire tenetur.* 3tium tandem additur Sessione 5tâ, *reformationem fieri debere Ecclesiæ in Capite, & in membris ante electionem Pontificis.* Hæc sunt quæ continuò nobis inculcat Advers. At si verùm esset, quòd asserit ille, prædictos tres articulos, non ad solum Concilium Constantiense, nec ad schisma tantùm restrictos, sed simpliciter à Patribus pro Concilijs Generalibus in ordine ad veros Pontifices, definitos fuisse; illud negare haud poterit, illos eosdem articulos, tamquam regulas Ecclesiæ, ab alijs ejusdem Concilij Patribus, post trium obedientiarum unionem, servari & custodiri debuisse; Decreta namq; à Generalibus Concilijs tradita, *regulas Sanctas Ecclesiæ* appellat octava Synodus, *ab omnibus*

bus custodiendas, utiq; & ab ipsis ijsdem Concilijs, à quibus condita sunt. Debuit fuisse in Sessionibus sequentibus, aliqua eorum renovatio, à Cardinalibus & Episcopis duarum obedientiarum, qui Sessionibus illis duabus non interfuerant: & ad minus illud indubitatè sequitur, quòd nulla fieri potuit à Patribus eorum repugnantia, supposito, quòd Concilium Decreta illa, pro ratis & canonicis haberi voluerit, ut eâ saltem ratione verificetur illud, quòd distinct. 83 dicitur, *error cui non resistitur, approbatur.* Jam verò 40 lego Sessiones, post Sessionem quintam, habitas, nullum tamen reperio renovationis, aut tacitæ approbationis dictorum articulorum vestigium, nulla notatur eorum executio, occurrentibus tot occasionibus, observantia nulla; repugnantia verò, & ijsdem contravenientia, in posterioribus Sessionibus passim legitur: quòd apertè demonstro.

8. Dum de Pontifice eligendo cogitabatur, post trium obedientiarum unionem, & cessionem schismaticorum: S. Synodi Patres, immemores articuli Sessionis 5. solum futurum Pontificem credunt & profitentur, Ductorem fore & moderatorem Ecclesiæ, Spiritûs S. gratiâ potentem & schisma rescindere,&pacem eidem reparare Ecclesiæ, ad Dei laudem & totius Christianitatis salutem: ea insuper omnia, quæ prioribus Sessionibus acta dicuntur,ad exstirpationem tantùmmodo schismatis, fugationem gubernij ascephalici, & constituendum unum verum Pastorem & Gubernatorem Ecclesiæ, fuisse stabilita. *Quia ex his* (inquit) *quæ circa Ecclesiæ Sacrosanctæ negotium infrascriptum hucusq; acta sunt, quodammodo præsagium exoriri videmus, quòd ineffabilis Divinæ providentiæ celsitudo, oculo suæ pietatis salvificæ prospiciens ab excelso, Petri S. naviculam, Imperatorum, seu potius impiorum nautarum ducta, pestifero naufragio proximam, & ruinosis scopulis jam propinquam, saluti animarum Christicolarum, quas sui aspersione* (ex Codice Constel. in append. P. Labbei.)

san-

sangvinis rubificavit in cruce, miseratione Deifica providendo, per alios nautas industrios, & providos, ad ipsius Dei Ecclesiam zelum habentes, fervidum atq; rectum, ipsam à modo regi & gubernari; fugato proinde navigio ascephalico, ut firmiter speramus, faciet & disponet, ut ipsa Petri navicula, unico & vero Ductore, ad portum salutis in ejus laudem, & totius Christianitatis exaltationem, & gloriam, quietissimè deducatur, ut etiam sit, sicut unus, solus, ibidem Patronus, & Nauta, qui fugatis procellosis schismaticorum erroribus, ipsam Sacrosanctam Ecclesiam, regat & gubernet in ejus nomine &c.

9. Si Patres Concilij, prædictos articulos de auctoritate Concilij, & reformatione Ecclesiæ in Capite, pro legitimis habuissent, non tam perstringentibus verbis, ea quæ anterioribus Sessionibus acta fuerant, ad solos PseudoPontifices detraxissent, nec tam altè auctoritatem eligendi Pontificis portassent, vnus, solus, Patronus, & Nauta, potens schismaticorum errores profligare, & Ecclesiam gratiâ S. Spiritûs regere & gubernare.

10. Jam ad Electionem paratis Patribus, Controversia exorta erat inter Nationem Germanicam ex una, & Italicam, Gallicam, atq; Hispanicam cum Cardinalibus, ex altera parte, illis ad Electionem accedere nollentibus, nisi prius reformatio Ecclesiæ in Capite & in membris, juxta præscriptum Sessionis 5 decretum, præcederet; istis, non obstante Concilij decreto, contrarium omnino tuentibus: adeo magnam hæc trium Nationum oppositio, Sigismundo & genti suæ Germanicæ intulit fastidium, ut Rex milite stipato, non de alio, quàm de incutiendo timore tribus Nationibus, pariter ac Cardinalibus cogitaverit, carceres minitans & exilia: Verùm quia major erat & sanior in contrarium pars Concilij, exuflavit incussas sibi à Rege minas, derisit machinamenta, irritum fecit Sessionis 5tæ decretum, præmissâ Canonicâ & solemni protestatione, quam hîc de verbo ad verbum

bum describendam duxi, ut potè primò à D. Eman. in lucem editam, eam velim legas attentiùs.

11. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem, & attendat fidelium universa Ecclesia, quæ jam quatuor annis in deserto schismatis, & divisionis inter se sub diversis Ducibus, velut Ecclesiæ capitibus mansit afflicta, quæ cùm in hoc Sacro Generali Concilio Constantiensi, terram promissionis intrasse crederetur, etiam sublata Capitum pluralitate monstruosa, membris corporis jam in unum reductis, corpus ipsum Ecclesiæ, *per unius Capitis assumptionem, unius videlicet Pastoris, & Vicarij IESV Christi perfectè reintegrare sperat*, & sponsam sponsi sui thalamum introire quietis & pacis, oblataq; jam & aperta via plana per duos S. R. Ecclesiæ Cardinales, per quam verus & indubitatus sponsus Ecclesiæ, Christi Vicarius haberi poterat, videlicet, quòd ad eligendum Summum Pontificem, aliqui de singulis Nationibus cum Cardinalibus, per Sacrum Collegium deputarentur, quorum tamen numerus, Cardinalium numerum non excederet, & aliàs prout in cedula oblata super hoc continetur.

ex 4. Codicibus manuscr. à D. Em. primò in lucem editis.

12. Ecce jam sponsâ lugente differtur, ecce novæ discordiæ, & ab illa via plana deviæ suscitantur: licet enim illa via per duos Cardinales, omnibus in hoc Sacro Collegio Nationibus, & Congregationibus, quæ per Nationes fuerunt oblata extiterit, & tres Nationes, Italiæ videlicet, Galliæ, & Hispaniæ, quæ faciunt multò majorem & saniorem partem Concilij, & ultra, dicti DD. Cardinales illam acceptaverint, & justam, Sanctam, & ad perfectam unionem Ecclesiæ efficacem reputaverint, & reputent: ita tamen Natio Venerabilis Germaniæ, super hoc & sæpius interpolata respondere noluit, imò respondere jam tribus mensibus distulit. Considerantes autem præfati R. E. Cardinales, qui præfatam viam obtule-

major pars Cōcilij opposita decreto Sess. 5.

tulerunt, & dictæ tres Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ Nationes, & attendentes Ecclesiam apud omnes vacare, & jam diu vacavisse, quamq; sit periculosa, quamq; damnosa Sedis Apostolicæ, ac Universalis Ecclesiæ præsens vacatio, & quòd propter communia & nota pericula atq; damna spiritualia, tamen majora & periculosiora his temporibus imminent, renovandi videlicet deterioris, & pene insanabilis schismatis; vulnus iteratum tardiùs sanatur, eò maximè, quòd Clerus & populus aliquorum Regnorum & Provinciarum, nondum solidè & clarè huic Sacro Concilio adhæserint,* sed ut communiter fertur, expectant fiendæ Electionis Summi Pontificis eventum, ut si electus fuerit canonicè, illi obediant, aliàs non. Nec etiam quòd quorundam, qui eidem Concilio adhæserunt propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare.

* non ab omni Eccles. hoc Conc. legitimum credebatur.

13. Ob quæ jam scriptum & relatum est à Magnatibus, & alijs zelatoribus pacis & unionis Ecclesiæ, in Italia plurimùm dubitari, ne in Urbe Romana prætextu rumorum, & dilationis prædictorum, aliquis pro Summo Pontifice assumatur, cui forsan præmissis attentis tota Italia obediret: attendendo quòd durante vacatione hujusmodi, Urbs Romana & totum ejusdem Ecclesiæ patrimonium, à tempore depositionis & renunciationis olim Joannis 23 per tyrannos occupatur. Vos, præfatam venerabilem Nationem Germaniæ, singulaq; ejus supposita pluries & instanter exhortati sunt, & requisiverunt, quatenus attentis prædictis periculis Ecclesiæ Sanctæ Dei, velitis per vos, vel deputatos vestros, cum dictis tribus Nationibus Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ, & Cardinalibus super modo futuræ electionis, maximè de Electoribus tractare, agere, & convenire, & super hoc per Sacrum Collegium ordinato ad Summi Pontificis electio-

lectionem procederetur tempore opportuno, quòd facere, & ſuper hoc reſpondere, jam multis diebus diſtuliſtis, & non feciſtis, licet aſſeratis, ſine veſtro conſenſu, & ordinatione Concilij, ſuper modo, forma, loco, tempore, & materia ad dictam Electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibusdam hujus Concilij decretis, quibus nos Natio Hiſpanica, etiamſi aliàs valida exiſterent, non ligamur.

invalida redduntur decreta Seſſ. 5. à Natione Hiſpan.

14. Et quia procedente tempore, etiam præfata pericula, atq; damna ſemper augentur, & noſtris foribus nos deputati ex parte, & nomine trium Nationum prædictarum, Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, atq; Sacri dictorum Cardinalium Collegij, & noſtro, ac omnium his adhærere volentium, de præſenti, vel in futurum, vos Nationem prædictam Germaniæ, & veſtra ſingula ſuppoſita exhortamur, & requirimus, iterum atq; tertiò monemus, exhortantur, requirunt, & monent tres Nationes & Cardinales prædicti, per viſcera miſericordiæ JESU Chriſti, per aſperſionem ſui pretioſi Sangvinis, cujus pretio hanc ſuam redemit Eccleſiam, quæ jam eſt in tantis periculis conſtituta, velitis per vos, vel deputatos, aut deputandos à vobis; cum alijs Nationibus, & Cardinalium Collegio, vel cum deputatis aut deputandis, ab illis de modo fiendæ Electionis, & maximè de materia, quantùm ad Electores celeriter, & ſine moræ diſpendio, tractare, concurrere, convenire, & concordare, ad vitanda prædicta pericula, & in tanta concordia fiet Electio, quòd in ea concordet totus populus Chriſtianus.

urgent Nationes pro electione facienda.

15. Proteſtamur autem nomine quo ſupra, & obteſtamur, proteſtantur & obteſtantur, tres Nationes & Cardinales prædicti, Deum Patrem Omnipotentem, Filium, & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos ac virtutes cælorum invocantes ſuper vos, cælum & terram: quòd

,, ſi deinceps Eccleſiam ipſam Sanctam Dei, pro carentia
,, Summi Pontificis canonicè eligendi, ſeu prætextu dila-
,, tionis, & moræ electionis illius, ſeu fiendæ ordinationis,
,, modi Electionis ejusdem, aut aliàs detrimenta, aut da-
,, mna aliqua vel pericula, in ſpiritualibus vel temporali-
,, bus incurrat, nihil eisdem tribus Nationibus, & Colle-
,, gio Cardinalium, aut earum alteri, vel ſuppoſitis ipſo-
,, rum & ipſarum, ac his conſentientibus valeat imputari,
,, ſed ſuper his ſint & habeantur inſontes: ſed vobis Nati-
,, oni Germaniæ, & veſtris ſuppoſitis poſſit, & debeat me-
,, ritò imputari. Cùm ſi ante dictam proviſionem Eccle-
,, ſiæ de Paſtore, aut ſaltem modi electionis illius ſuppoſitis
,, hujus Concilij decretis, quibus omnia jura, circa electi-
,, onem novi Pontificis edita dicuntur eſſe ſuſpenſa, ex
,, quo ſequetur Eccleſiam Dei eſſe ſine capite, & ſine lege,
,, & ordinatione electionis Summi Pontificis, hoc Conci-
,, lium ſi caſu aliquo diſſolveretur, prout jam multæ cau-
,, ſæ timentur imminere, Eccleſia in periculo remaneret,
,, quia vix, aut nunquam Summus Pontifex indubitatus
,, poſſit haberi, quia vix congregaretur indubitatum Con-
,, cilium, deficiente Capite, ad quod pertinet convocare.

,, 16. Proteſtantur etiam de proſecutione legitima
,, ſuper damnis, atq; detrimentis prædictis, & alijs adver-
,, ſùs illos, per quorum culpam contingeret, præſertim
,, cùm ſecùndum plurium Doctorum juris Divini, & hu-
opiniones pluriumDoctorum. ,, mani opiniones, talis moroſa dilatio, procedendo in ne-
,, gotio electionis Papæ, præſertim ordinationis modi ele-
,, ctionis ejusdem, ſine cauſa rationabili, non caret ſcrupu-
,, lo fautorij ſchiſmatis: Nullam autem omnino cauſam,
,, imò nec occaſionem habere videtur dicta Natio, & ejus
nulla ratio Germanorũ ex decr. Seſſ. 5tæ ,, ſuppoſita, differendi præmiſſa, nec ullam cauſam alle-
,, gant, niſi quòd ante electionem fiat reformatio (juxta
,, Decretum videlicet Seſſ. 5tæ,) quæ cauſa nulla eſt, quo-
,, niam & fieri reformationem, dictæ tres Nationes & Car-

dina-

dinales cupiunt, & volunt, prout jam ad hoc, suos cum cæteris Nationibus deputatos dederunt, qui ad hoc agunt, & illis agentibus, potest etiam eodem tempore agi, de modo electionis Summi Pontificis, prout eidem Nationi sæpe expositum, & petitum.

17. Præterea, si reformatio fienda est (ante electionem Papæ) de deformatis, quæ major est, aut esse potest in corpore deformitas, quam carere capite, & ascephalum esse; illa igitur prior, tamquam magis necessaria debet esse reformatio, quæ corpus ipsum ad caput reformet, & informet, & contrarium asserere vel facere, non videtur esse securum. Allegant præterea quòd agere de modo Electionis ante reformationem, esset contra decretum Concilij, & Capitula Narbonæ concordata: Ista salvâ dicentium reverentiâ non sunt in re; nulla enim decreta contradicunt, imò volunt contrarium: in omnibus enim locis, ubi vel Concilium, vel dicta Capitula de agendis in isto Concilio loquuntur, semper præponunt unionem, quæ unio nec est, nec dici debet perfecta, nisi Ecclesia unum caput ministeriale habeat, cui corpus Ecclesiæ uniatur, (*adverte hîc, quomodò à majore parte Concilij, tribus videlicet Nationibus post trium obedientiarum unionem, decreta Sessionum superiorum 4tæ nimirùm & quintæ, quæ potissimùm à Germanis objecta fuerant interpretentur, ea non aliâ intentione condita fuisse, quàm ad tollendum schisma, & faciendam unionem in Ecclesia*) ,, Duplex enim secùndum SS. Doctores (prosequitur) est unio Ecclesiæ, una membrorum invicem, quæ jam creditur esse facta, altera membrorum ad Caput, ut constituatur corpus integrum, & perfectum, & ista non est facta, igitur primo loco fienda.

18. Præterea, si ex ordine literæ Capitulorum Narbonensium agitur, proprium & principale Capitulum illorum Capitulorum super ista materia, & quid & qua-

prima ratio irritans decretum Sess. 5.

objectio Germanor.

solutio secundò irritans Sess. 5.

aliæ rationes irritantes dict. decretū.

,, qualiter esset agendum in isto Concilio, ponit ordinem,
,, quòd agatur de ejectione Petri de Luna, de Electione
,, Summi Pontificis, & de reformatione Ecclesiæ in Capite
,, & in membris, & ita Electio præponitur. Præterea, ea-
,, dem ratione priùs ageretur de reformatione membro-
,, rum, quàm Capitis, quia in eodem ordine ponuntur,
,, quòd usq; ad annum, imò sine Pontifice, nunquam esset
,, factum, nec posse fieri videtur.
,, 19. Nec juvare potest dilationem, quòd dicitur
,, Serenissimum Romanorum Regem, & aliquos Cardina-
,, les, & Prælatos alios, aut Doctores aliarum Nationum,
,, eidem Nationi adhærere, cùm ad præfatum Ser. Rom.
,, Regem præmissa tractare, aut differre non pertinet; cu-
,, jus magis interest, pro suo honore Electionem Summi
,, Pontificis, quæ erit summa perfectio unionis, accelera-
,, ri, quàm tardari. Cardinales autem, atq; Prælati, & alij,
,, si qui illi Nationi in præfata dilatione adhærere dicun-
,, tur, certè non illi Nationi, sed dicto D. Regi adhære-
,, rent, in suis votis sequuntur, & illi assentiunt, & tamen
,, paucissimi sunt: de Cardinalibus enim sunt solùm duo,
,, qui licet in toto præsenti Cardinalium Collegio sunt 24,
,, illi duo soli à cæteris, & tanto, ac tam gravi Collegio,
,, in quo sunt tanti Patres, se minùs honestè, ac magnâ eo-
,, rum verecundiâ segregant, qui si Patres tanti Collegij es-
,, se merentur, videant ne turpes dici possint, quæ suo non
,, congruunt universo. Cæteri verò Prælati, & alij de
,, tribus Nationibus, qui adhærere dicuntur, non illi Na-
,, tioni adhærent, sed ut præmittitur dicto D. Regi, & in
,, rebus Ecclesiasticis, & Spiritualibus, Regem ìpsum, &
,, ejus vota relictis Prælatis, & Personis Ecclesiasticis pro
,, suæ voluntatis libitu sequuntur, & assentiuntur illi.
,, 20. Attento autem modo agendi in isto Collegio
,, per Nationes, & quòd unusquisq; stat in sua Natione, in
,, ea super propositis dicturus sententiam, singulariter &
præ-

præſumptuosè incedentes, ſe inhoneſtè à ſuis ſegregant ,,
Nationibus, nec debent alibi ullam vocem, vel auctori- ,,
tatem habere, imò à dictis duabus Nationibus, de qui- ,,
bus nec membra nec partes ſunt, repelli. Nulla igitur ,,
cauſa ſubeſt differendi tractatum, ſuper modo futuræ E- ,,
lectionis, qui ſi per prædictam Venerabilem Nationem ,,
ulterius plus debito differatur, proteſtamur nomine di- ,,
ctarum trium Nationum, & Collegij Cardinalium, & ,,
proteſtantur eædem Nationes, & Collegium, de provi- ,,
dendo Eccleſiæ Dei per remedia opportuna, maximè ,,
cùm præter Collegium Cardinalium, ad quos de jure ,,
ſcripto magis pertinet Electionis prædictæ materia, di- ,,
ctæ Nationes tres, & multò magis cum dicto Cardina- ,,
lium Collegio, multò majorem partem Univerſalis Ec- ,,
cleſiæ repræſentant. ,, hucuſq; trium Nationum & Col- ,,
legij Cardinalium proteſtatio.

21. Hâc ſolemni publicatâ proteſtatione, Patriarcha Antiochenus, Archiep. Mediolanenſis, Epiſcopus Adrienſis, & duo Cardinales, Bononienſis & Senenſis, & alij de Gallia & Italia, qui adhæſerant Regi, ab eo receſſerunt, & unierunt ſe tribus illis Nationibus, obtuleruntq; Cardinalibus eſſe cum eis, qui fuerant hoſtes eorum. Anglicana quoq; Natio, dimiſſo Rege, prædictarum trium Nationum partem cæpit: Tandem Natio ipſa Germanica convicta rationibus, aſſenſum præbuit de eligendo ante reformationem Pontifice. En decreti Seſſionis quintæ, à toto Concilio Oecumenico obſervantia; diu conſultum erat ab unius obedientiæ Patribus, tantopere laboratum, firmiterq; dictâ Seſſione ſtatutum, ut reformatio Eccleſiæ in Capite & in membris electionem præcederet, à tribus autem Nationibus & Cardinalibus viginti duobus, decretum dictum concutitur: ſed non hîc finis.

ex ijsdem 4. codicibus manuſcr.

22. Facto ab omnibus unanimi cõſenſu, de faciẽda ante Refor-

Reformationem Pontificis electione, alia altercatio inter Patres exorta fuit, Germanis auctoribus, fortiter acclamantibus, & toto animo insistentibus, ut reformatio Ecclesiæ, post electionem quidem Pontificis, sed ante ejus coronationem fieret, Decretum supradictum Concilij semper præseferentibus; quibus à quatuor Nationibus viva voce responsum fuit, Papam electum illis legibus minimè ligari posse: accipe genuina actuum Constantiensium verba: *Rex autem qui pro concordia Cardinalium, credebatur velle accelerare materiam electionis, iterum retrocessit, & recepit materiam reformationis, & semper fuit in Concilio magna controversia. Quatuor enim Nationes, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ, quæ ad mandatum Regis Angliæ in illa materia dimisit Regem Romanorum, & Collegium Cardinalium, insistebant accelerationi Electionis. Rex & Natio Germanica, quòd reformatio præcederet. Et tandem dicta Natio petivit assecurationem & cautionem per decretum irritans, quòd post electionem Papæ fieret reformatio, ante coronationem Papæ, & administrationem aliquam: postea fuerunt factæ diversæ formæ decreti ad hoc. Tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non poterat.*

mens Concilij de dec. Sess. 5tæ.

ibid.

23. Jam dicat Advers. si Constantien. Concilij Patres Sess. 4tæ & 5. decreta, ad veros Pontifices extra schisma extendi voluerunt? cur Germanis ea allegantibus, non reposuerunt? ita fieri debere, ut Pontifex electus legibus adstringatur, obtemperetq; Concilio. Si auctoritas coactiva in Pontifices, penes Concilium? quare à Patribus nulla pœna præscribitur, ut si parere decretis renuerint, debitè eà plectantur? atquid Reformationem *in Capite*, ante, & post Electionem impedierunt? atquid Papam electum dictis legibus ligari non posse, responderunt? nisi quia alia fuit mens Concilij Patrum, in condendis dictarum decretis Sessionum, ad exstirpandum videlicet schisma, & unionem Ecclesiæ faciendam.

24.

24. Habetur & aliud hujusmodi testimonium in omnibus ejusdem Synodi editionibus. Post contentiones & tricas, Germanos inter, & alias Nationes, tandem omnium pace conclusum, & Synodaliter definitum esse, Reformationem Ecclesiæ, tam in Capite, quàm in membris per Pontificem futurum fieri oportere,. *Sacrosancta Synodus Generalis Constant. in Spiritu S. legitimè congregata; universalem Ecclesiam repræsentans, statuit & decrevit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proprio assumendus, cum hoc Sacro Concilio, vel deputandis, debeat reformare Ecclesiam in Capite & in membris, & Curiam Romanam secùndum æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ.* hæc nemine reclamante peracta sunt, nemo tamen inficias iverit, edicto Sessionis 5tæ defacto contravenire, quo reformatio ante assumptionem Summi Pontificis per solum Concilium facienda decretaliter circumscripta erat. Sess. 40.

25. Item dum Germani inter puncta de fienda Reformatione Concilio porrigerent, inter quæ erat expressum sequens: *Propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi & deponi.* Responsum legitur à Patribus: *non videtur, prout nec visum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum statui & decerni.* Sistat & hìc Advers. & gesta Sessionis quintæ revocet in memoriam; nonne ibi de pœna quoq; contra Pontifices actum, imò decreto roboratum est, *quòd quicunq; cujuscunq; conditionis, statûs, dignitatis etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis, hujus S. Synodi, obedire contumaciter contempserit, pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur.* Cur ergo decretum istud, pro quæstionis illius resolutorio, Pâtres non adhibent? cur nullam mentionem depositionis, vel pœnalis correctionis faciunt? aut alicujus ad Concilium subjectionis? quòd dubio procul Patres fecissent, si decreta illa, pro legitimis, & canonicis atq; universaliter obligantibus credidissent.

in Append. Labbæi.

in decreto Sess. 5tæ.

26. Pervolvatur Appendix Editionis Labbejanæ, & illud in instrumentis, gestis, & decretis publicis notabitur certissimum, ibi Sacram Synodum post obedientiarum unionem, coactivæ auctoritatis mentionem facere, ubi de schismate agebatur, & reparanda unione Ecclesiæ; ubi verò de eligendo Summo Pontifice sermo habetur, nullum subjectionis illius ad Concilium, aut decretalis alicujus sanctionis fragmentum comperietur.

27. Legatur Decretum hujus S. Synodi suspensionis sententiarum, & processuum in diversis obedientijs, quo inhibetur omnibus & singulis, quacunq; præfulgeant dignitate, ne contra suspensionem, & relaxationem hujusmodi attentare præsumant, decernens ex nunc irritum, & inane, si quid contra præmissa, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Hæc ideo auctoritas ad omnes indifferenter extenditur, quia de schismate sopiendo agitur, ubi verò mentio Pontificis futuri habenda erat, sequentia eidem decreto adijciuntur: *Donec per eandem, vel futurum Summum Pontificem, ubi, quando, & in quibus locis dicti olim Gregorij dici fuisse debeat, declarari contigerit.* Si ergo Synodi Constantiensis primordialia Decreta secùndum Adversarij sensum interpretanda essent, ex alijs ejusdem Synodi sanctionibus quis non perciperet contradictionem, Pontificem Concilio subijcere, & decreta ejusdem Concilij adversùs Pontifices (ut asserit) lata, auctoritati ipsius Pontificis interpretanda & declaranda committere. Et hæc dum sufficiant de mente Patrum, superest agendum de auctoritate dictorum Decretorum.

in Append. Labbæi.

PARAGRAPHVS VI.

Utrum Martinus quintus electus in Concilio, obstrictus fuerit statutis & legibus, adver-

sus

sùs Pontifices, ante electionem eius conditis?

I. JAm ex superiùs relatis, & potissimùm *parag.* antecedenti abundè colligi potest, quænam fuerint statuta Concilij, auctoritatem coactivam Ecclesiæ Congregatæ demonstrantia, & ut ait Adver: indubitatos Pontifices ligantia: nimirum, penes Concilium Generale, auctoritatem esse immediatè à Deo, cui ipse Pontifex obedire tenetur, & si obedire contempserit, debitè puniatur. Secunda Constitutio, dignitatem limitans Pontificiam, in eo sita erat, quòd Reformatio Ecclesiæ in Capite, ante Electionem fieri debuerat, vel si post Electionem, (ut postea retrocessum erat) ante Pontificatûs tamen actualem collationem, vel aliquam administrationem. Tertia ligans Pontificem Constitutio, habetur Sessione 39, quâ firmiter decisum fuit. Pontificem futurum ante consecrationem, professionem fidei solemnem, novam, & nusquam usitatam, emittere debuisse. Et hæc sunt Constantiensis Synodi statuta, auctoritatem Concilio in Pontifices præscribentia. Jam nunc perquirendum est, an Martinus V. in eodem Concilio electus Pontifex, præscriptis illis legibus ligatus fuerit? utrum Concilio obedierit? vel auctoritatem suam supra Concilium, non obstantibus ejusdem Concilij sanctionibus, exercuerit? aut, an dicto Pontifici contra leges agenti, aliqua pœna injuncta, vel potestatis in eum coactivæ, mentio facta fuerit?

tria decreta Pont. ligantia ex Sess. 5ta & 39.

2. Quatuor depromo ex actis Synodalibus testimonia, auctoritatem Martini 5ti supra Concilium comprobantia, & prædicta statuta Synodalia omnino irritantia: adeo Martinus jurisdictionis Apostolicæ gladium in conspectu totius Concilij exercuerat, ut non tantùm primarum Sessionum statuta, quæ ab una combinata e-

rant obedientia facto improbaverit, verùm etiam fidem cõcernentia ejusdẽ Synodi decreta, absq; Romani Pontificis auctoritate non esse ita rata & valida, ut obligarint omnes ubiq; fideles, signis expressis demonstraverit, omnibus attonitis Patribus, qui non modò Canones ipsi contraponere, sed nec mutire ausi sunt.

3. Primum hujus rei testimonium invenio, ex occasione propositionum hæreticarum in Concilio agitatarum. Nemo dubitat Joannis Wicleffi & Husij dogmata duabus in Sessionibus, octava videlicet, & decima quinta, hæretica à Concilio declarata, damnata, & abolita fuisse decretaliter: ubi primùm tamen Martinus in supremum Ecclesiæ Moderatorem assumptus fuisset, iterum propositiones illas damnatas, iterari, iterum recenseri, iterum damnari voluit, præmissâ super eas Constitutione Apostolicâ, quæ incipit: *Inter cunctas pastoralis curæ solicitudines*, eamq; per totam Ecclesiam Archiepiscopis, Episcopis fideiq; Censoribus misit, ut ex descripta à Pontifice forma, judicia Ecclesiastica in impios exercerent.

habetur post Seſſ. 45.

4. Adquid quæso iterum repetitur? iterum recensetur? iterum in forma solemni damnatur? jam proscripta, jam damnata à Concilio hæresis, nisi quia ex antiquo Ecclesiæ Canone Martinus didicerat, *Majores & difficiliores causas absq; Apostolica Sede, supra quàm Christus Vniversam constituit Ecclesiam, resolvi non posse.* Noverat, SS. Ecclesiæ Orientalis Patres, licet generaliter simul coadunatos, in resolvendis fidei quæstionibus semper eâ regulâ usos fuisse, uti ab Universis Ægypti, Thebaidorum, & Lybiorum Episcopis, qui ex Alexandrina Synodo hæc scribunt Felici Papæ: *Beatissime Pater, quia semper Antecessores nostri & nos, à Vestra Sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere cognovimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus juxta Canonum decreta,*

apud Clem. Epist. 1. tom. 1. Concil.

apud Eugub. lib. 2. de Donat. Constit.

creta, Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde Prædecessores nostri ordinationes & dogmata atq; sublevationes cæperunt: Canonibus namq; jubentibus, absq; Romano nos de majoribus causis nihil debere Pontifice, ideoq; ad propositum currentes, & ad bravium properantes, vestræ Apostolicæ Sedis imploramus auxilium.

5. Hanc regulam observarunt maximè Chalcedonensis Synodi Patres: *Beatissimus Romanæ Sedis Episcopus locum habet ac facultatem de fide judicare: secundum formam & definitionem Apostolicæ Sedis, ad Concilium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur. In omnibus expectamus sententiam Beati nostri Leonis. Omnibus D. Petri interpres, & expositor constitutus.* Eandẽ innovarunt & quintæ Synodi Patres in relatione Synodica ad Vigilium. *Decebat cùm primam inter Sacerdotes dignitatem sortiti estis Sanctissimi, ea quæ ad Sanctarum Ecclesiarum statum pertinent, vestræ Divinitùs honoratæ Beatitudini manifesta fieri.* Et sexta Synodus palam professa est, hanc non Concilijs Generalibus secluso Pontifice, sed ipsi Apostolicæ Sedi de fide judicandi competere prærogativam, illis Agathonis subscribens verbis: *Judicium Apostolorum omnium Principis, quam semper omnis Catholica Christi Ecclesia, omnesq; Vniversales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt.* Et in Relationis literis ad Leonem: *Tibi ut primariæ sedis Antistiti quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram.* utiq; quia hæc est antiqua Ecclesiæ traditio, à Sanctis Prædecessoribus semper ad amussim servata, à qua nec ungve retrocessit Octava Synodus: *Causa à te definiatur:* (affatur Pontificem) *non consentientes verò Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria: de cujus judicio non licet retractari.*

6. Hâc perpetuâ edoctus praxi Martinus V. post adeptum throni Apostolici apicem, licet definita & damnata noverat contra Wiclefum & Husium à Concilio dogma-

dogmata, iterum tamen recenseri, & potestate Apostolicâ damnari iterum voluit, ut & jurisdictionis Apostolicæ demonstraret auctoritatem, & Synodicis sanctionibus robur tribueret & firmitatem: Et ut habetur in Bulla Confirmationis ejusdem Concilij, à D. Emanuel primò luci tradita; *ut supplerentur omnes defectus, si qui forsan propter solemnitates juris in procedendo non servatas intervenerint in eisdem.* Supplere autem defectus juris, ad superiorem certè, non ad inferiorem pertinet.

7. Ex quo continuò sequitur, quòd superiùs dixi, Generalis Concilij muneris esse vacante sede, de disciplina Ecclesiastica agere, mores Cleri reformare, schisma rescindere, pacem quærere Ecclesiæ; etsi aliqua in materia fidei controversia emerserit, à Pontifice futuro resolutionem accipere, vel si quid celeriùs circa fidem conclusum fuerit, (ut in Concilio Constantiensi factum legitur) à supremo Ecclesiæ Præsule robur & confirmationem petere.

dissert. 2. Cap. 3. 8. Unde non placet, quòd *D. Schelstrate* Patri *Maimbourg* obijcienti (,, quòd condemnatio errorum Hus
,, & Wicleff foret invalida, quia condemnati fuerant Ses-
,, sione 15. ante unionem reliquarum duarum obedientia-
,, rum, & cùm nondum Pontifex Concilio adesset: item
,, propositio Joannis Petit, de licita à quocunq; Vasallo
,, tyranni occisione, non esset legitimè condemnata hære-
,, seos,) Non placet inquam quod suâ contra eum Dis-
,, sertatione reposuit: Propositiones Wicleffi & Husij, li-
,, cet à Concilio nondum Universali damnatæ fuerint, à
,, quatuor tamen Nationibus cum deliberatione debita, &
,, communi omnium Nationum ac Cardinalium consensu
,, damnatas esse. ,, Non placet, si eo sensu validam intelligat dictam damnationem, ante Martini electionem, ut obligarit ad credendum fide Divinâ, omnes Christi fideles; semel namq; admissâ in Concilio auctoritate reso-

luti-

lutivâ articulorum fidei, & poteſtate coactivâ, vacante Apoſtolica Sede; non videtur cur Eccleſiæ Congregatæ non ſemper competeret eadem cum auctoritate poteſtas, cùm hæc juris Divini ſit, quo ſi gaudere ſemel dicetur Congregata Eccleſia independenter à Pontifice, quomodo eo carere poterit præſente etiam Pontifice?

9. Satiùs ergo dicendum præſtat, damnationem illam validam extitiſſe, non ideo quòd poſtea duæ obedientiæ eidem conſenſerint, ſed quia ab Epiſcopis licet paucis (quibus de jure competit in ſuis quoq; Diœceſibus contra hæreſes auctoritate agere,) facta fuerat damnatio illarum propoſitionum, quæ in ſe revera hæreticæ erant: non tamen ita Vniverſaliter valida dicta damnatio, licet in ſe legitima fuerit, ut decretum illius obligarit omnes omnino ubiq; fideles, abſq; interventu auctoritatis Apoſtolicæ, cujus ſolius privilegij eſt, leges fidei generaliter proponere, univerſaliter extendere, & totam Eccleſiam ad illas adſtringere, ut ex primis octo ſæculis ſuperiùs deductum eſt, quòd à Martino quoq; factum videmus. Et hoc eſt primum teſtimonium auctoritatis & jurisdictionis Apoſtolicæ in Conſtantienſe Concilium, non obſtantibus illius Decretis in contrarium.

10. Secundum teſtimonium in ijsdem Actis Conſtantienſibus reperio, ex occaſione Reformationis Eccleſiæ. In memoriam revocandum eſt, quòd notavi *Parag.* antecedenti, Decretum Seſſ. 5. ab obedientia Joannis conditum fuiſſe, de Reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris, quodq; hæc debuerit præcedere Electionem Pontificis, ſed unitis poſtea duabus alijs obedientijs propter animorum diſcordantiam, ab illo decreto retroceſſum erat, omnibus conſentientibus, ut Electio Reformationem præcederet, pleriſq; tamen contendentibus, ut hæc ante Coronationem fieret: tandem finaliter & u-

nani-

nanimiter Sessione 40. conclusum, quòd de proximo assumendus Romanus Pontifex, debeat quidem reformare Ecclesiam in Capite, & in membris, sed non aliter nec alio modo, nisi cum ipso Concilio, vel deputandis per singulas Nationes; his ita ut certis præ suppositis, quia ex actis ejusdem depromptis Concilij; videndum est, qualis fuerit exitus Decreti Reformationis Seff. dictâ quadragesimâ lati.

11. Cùm electus fuit Pontifex, Præsides Nationum ad se evocavit, ut ex parte illarum eligerentur deputati, qui cum sex Cardinalibus à se nominatis cum impertita eis auctoritate, de Reformatione agerent; per plures menses nihil ab eis concludi potuit, unâ Natione, sic, aliâ alio modo volente: Unde prudentissimus Pastor, qui muneris sui esse noverat, Decreta etiam in Concilijs condere, auditis Nationum opinionibus, Capitula obtulit, quibus, illis quæ Sessione 40. de reformatione Ecclesiæ desiderata erant, satisfecit; rejecto & ex puncto Capitulo *quibus de causis Papa possit corrigi & deponi.* ut videre licet apud Labbeum in Appendice, ubi Capitulis illis comprehenduntur Reformationis articuli, unico illo excepto. Quòd autem solâ Pontificis auctoritate Decreta Reformationis prodierint, habes documentum in initio Decreti Reformationis de provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, quod incipit: *Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus V. super provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum quorumcunq; vult, & intendit, & mandat observari &c.*

ex punctum Capitulum à Pontifice ex Seff. 40.

12. Et ut addit D. Emanuel ex Codicibus antiquissimis; ex octodecim articulis, qui Sessione 40. erant combinati, non nisi sex Sessione 43. publicati fuerant, relictis alijs duodecim, quia inter illos plures erant Sedis Apostolicæ auctoritatem aliquomodo tangentes; inde in com-

Differt. parva in Conc. Constantien. Cap. 3.

in compendio Chronologico Capitula Reformationis à Labbeo in appendice Constant. Concilij ex Codice Capranicensi edita, mutila esse dicit: ego tamen in omnibus Capitulis, ex duobus Codicibus uno Vaticano, altero Platinæ editis, ad Sessionem 43. spectantibus, nullum injuriosum Apostolicæ Sedi invenio, unico illo articulo excepto, *propter quæ Papa corrigi possit & deponi*, qui rejectus & improbatus est à Martino. Quidquid interdum sit, omniane illa Capitula, vel sex duntaxat Sessione 43. fuerint publicata? illud unicum certum est, & ad rem nostram faciens, quòd auctoritate Romani Pont. non Concilij intuitu, dicta Reformationis Capitula contra ejusdem Concilij statuta emanaverint, nullâ factâ reformatione in Capite, quòd apertum indicium est, supremæ Apostolicæ auctoritatis, & ejus in Concilium exercitij.

13. Tertium testimonium jurisdictionis Pontificiæ in Constantiense Concilium exercitæ, habetur Sessione ultima in gestis Synodalibus ex occasione Legatorum Vladislai Regis Poloniæ: res sic se habuit, (ut enarretur proprijs terminis, quòd quæso observes attentiùs) „ Nicolaus Archiepiscopus Gnesnensis, Jacobus Episcopus Plocensis, Petrus Baleste Prothonotarius Apost. Præpositus Ecclesiæ B. Mariæ Lauticiensis Diœcesis Gnesnensis, Paulus Vladimiri, Canonicus, & Custos Ecclesiæ Cracoviensis, Joannes de Tolischabo Castelanus Calisiensis, & Zavisius Niger de Garbolo Capitaneus Crusiritiensis, milites & Oratores Sereniss. Principis Vladislai Poloniæ Regis, nec non Principis Vitoldi Magni Ducis Litvaniæ, Sanctissimo Dom. Papæ, & Sacro Concilio per organum Dñi Gasparis de Perusio, Advocati S. Consistorij, per modum supplicationis exponi fecerunt, nomine DD. Regis, & Ducis præfatorum, quatenus libellus cujusdam Fratris Joannis Falchembergi notoriè crudelissimas blasphemias continens, per judices in causa fidei à S. Con-

in Cõc. Const. Seff. ultima.

examinatus libellus à Concil. & ſolemniter damnatus ante electionem Pōtificis.

ſtantienſi Concilio deputatos, ritè, rectè, cum omniq; debita ſolemnitate, & maturè tamquam notoriè hæreſes continens, ut hæreticaliter damnatus, nec non etiam per omnes Nationes ejusdem Concilij, ac Sacrum Collegium RR Sac. Rom. Eccl. Cardinalium, dictum Sac. Collegium integrantes, & conſtituentes, concluſum, & ordinatum, prout publicis & authenticis ſcripturis, ſive inſtrumentis per ipſum ibidem exhibitis, & oſtenſis liquidè apparet, quòd idem libellus tamquam hæreſes, & alia multa, & quaſi infinita mala, & errores continens, in Seſſione publica per Sacroſanctum Concilium cum hæreſibus, erroribus in eo contentis & deſcriptis publicè damnaretur, ſeu publicè damnatus nunciaretur. Et propterea humiliter & devotè ſupplicabant Oratores & Ambaſiadores præfati, præfato Sanctiſ. Dom. noſtro Papæ, quatenus ante diſſolutionem ejusdem Concilij, dictus libellus cum hæreſibus, & erroribus in eo contentis in ipſa Seſſione publica tamquam hæreticales, hæreſeſq; & errores continens damnaretur, ſeu damnatus nunciaretur, cùm ad exſtirpandum hæreſes præfatum Concilium Sacroſanctum eſſet inter cætera principaliter convocatum, & congregatum: alioquin nomine quo ſupra proteſtabantur de gravamine, & de appellatione ad futurum Concilium, & de proſequendo appellationem, & appellationes interponendum, & interponendas loco, ſive locis & diebus, temporibus & horis, de quibus ipſis DD. Regi ac Duci, & eorum Oratoribus & Procuratoribus, & eorum quibus viſum fuerit expedire: Et multa alia dixit, petijt, & proteſtatus fuit, prout, & quemadmodum in quadam papyrij cedula petitionem, proteſtationem, & alia per ipſum requiſita continens, quam in ſuis tenebat manibus pleniùs continetur, cujus lecturam & publicationem, ipſe, nomine quo ſupra obtulit facere, aut per alium fieri facere.

Supplicant Pōtifici, ut ab eo hæreticus pronunciaretur.

appellāt Poloni à Pōtifice ad futurum Cōcilium.

14. Qui-

14. Quibus ſic propoſitis, requiſitis & oblatis, præfatus Sanctiſ. D. noſter Papa, cùm nonnulli alij multùm dicerent, & tumultum facerent, impoſito omnibus ſilentio dixit, reſpondendo ad prædicta: quòd omnia & ſingula determinata, concluſa, & Decreta in Materia fidei, per præſens Sac: Generale Concilium Conſtantienſe, conciliariter tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, ipſaq; ſic conciliariter facta, approbat, & ratificat; & non aliter nec alio modo; & illud idem iteratò fecit dici; per organum Venerabilis & Circumſpecti Auguſtini de Piſis Fiſcalis, & Sacri Conſiſtorij Advocati, qui de hoc à DD. Apoſtolicæ Sedis Prothonotarijs, & Notarijs ad conſcribendum acta Concilij ordinatis, ac deputatis, & alijs præſentibus, & eorum quolibet petijt, nomine dicti D. noſtri Papæ publicum, ſeu publica inſtrumenta per eos, & eorum quemlibet conficienda, ad æternam rei memoriam.

,,impoſitum ſilentium à Pontifice.

,,non approbat Pont. damnationem libelli licet probet, ea quæ sũt conciliariter facta.

15. Et ex poſt Venerab. Vir D. Paulus Vladimiri Decretorum Doctor vnus de Ambaſiatoribus ipſorum DD. Regis & Ducis, volens proponere & adimplere, quæ per dictum D. Gaſparum de Peruſio Advocatum omiſſa fuerant ſuper libello præfato, ac etiam volens cedulam, de qua ſupra fit mentio, legere & publicare, incepit loqui & proponere, & cùm vellet legere, & publicare dictam cedulam, fuit ſibi per dictum D. Auguſtinum de Piſis, Advocatum, de mandato dicti D. noſtri Papæ, vt idem aſſeruit, ibidem coram eodem D. noſtro ſtantem, impoſitum ſilentium ſub pæna excommunicationis. Quo quidem ſilentio impoſito; idem Paulus tacuit.,, Hucuſq; ex actis Conſtantienſibus, geſta Seſſionis 45. referentibus.

,,Polonis appellationem vrgentibus, imponitur ſilentiũ ſub pæna excõmunic.

16. Tria in ijs ad rem noſtram ſpectantia principaliter conſideranda: Primò, libellum illum qui contra Regem Wladiſlaum & nomen Polonorum ex ſubordina-

 tione

*lib. 18. hist. Polon. tione Cruciferorum conscriptus erat, vt testatur Cromerus, fuisse à deputatis Concilij examinatum, & maturè discussum, ibiq; damnatum, & in ejusdem Concilij Consistorio, Sessione videlicet 13. damnatio erat roborata, conclusumq; vt hæreticus publicè pronunciaretur: *Per judices in causa fidei à S. Concilio Constantiensi deputatos, ritè, rectè, cum omniq; debita solemnitate, & maturè, tamquam notoriè hæreses continens, vt hæreticaliter damnatus; necnon etiam per omnes Nationes ejusdem Concilij, ac Sac. Collegium RR. Sac. Rom: Ecclesiæ Cardinalium, dictum S. Concilium integrantes & constituentes, conclusum & ordinatum, quòd idem libellus tamquam hæreses continens, in Sess. publica per S. Concilium damnaretur, seu damnatus nunciaretur.*

17. Alterum est; quòd licet dictus libellus à toto Concilio, hæreticus fuerit judicatus, ita vt nihil aliud restaret, quàm publica illius declaratio, nihilominus dum pervenisset ad tribunal Martini discussio libelli, & Sententiæ Concilij, eadem Pontificis auctoritate Sententia reijcitur, *respondendo ad prædicta, quòd omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs Fidei conciliariter, tenere, & observare volebat: ipsaq; sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo:* vbi nomine Decretorum in materijs fidei conciliariter à Synodo conditorum, intelligi voluit decreta contra hæreticas propositiones Hus & Wicleff, vt eruitur ex Bulla ejusdem Pontificis hâc eâdem Sessione editâ, quâ dictæ propositiones repetuntur, iterumq; damnantur, eoq; modo decreta Concilij contra præfatos hæreticos conciliariter facta ratificantur.

18. Tertium, illudq; maximum observatu est: quòd idem Pontifex Legatis Poloniæ appellationem ad futurum Concilium prosequi volentibus, & alijs in eodem Concilio tumultum facientibus ex occasione illius libelli, silentium indixit primò, & secundò sub pæna

rxcom-

excommunicationis, in facie totius Concilij, omnibus Patribus labia compescentibus, & ne nutu quidem auctoritati Apostolicæ refragrantibus: immò vt testatur Gersonius *in Dial: Apologet.* apud D. Emanu. *lata est à Martino hujus appellationis intuitu in Consistorio Generali & publico, quod vltimò Constantiæ celebratum est, quædam sub forma Bullæ Constitutio, continebatq; in nullo casu licere appellationem à Papa facere, nec ejus judicium, in causis fidei declinare.*

19. Idem Auctor ille, Nationis Gallicæ decus, qui & præsens eidem Concilio interfuerat, in Tractatu. *Quomodo & an liceat à Summo Pont. appellare* disertè profitetur, Constantiæ 6. Idus Martij, Pontificatûs anno primo, hæc à Martino statuta fuisse: *nulli fas est, à supremo judice, videlicet Apostolica Sede, seu Rom: Pont: Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut ejus judicium in causis fidei (quæ tamquam majores, ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* Nulla tamen in actis Synodalibus, tam antiquis, quàm nuper editis legitur pro parte Concilij oppositio, ne minima contradictio, decretorum Sessionibus antecedentibus statutorum, Pontificem ligantium, allegatio nulla; quæ certè Patres non prætermisissent, si Concilio in Pontificem, non Pontifici in Concilium absolutam regiminis & jurisdictionis potestatem inesse credidissent.

20. Hæc licet ita luculentia, & apertissima sint testimonia, auctoritatem Pontificiam ab omni subjectione vindicantia, vt nisi obstinax, & præoccupato animo fidem eis adimere quierit: quietis tamen impatiens Adversarius, & laborans prurigine omnia sugillandi, omni machinarum vtitur genere, vt prædicta conquatiat; ad primum quidem de examine libelli, & illius à Martino rejectione, ita respondens: ,, Liber iste examinatus tantùm fuerat à Deputatis, ab ijsq; damnatus, non in ali- ,,Responsio Adver. ad prædicta

„ qua Sessione Concilij, Martinus autem proposuit se ap-
„ probare, quæ à toto Concilio facta essent, & non à so-
„ lis Deputatis examinata, aut à solis Nationibus, aut à
„ solo Collegio Cardinalium, id est, se confirmare, quæ
„ gesta essent in publicis Sessionibus, non verò quæ di-
„ scussa fuissent extraConcilium. „ hæc Advers.

21. Sed quis non videt eum cacozelia agere, & e frivolis, solida velle convellere: à Deputatis tantùm examinatum ait libellum, ab ijsq; damnatum, non in aliqua Sessione Concilij; veritatem historicam palam conatur infringere, nec actis Synodalibus credere, quæ satis manifestè, & articulatim referunt, *etiam per omnes Nationes ejusdem Concilij, ac Sacrum Collegium S.R.E. Cardinalium, conclusum & ordinatum, quòd idem libellus in Sessione publica damnaretur, seu damnatus nunciaretur*: concludit tandem Adversarius „ extra Concilium causam libelli actam fuisse. „ Sed jam sistat hîc, & ad sequentia respondeat. Ex quo quæso conflatum fuerat Constantiense Concilium? quis illud constituit? quis integravit? quis Vniversale reddidit? nonne sex Nationes ex Orbe Catholico in vnum congregatæ, & post trium PseudoPontificum cessionem simul vnitæ? atq; Sacrum Collegium Cardinalium: Dicat obsecro vlteriùs; quis modus servabatur in dicto Concilio, in condendis decretis, sententijs, tam in materia fidei, quàm in alijs, Schisma vel Vnionem concernentibus? nonne primò Nationibus causæ proponebantur? priùs ab illis privatim examinabantur? particulatim concludebantur; & sic vnaniter conclusis, determinatis, postea in Sessionibus publicis decreta recitabantur. Hunc omnino modum & non alium in præfacto Concilio in omnibus materijs observatum fuisse, ex Actis Synodalibus lector conijciet.

22. Iam quis dixerit, Ordinationes, Statuta ex omnibus

mnibus Nationibus, & Cardinalium Collegio vnanimiter condita, conclusa, & determinata, licet in privatis Sessionibus, eo tamen fine vt recitarentur in publicis, non esse facta à Concilio? nonne Petri Dresdensis, & Iacobi Misnensis dogma, de porrigenda Eucharistia sub vtraq; specie laicis non jejunis post cænam, sicut & propositio Ioannis Petit à Deputatis Concilij in causa fidei, priùs fuerunt examinata? & postea à Nationibus conclusa; nonne de Reformatione Ecclesiæ in Capite & in membris, priùs in Sessionibus privatis actum? in ijsq; determinatum, antequam ad Sessionem publicam procederetur: nonne de Decretis 4tæ & 5tæ Sessionis priùs toties disceptatum, altercatum, & taliter qualiter conclusum? priusquam publicæ fierent Sessiones, ideone omnes Sententiæ, sanctiones. statuta, extra Concilium facta, esse dicentur? quæ tamen tamquam firma & immobilia esse Synodi decretalia asserit, & contraponit Adversarius.

23. Nec obstat, quòd damnatio libelli, in publica Sessione non fuerit pronũciata, sicut pronũciata erãt prædicta, & alia Decreta Concilij, in quo discrimen ponit Advers. non inquam inde sequitur, damnationem illam non esse factam à Concilio, si ab omnibus Concilium integrantibus, nemine reclamante, conclusum & ordinatum fuerat, *prout publicis & authenticis instrumentis seu scripturis* per Advocatum Sacri Consistorij exhibitis, ostendebant Poloni, vt idem libellus in Sessionibus privatis damnatus, *publicè damnaretur, seu damnatus pronunciaretur*, quæ certè damnationis declaratio subsecuta fuisset, nisi Pontifex auctoritatem suam in Concilium exercendo, obstaculo fuisset: sequiturne inde? extra Concilium libellum illum discussum & damnatum fuisse, quòd in privatis duntaxat Sessionibus actum de illo fuerat, si de omnibus alijs materijs, causis, propositionibus, idem fa-

ctum

ctum legitur, quæ tamen & in Concilio gesta, & à Concilio emanata ab ipso Aduers. esse dicuntur. Quòd non subsecuta sit publica in Sessione damnationis proclamatio, quid fuit causæ? sola Pontificis, Statutum Synodale de damnatione libelli, invalidantis jurisdictio. Ergo illud tantùm modo sequitur, Martinum publicationem illam impediviſſe, atq; eo modo auctoritatem suam in Concilium absolutè exercuiſſe. Hæcne Actis Synodalibus conformior sit consequentia, an Adversarij responsio, Lector judicet.

24. Alterum de silentio indicto Constitutione Pontificiâ in publica Sessione sub pæna excommunicationis Polonis, ad futurum Concilium appellantibus, admirabili conceptu eludere nititur A. Anon: dum dicit: ,, Constitutionem à Martino V. latam, occasione appellationis interpolatæ à Paulo Vladimiro, vno ex Legatis Regis Poloniæ, expresſè non damnare. quascunq; à Summo Pontifice appellationes ad Concilium, sed eas tantùm, quæ temerè fierent, & absq; causa, quibusve appellationibus majorum causarum cognitio Sedi Apostolicæ debetur, ita, vt deberent illæ causæ judicari tantùm & finiri in Concilio Generali, quòd videbantur prætendere Poloni Oratores, cum aliqua Sedis Apostolicæ, & præsertim Martini V. novi Pontificis conservandæ fidei studiosiſſimi, injuriâ. Simpliciter igitur non pugnat hæc Martini Constitutio cum decretis Constantiensis Synodi, posſunt enim dari certi casus, in quibus liceat à Pontifice appellare ad Concilium ,, hæc A. Anonymus.

altera responsio Adversarii.

25. Fætus hic est admirabiliter speculativi ingenij; & vbi est hæc Canonis Pontificij interpretatio? vbi hæc notata exceptio? *nihil excipitur, vbi distinguitur nihil*, vbi ergo habetur illa distinctio? in Bulla fortaſſe Pontificia? verba illius jam audisti, jam in Gersonio vidisti, *Nulli fas est, à Supremo judice videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pon-*

no Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare: quid denotant primæ particulæ? nisi vniversalem sanctionem, omnibus sine exceptione appellationem interdicentem: quid indicant reliquæ? *à Supremo judice Romano Pontifice*, nisi in sola Apostolica Sede sicut regiminis, sic judicij supereminentem & plenariam permanere auctoritatem. Quòd si incertis casibus ab ea, ad aliud tribunal provocare liceret, quomodo dictum Martini in plenario Concilio eloquentis salvabitur? nisi duo suprema tribunalia in Ecclesia assignaveris, & illa Sacrosancta Hieronymi verba pro nihilo reputaveris, *si non sit in Ecclesia vna eminens potestas, tot futura sunt Schismata, quot Sacerdotes.* Si illud aliud tribunal superius Pontifice dixeris, quid ad sequentia ejusdem Constitutionis verba, ex antiquissimis Ecclesiæ eruta canonibus, respondebis? *aut ejus judicium in causis fidei, quæ tamquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.* Dialog. advers. Luciferianos.

26. Libebit enim à te requirere; si Romano Pontifici de jure competit, majorum causarum, (quales sunt in Materia fidei) lites dirimere, & earum componere veritatem, quæ igitur causæ per appellationem deferendæ erunt, ad illud aliud, quod requiris, Concilij judicium? utiq; reliquæ extra Materiam fidei controversiæ, non enim de jure, Apostolicæ Sedi causarum fidei cognitio deberetur, si alteri judicio, à Pontifice, illud ipsum supremum jus tribueretur, frustra quoq; Martinus illis terminis pro irritando statuto Concilij usus fuisset, si idem privilegium in Concilio recognovisset: Ergo tantùm ad illud judicium, Concilium videlicet seorsim à Pontifice sumptum, minorum causarum pertinebit delatio: quomodo autem hæc quadrabunt? *judicium Apostolicæ Sedis in causis fidei non licet declinare, nulli fas est appellare*, & in minoribus controversijs, licitum est ab ejus judicio ad aliud provocare; quomodo tribunal illud, Pontifice erit superius,

perius, si pro discutiendis causis tantùm minoribus esset illi potestas, & Apostolicæ Sedi in majoribus, ultimata & absoluta auctoritas: sana ratio non valet percipere, qualis ille esset supremus & summus judex, à quo maxima causarum negotia discuterentur, & finaliter terminarentur, cujus mandatis parere omnes ubiq; fideles adstringerentur, & ejusdem judicis summa potestas in deterioribus materijs limitaretur, & subijceretur alteri.

27. Non hæc legitur apud Gersonium, quem passim imitaris, istius Bullæ explicatio, ,, Non pro omni casu (inquiebat ille) licitum est judicium Pontificis in causis fidei declinare, quando scilicet facit Pontifex, quòd in se est, nec apparet devius à fide, sed rectè ambulat ad veritatem Evangelij, sine personarum acceptione, non verò si contingeret summum Pontificem cum summo Collegio deficere circa ea, quæ sunt fidei: in simili casu (prosequitur ille) liceret Pontificis judicium declinare.,, Auctoritatem Constantiensis Concilij, tuebatur Gersonius, veri tamen & Orthodoxi Pontificis non restringit judicium, non limitat potestatem, nisi contigeret illum à fide deficere, sed quid hæc contra nos? partem hæretici Pontificis non agimus, quem dixi superiùs, non fore ampliùs Pontificem si obstinax persisteret; nec fidelium Caput, quia nec ampliùs membrum Ecclesiæ, si à fide Catholica personaliter & manifestè deflecteret: de veris, indubitatis, Orthodoxis Religionis Catholicæ Pontificibus, quæstio nobis semper est, quibus præjudicare nec ipse præsumit Gersonius.

Tract. an liceat appellare à summo Pont.

28. Non illa erat Sac. Facultatis Parisiensis de Jurisdictione Apostolicæ Sedis interpretatio, in decreto solemni anno 1659. unanimi consensu ab Universitate edito: ,, Omnes & singuli Magistri nostri, palam, apertoq; ore confessi sunt, nihil se in Summorum Pontificum auctoritatem decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle:

imò

imò verò omnes & ſinguli, ut obedientiæ filij, ipſum Ro- ,,
manum Pontificem ut Summum JESU Chriſti Vicarium, ,,
cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data eſt, cui omnes u- ,,
triuſq; ſexûs obedire, cujus Decreta venerari, & pro ſe ,,
quiſq; tueri, & obſervare teneatur, ut ſemper agnove- ,,
runt, & profeſſi ſunt, ita nunc quoq; ſincerè & fideliter, ,,
& libenter agnoſcunt, & profitentur. ,, Plenitudinem ,,
ergo poteſtatis in Pontifice à Chriſto communicatam, orthodoxè profitetur Sorbona, nullâ ejus limitatione, diſtinctione nullâ adjectâ; Tui ergo ingenij, illa quam adfers erit Conſtitutionis Pontificiæ interpretatio, ſed ita vana, & infirma, quàm ut reſponſione indigeat.

29. Quartum teſtimonium, jus abſolutæ poteſtatis Pontificiæ in Concilium demonſtrativum, habetur in formula fidei in Synodo Seſſ. ultimâ à Martino contra hæreticos edita. Rogatus fuit à Patribus hic Pontifex, ut juberet per omnes orbis Catholici Regiones inquiri in hæreticos Huſſitas & Vicleffitas, antequam literas executorias ad hæreticæ pravitatis Inquiſitores, in Anglia, Polonia, Bohemia, & alijs locis conſtitutos publicaret. Idcirco Martinus certam formam inquiſitionis præſcripſit, quæ formula fidei dicitur, eamq; toti Eccleſiæ obſervandam tradidit, ut nimirum juxta tenorem illius, contra ſuſpectos de Huſſitana vel Vicleffiana hæreſi procedatur, ac ſecùndum modum ibi præſcriptum interrogentur.

30. Duo in hac formula notavi, auctoritatem Apoſtolicæ Sedis, in Concilium Conſtantienſe, & omne aliud Generale, demonſtrantia: Primum, dum loquitur de Conſtantienſi, & omni alio Generali Concilio; 2dum, dum ait de Pontifice: de his duobus regulæ ibi præſcribuntur, quid videlicet credendum ſit de Generali Concilio, & quid tenendum de vero & legitimo Pontifice.

31. De Concilio quidem, hæc in prædicta formu-

 la fi-

habetur in fine Conc. Constant.

la fidei leguntur: *Quilibet suspectus juxta hunc modum interrogetur: Vtrum teneat & credat, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense, Vniversalem Ecclesiam repraesentet.* Hic est articulus integer de auctoritate cujusvis Generalis Concilij, sicut & Constantiensis, à Martino V. editus, fide credendus ab omnibus. Dum autem in eadem formula facit regulam fidei, quid tenendum & credendum sit de Romano Pontifice, his utitur terminis: *interrogetur: Vtrum credat quòd B. Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi & solvendi super terram; Item utrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor D. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.*

32. Hic velim me doceat Advers. cur Martinus V. formam componens fidei in Concilio contra haereticos, nihil aliud credi jubet de omni Generali, sicut & Constantiensi Concilio, nisi quòd Universalem Ecclesiam repraesentet? haecne tantùm praescripta erant de eadem Constantiensi (& ut contendit A. A.) de omni alia Oecumenica Synodo? nonne ibi additum est, *potestatem habet immediatè à Deo, cui quilibet, cujuscunq; status, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur.* Si hoc decretum bis à Concilio repetitum, pro certo, & indubitato articulo (ut volunt Adver.) habere voluit Sac. Synodus, cur Martinus in sua formula, verba illa rescidit, nullam omnino fidē de auctoritate Cōcilij in Ecclesiā, vel ejusdem in Pontifices haberi voluit? cur autem de Rom. Pontifice tractans, verba *de suprema potestate in Ecclesia Dei* addidit? eamq; in sola Apostolica Sede residentem ut articulum fidei credi mandavit. Quid causae? quòd Martinus contra Decreta illa palam in Concilio egerit, & nullus ex Patribus se illi opposuerit, dicat, respondeat A. A. nisi quòd formulâ illâ, plenitudinem potestatis suae in Ecclesiam, Pontifex declarare, & Decreta Sessionis

nis 4 & 5, ut minùs deliberatè facta, conclusa, determinata improbare, nec ullam eis fidem dare voluerit. Et hæc sunt ex historia Constantien. Concilij de decretis Sess. 4 & 5. & auctoritate absoluta Romani Pontificis. Jam sensus Ecclesiæ Gallicanæ illius sæculi superest perquirendus.

PARAGRAPHUS VII.

Quis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ sensus, illius, & subsequentis 16 videlicet sæculi, de Decretis Sess. 4 & 5. Constantiensis Concilij, & auctoritate Romani Pontificis.

I. Quæ parag. 2do dixi de Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus, ad Sessionem 4tam venire recusantibus, & Decreta illa unà cum Cardinalibus impugnantibus, hîc repetere nolo, ne à Personis particularibus, ijsq; paucioribus qui Concilio aderant, ad Ecclesiam Gallicanam universaliter per consequentiam digredi videar: non aliquorum ergo, sed generaliter omnium laudatæ Ecclesiæ Gallicanæ Patrum, mentem ante Lectoris oculos ex jure eorum expendam, ut quid de Decretis illis Constantiensis Concilij censuerint, ipsi nos edoceant.

2. Edicta seu Rescripta Generalia de certis causis, negotijve, cum maturo Consistorij consilio edita, ad utilitatem & usum communem totius Regni Franciæ spectantia, *Sanctiones Pragmaticæ* vulgò à Gallis appellantur, non aliâ ratione, quàm quòd illis leges, Constitutiones, & jura generaliter præscribantur, pœnaq; rigorosa in violatores pronuncietur, & sic quòd constitutum est, sanciendo ac muniendo inviolabiliter observandum, velut sanctum apud eos efficit.

3. Tres principales in gestis Galliæ inter cæteras lego Sanctiones, ad statum Ecclesiæ, Universitatum, Collegiorum, Provinciarum, Civitatum Regni Christianissimi, & bonum ejus ordinem generaliter pertinentes. Prima est S. Ludovici Regis, qui ut & Canonum observationi, & Ecclesiæ Gallicæ commodis consuleret, eam Anno 1228. condidit, nihil tamen eâ novi juris induxit, nec Apostolicæ Sedi in quoquam præjudicari voluit, sed jam diu receptos ab Ecclesia Gallicana Canones, suumq; prius de rebus Ecclesiasticis edictum innovavit, non inconsulto tamen Romano Pontifice, ut dignitates Ecclesiasticæ liberis eligentium suffragijs deferantur, ad evitandam simoniæ labem.

4. Secunda est Caroli 7mi temporibus Concilij Basileensis in Gallia promulgata, quâ idem Rex Decreta Concilij Constantiensis, pariter ac Basileensis, de auctoritate coactiva Conciliorum, & alia quædam, paucis additis, demptis aliquibus aut immutatis, confirmavit, & observari in Regno mandavit.

5. Tertia Sanctio Francisci primi, quæ alio nomine *Concordata* Gallorum nuncupantur, quibus aliæ leges pro Regno, & Ecclesia Gallicana conditæ sunt, aliquibus articulis sanctionis B. Ludovici firmatis, Carolianis verò omnibus in præjudicium Apostolicæ Sedis vergentibus, ita expunctis, antiquatis, annullatis, & abominatis, quòd nulla de illis in posterum mentio sub pœnis gravissimis in regno Galliæ debuerit fieri. Hæc ultima Sanctio, seu Concordatorum Constitutio, usq; hodie vim obtinet in Gallia, quia nunquam à Regibus & Primatibus in Consistorio aliquo publico revocata. Verùm ut pleniorem horum Lector habeat notitiam, quænam videlicet in Sanctione Pragmatica Caroli fuerint puncta, dignitati & jurisdictioni Apostolicæ derogantia, quo pacto juri Gallico inserta, & quomodo per Concordata

Fran-

Francisci abrasa, & abolita, rem compendiosè ex Annalibus Gallicis circumscribam.

6. Sub initium decimiquarti sæculi, dum Sedes Pontificia translata esset Avinionem, indeq; ortum in Ecclesia schisma, quod ad sequens sæculum protractum est; propter distractæ in partes Ecclesiæ turbas, disciplina ubiq; collapsa fuit, in Clero præsertim Gallicano: remedium à Carolo VI. poposcit Clerus, ut & Ecclesiam Gallicanam in pristinum statum reducere, & dissidia inter contendentes schismaticos posset componere; ei curæ incumbendum seriò censuit Rex, sapientis exemplo Patris, tum dissidij in Pontifices componendi, tum emendandorum morum, restituendiq; ordinis Hierarchici cupidus. apud Joan. Doujat, in specimine Juris Gallici.

7. Indixit Ordinum Comitia, convocatis Parisiensis Universitatis Theologis, ac Jurisconsultis pro more solito consulendis, communi omnium sententiâ conclusum est, non aliam convenientiorem grassantibus malis medendi viam occurrere, quàm si Generale Concilium celebraretur: quare huic convocando unâ cum Sigismundo Imperatore Carolus VI. institit, quòd à Joanne 23. fuit indictum, & Constantiæ depositum; de quo hucusq; quæstio. Interea Rex nihil in Gallia innovari voluit, sed tantùm pro bono resarciendo Cleri, Sanctionem B. Ludovici in usum revocavit solemni facto Edicto anno 1406. ut secùndum ejus placita, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ, & Monasteria Gallicæ ditionis, electione canonicâ deferrentur, cætera verò officia per ordinarios dispensarentur.

8. Anno 1414. Sigismundi & dicti Caroli VI. operâ, inchoatum est Concilium Constantiense, eorum diligentiâ & finitum, exstincto schismate, & Martino V. in sede constituto. Regressi Ambasiadores Regis in Galliam, acta Concilij deferentes, & de compositis Eccle-

siæ

siæ dissidijs Principem certum reddentes, gratias Deo solvendas in toto Regno jussit Carolus, pro obtinenda in Ecclesia pace, & substituto in terris vero Christi Vicario: De Decretis tamen Synodi Constantiensis, de auctoritate coactiva Conciliorum, nulla fuit mentio pro tunc in Gallia, nulla in Clero controversia, usq; ad tempus Concilij Basileensis, sicut neq; de immutandis Regni juribus, aut revocanda S. Ludovici Pragmatica Sanctione, quæ ad Carolum usq; VII. observabatur.

9. Anno 1431. indictum est Concilium Basileense à Martino V, cui subrogatus eodem anno Eugenius IV. qui Julianum Cardinalem à Martino legatum, eidem præesse jussit, sed paulò post (ut superiùs dixi) cùm sub specie reformandæ Ecclesiæ, de coarctanda Pontificià potestate liberiùs in eo disseri audiret, ibi congregatos ultra progredi vetuit: unde inter Pontificem & Concilium nata dissidia, & Concilij Patres ut contumaces anathemate ab Eugenio notati, quòd tamen agente Sigismundo revocatum an. 1433.

10. Verùm cùm Eugenius, Græcorum conciliandorum occasione, Concilium invitis plerisq; Basileensibus, Ferrariam transferret, discordia major recruduit; unde Eugenij novum in Synodum anathema, & Synodi vicissim in illum exauctorationis sententia, vigore decretorum Sess. 4 & 5. Constantiensis Synodi, quasi illa auctoritatem Concilijs in Pontifices tribuerent: quare decreta illa duo Constantiensia à Basileensibus Sess. 18. repetita sunt ad renovandum schisma, quod certè in Ecclesia peractum iterum fuisset, nisi Dei intuitu Principes Catholici Basileensibus obstitissent.

11. His ita stantibus Basileenses inter, & Pontificem differentijs, missi sunt ad Regem Christianissimum tunc Carolum VII. ex Concilio Legati, Synodi causam defensuri, flagitantes eundem, Basileensium omnium nomi-

nomine, ut Concilium eorum contra Eugenium, in protectionem susciperet, & Decreta Concilij in Regno suo suscipi servariq; juberet: Precibus illorum Rex satisfacere volens, deposito apud Biturigas Ordinum & Episcoporum Conventu, Decreta Synodi Basileensis, non quidem omnia, sed illa duntaxat quæ contra dignitatem Apostolicæ Sedis edita fuêre, auctoritate suâ recepit & probavit, utq; ea in Regno rata faceret, Sanctionem novam Pragmaticam abolitâ antiquâ Sanctissimi Regis Ludovici, exulari jussit an. 1439. viginti tribus articulis ex eodem Basileensi Concilio, Sanctioni suæ insertis. Et hæc est origo Pragmaticæ Sanctionis Caroli VII. in præjudicium auctoritatis Apostolicæ factæ.

12. Nunc articuli Sanctionis illius videndi sunt, quorum titulos sequens tabella indicabit.

Articuli seu Capitula Pragmaticæ Sanctionis Carolinæ.

1.	*De Conciliorum Generalium auctoritate ac tempore.*	-- Ex Concil. Basileensis Sessione 1ma.
2.	*De potestate Concilij circa reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris.*	-- ex Ses. 2. 16. 18. & ex Conc. Constantiensis Ses. 4. & 5ta.
3.	*De electionibus, eorumq; confirmatione.*	-- ex Sessione 12. & 13.
4.	*De reservationibus sublatis.*	-- ex Sessione 23.
5.	*De Collationibus.*	-- ex Sessione 31.
6.	*De Causis.*	-- ex Sessione 31.
7.	*De frivolis appellationibus.*	-- ex Sessione 20.
8.	*De pacificis possessoribus.*	-- ex Sessione 21.

9. *De*

9. *De numero & qualitate Cardinalium.* -- ex Sessione 24.
10. *De Anatis.* -- ex Sessione 21.
11. *De celebratione Divini officij, & sequent. alijs ad Sacra pertinentibus ad Capit. 19.* -- ex Sessione 21.
20. *De Concubinarijs.* -- ex Sessione 20.
21. *De excommunicatis non vitandis.* -- ex Sessione 20.
22. *De interdictis temerè non ponendis.* -- ex Sessione 20.
23. *De sublatione Clementinæ.* -- ex Sessione 33.

13. *De Conciliorum generalium auctoritate*, quod est primum Sanctionis Capitulum, legitur ex Basileensi Concilio excerptum, *Sacrosancta Synodus Basileensis Ecclesiam militantem repræsentans ad perpetuam rei memoriam &c. pro hæresum atq; errorum exstirpatione, morum in Capite & in membris reformatione, atq; Regnorum, cæterorumq; Christianorum ad invicem auctoritate discordiarum procurante dissidentium pacificatione, in Spiritu Sancto legitimè congregata, statuit, definit, declarat, & ordinat, ut sequitur.*

tit. 1. Sanctionis C. 2.

14. *Et primò, quòd eadem Sacra Basileensis Synodus, Sacris Constantiensi & Senensi Generalibus Concilijs decernentibus atq; ordinantibus, & auctoritate Apostolica interveniente, fuit, & est in hoc loco Basileensi debitè, legitimèq; atq; ritè nunciata & aggregata. Et ne de ejusdem Sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti Sessione, a delijs suis decretis editis, seu edendis inserendas ordinavit, & decrevit. Quarum quidem declarationum tenor primæ sequitur,* ut infra &c.

Acce-

Acceptatio istius decreti.

Acceptavit, & acceptat prout iacet, Congregatio supradicta Bituricensis.

15. Acceptatum igitur Constitutione Carolina Basileense Concilium in Gallia, quod ab universa Ecclesia rejectum erat, & Sacrosanctum atq; Oecumenicum auctoritate Regia probatur, quod à Pontificibus, & postea Concilio Generali Lateranensi tamquam seditiosum & schismaticum fuit reprobatum, ut supra ostensum est.

16. Secundo articulo dictæ Sanctionis Pragmaticæ, de potestate Concilij circa Reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris, hoc annexum est Decretum: *Et primò declarat quòd ipsa Synodus in Spiritu S. legitimè congregata potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet cujuscunq; status, conditionis, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & exstirpationem schismatis, & Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. Item declarat, quòd quicunq; cujuscunq; status vel dignitatis etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus S. Synodi, & cujuscunq; alterius Concilij Generalis legitimè congregati, obedire contumaciter contempserit, vel contraire præsumpserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia si opus fuerit recurrendo.* hæc Capitula per Franciscũ primum & alios Reges annullata & abominata sunt.

17. Hæc sunt potissimùm Capitula, seu articuli, (ut prætermittam alios, de quibus ad præsens quæstio non occurrit) ex Concilio Basileensi in defensionem & valorem illius, à Carolo VII. novæ suæ Sanctioni Pragmaticæ appositi, ab ipsismet Basileensibus ex Concilio Constantiensi suffurati, verbis aliquibus immutatis, alijs in subsidium suum adversùs Pontificem additis. Advertit tamen D. Doujat Juris Gallici scriptor ejusdem Natio-

in præfatione specim. Juris Gallici. nis, non omnia Basileensis Concilij Decreta ut jacent à Gallis suscepta esse, sed alia recepta esse absolutè, quibusdam alijs transmutatis & reformatis: unde manifestè conijcitur, non ideo dicti Concilij Capitula Sanctioni Pragmaticæ inserta esse, quòd illud pro Sacrosancto & Oecumenico reputatum ab illis fuerit, aliàs Sacrosanctos reformare Canones haud præsumpsissent, sed quòd mores Gallici ita tunc poposcerint, recipere quòd placeret, reijcere quòd displiceret, Oecumenica & Sacrosancta faciebant quæ volebant, abijciebant quæ nolebant.

18. Hæc itaq; novæ Legis, (seu ut vocant) Gallicæ Sanctionis placita, ut scandalosa & notoriè schismatica Romani Pontifices semper execrati sunt, ea semper irritantes, & nullius esse roboris promulgantes, quòd ex Basileensis jam illegitimi ut potè Ferrariam translati Concilij decretis, tempore schismatis, & à schismaticis editis, deprompta atq; conflata fuerint: Primò Eugenius 4tus, deinde Pius 2dus statuta illa reprobarunt, licet Carolus VII. sententias Apostolicas parvi duxerit. At Ludovicus undecimus Rex pijssimus, urgente primùm eodem Pio, ea omnino abrogare voluit, imò de facto abrogavit an. 1461. literis ad omnes Ordines missis, quas Tolosanus expresso Regis jussu promulgavit; sed Parisiensis Senatus non minùs literis Regijs, quàm præceptionibus Apostolicis se opposuit, adeoq; observantia eorum recruduit.

19. Paulus 2dus re cognita, Sanctionis ulteriori revocationi paternè institit, cui devotè obediens Ludovicus, aliud Diploma revocatorium edidit, sed hujus publicationi Joannes Sanromanus Generalis Regis Procurator nomine Parlamenti Parisiensis, ostensis apparentibus in Regno incommodis, obstitit: Tanta nihilominus Ludovici pietas fuit erga Apostolicam Sedem, quòd diploma Regium executioni mandari omnino studuerit,

& re-

& revera executus eſt an. 1472. exploſâ Sanctione Pragmaticâ Caroli, & aliâ à ſe conditâ adinſtar Concordatorum Germanicorum, Legatis Sixti IV. Pontificis aſſiſtentibus.

20. Jam ergo Sanctio illa Carolina cum ſuis ſupra relatis Capitulis exſtincta erat, quòd nullam Ludovici temporibus vim in Gallia habuerit: verùm poſt Ludovici XI. mortem, Carolus VIII. non ſcio quo in Cathedram Petri affectu, Pragmaticam Sanctionem, contra nitentibus Innocentio VIII. & Alexandro VI. in uſum paulatim revocavit, & poſt obitum ſuum Ludovicus XII. an. 1499. novo facto Edicto, eandem inſtauravit, & valere in Regno juſſit; & minitante Regi cenſuras Pontifice, adversùs eum Conciliabulum Piſis vocavit: Temeritate viſâ Pontifex Julius 2dus nomine, Lateranenſe Concilium 5tum indixit, & Seſſione 3. in Ludovicum XII. ac Regnum ejus Interdicti ſententiam tulit. Seſſione 4ta recitato Ludovici XI. Edicto Sanctionis Pragmaticæ, Carolinæ abolitivo, monitorias literas dari voluit, quibus Rex & Regni Curiæ, Eccleſiaq; Gallicana Romam ad Concilium vocarentur, rationem ibidem de renovata Pragmatica Carolina redditurі, aliàs ſchiſmatica illa, & hæretica pronunciaretur.

21. Hâc in controverſia defunctus eſt Julius, & in locum ejus ſuffectus Leo X. ad quem ſicut & ad Synodum Lateranenſem miſſi ſunt à Rege Legati, à Cenſura Eccleſiaſtica Rex & Regnum ut abſolvatur, Pontificem flagitantes; ſuſtulit cenſuras Leo conditione interpoſitâ, ut Diploma Ludovici XI. renovetur, & aboleatur Pragmaticæ nomen: moritur interea Ludovicus XII. & Epiſcopi Galliæ ad Concilium non veniunt, inutilem futuram perſpicientes Sanctionis Pragmaticæ defenſionem. Unde Franciſcus primus Ludovici XII. Succeſſor, unâ cum Galliæ Epiſcopis, Parlamentis, Capitulis,

omnibusq; Ordinibus Sanctionem Pragmaticam tuentibus peremptorio edicto Romam citatus est.

22. Perterritus voce Leonis Franciscus, & ne indignationem Apostolicam more Antecessoris incurreret, deputavit Romam Legatos, ipseq; paulò post Bononiam venit, Pontifice ibi eundem expectante, atq; inter filialis reverentiæ officia, enixis precibus petijt, ut si Pragmaticæ nomen omnino abrogandum esset, saltem vice illius liceret certas alias præscribere leges, quibus Regnum Gallicum in ijs rebus quæ Sanctione illâ continebantur regeretur: Admissa est Regis precatio, mandataq; est ejus commentationis cura duobus Cardinalibus ad id à Pontifice destinatis, & ex parte Regis Antonio à Prato, Franciæ Cancellario; inter hos, facta est novæ legis Gallicæ inviolabiliter observandæ, (quæ *Concordata* vulgo vocantur,) editio ante Regis discessum, annullatâ, abominatâ, & omnino exuflatâ Sanctione Pragmaticâ Carolinâ, & articulis auctoritati Apostolicæ derogantibus expunctis & irritatis; aliquibus Sedem Romanam minimè tangentibus tantùmmodo immutatis, vel reformatis, ut sequenti tabulâ indicatur.

ARTICVLI Pragmaticæ Sanctionis.		*ARTICVLI* Concordatorum.
De Conciliorum Generalium auctoritate.	hic expunctus, & in locũ ejus positus titulus.	*Approbatio Concordatorum per Concilium Lateranense.*
De potestate Conciliorum circa reformationem Ecclesiæ in Capite & in mẽbris.	hic expunctus, & in locũ ejus positus,	*De Constitutionibus.*
De Electionibus eorumq; confirmatione.	hic immutatus	*De electionibus & postul. derogat.*

De re-

De reservationibus sublatis.	hic immutatus	*De Regia ad Prælaturas nominatione.*
De Collationibus.	hic immutatus	*De Collationibus & mandatis Apostolicis.*
De numero Cardinalium.	absolutè abolitus	
De Anatis.	abolitus	
De Conclusione Ecclesiæ Gallicanæ.	abolitus & in locū ejus missus.	*De Conclusione Concilij Generalis Lateranensis.*

23. Et sic de reliquis. Ubi vides *in Concordatis*, expuncto Sanctionis Pragmaticæ articulo primo, qui erat *de Conciliorum Generalium auctoritate*, ejus loco proëmium Concordatorum collocatum est. Item expuncto secundo, qui erat *de potestate Conciliorum circa reformationem Ecclesiæ in Capite & in membris*, qui erutus erat à Basileensibus ex Sess. 4ta & 5ta Concilij Constantiensis, alius appositus est, *de Constitutionibus* qui incipit *Leo Episcopus &c. Primitiva illa Ecclesia &c.*

24. Sic novâ lege pro Regno Galliæ per Franciscum condita, & abolita veteri Carolina, Legatus à Rege in Urbem missus erat Rogerius Barma nomine, Regius in Parlamento Parisiensi Advocatus, qui Pragmaticâ Regni nomine ejuratâ, Concordata illa rata habuit, tamquam Pragmaticæ Sanctionis loco in posterum valitura, quæ in Sessione publica Concilij Lateranensis promulgata & confirmata sunt, die 19. Decembris anni 1516. Sess. 11.

25. Et Franciscus receptis à Pontifice duobus diplomatibus, altero Sanctionis Pragmaticæ abrogativo, altero Concordatorum confirmatorio, Comitia ex Episcopis, Capitulis, Parlamentis, Accademijs, & omnibus aliis Ordinibus fecit, & ea inviolabiliter observanda tradidit, evulgato solemni hac de re Edicto, itavè observatio-

vatio-

vationi illorum incubuit, quòd nec in apice quicquam derogari, vel immutari passus fuerit. Eadem Henricus secundus, an. 1552. speciali decreto firmavit, & in signum mutui, ac perpetui inter Sedem Apostolicam, & Regnum Francorum contractûs, robur habere jussit. Ab illo tempore nova ista Constitutio, ejuratâ Pragmaticâ, ab omnibus observari cæpit, & vim legis usq; hodie in Gallia obtinuit.

26. Nec obstat, quòd protestatio fuerit facta à Senatu & Universitate Parisiensi, per Liæureum Regium Generalem Advocatum, & appellationes interpositæ à Bulla Pontificia, & Regis decreto Pragmaticæ Sanctionis revocatorio: Non obstat inquam, quominùs intactum robur Concordata illa habeant, quoniam Leo X. auditis hujusmodi calcitrantium improperijs, præfato Regi Francisco literas dedit, quibus Protectorē Concordatorum, & executorem eundem, cæterosq; Reges constituit, & in virtute sanctæ obedientiæ mandavit, quatenus per se vel alium, iterum ea publicari, & inviolabiliter observari faciat, contradictores cujuscunq; dignitatis & præeminentiæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, aliaq; juris & facti quævis opportuna remedia, appellatione qualibet omnino postpositâ compescendo, non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab ea sit sede indultum; quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint.

habetur in Concordat. tit. 17.

27. His perceptis mandatis Franciscus, Concordata iterum Parlamento contradicenti recitari voluit, & juri Parisino pro canonica lege ingrossari, quæ lecta & Actis jura continentibus ingrossata sunt, anno 1517. die 22 Martij sub hac forma: *Lecta, publicata, & registrata ex ordinatione, & de præcepto Domini Nostri Regis reiteratis vicibus, facto in præsentia Domini de Trimollia primi Cambellani*

dicti Domini Nostri Regis, ad hoc per eum specialiter missi.

28. Non his contentus Rex, sed ut ora Protestantium concluderet, & appellationes in contrarium pro futuro irrita omnino redderet, Decretum aliud cum pœnis contra temerè venientes condidit, & universis Parlamentorum Actis inregistrari jussit. Tenor decreti sequens.

29. Franciscus Dei gratia Francorum Rex, Mediolani ,, habetur in fine Concordatorũ.
Dux & Genuæ Dominus. universis præsentes literas in- ,,
spectuṙis. Cum roboratione, nec non observatione De- ,,
cretorum Concordati, per Nos, cum Sanctiss. Dom. No- ,,
stro Papa Leone X. initi, necessarium ac utile foret, ut à ,,
S. Sede Apostolica illius Concordati Protectores consti- ,,
tueremur, ut utroq; mucrone, institutis Concordatorum ,,
non parentes punirentur: Literas Apostolicas à jam di- ,,
cta Sede Apostolica obtinuimus, quibus illorum Con- ,,
cordatorum protectio Nobis concessa est. Quo circa di- ,,
lectis & fidelibus Consiliarijs Nostris, Parlamenta No- ,,
stra Parisijs, Tolosæ, Burdegalæ, Rothomagi, Divione, ,,
& Gratianopoli tenentibus, nec non cæteris nostris ju- ,,
stitiarijs, & officiarijs mandamus, & injungimus, juxta ,,
facultatem Nobis concessam, eorum Concordatorum ,,
infractores pœnis legitimis afficiant: Et ea quæ incon- ,,
trarium dictorum attentaverint, revocent, & in pristi- ,,
num statum reducant, seu reduci faciant, compescendo ,,
compescendos, omnibus vijs rationalibus. Et ut nemo ,,
jam dictæ Nostræ Protectionis ignorantiam prætendere ,,
valeat, eas præsentes publicare, & in registris suis regi- ,,
strare faciant indilatè, quoniam Nobis sic placet, & ita ,,
fieri volumus, non obstantibus quibuscunq; in contra- ,,
rium faventibus. ,, ,,

30. Addo contestationem illam ab Universitate Parisiensi, & à quibusdam Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus factã;

adversùs Bullam Pragmaticæ revocatoriam; non fuisse ad tuenda & conservanda omnia Sanctionis Capitula, quæ injuriosa Sedi Apostolicæ erant, *ut de auctoritate & Potestate Conciliorum*, sed ad manutenenda ea, quæ ex antiquo jure Sanctionis Pragmaticæ S. Ludovici, ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ spectabant, (ut optimè notat Helias Turonensis Archiepisc. postea Cardinalis, qui Concordatorum defensorium scripsit) uti *de electionibus, & Collationibus beneficiorum* per libera suffragia, quæ prisca libertas Canonicis, & Monachis permittebat, quòd quia per Concordata explosum, & loco ejus positum, *de Regia ad Prælaturos nominatione facienda*, Clerus de cujus jure agebatur, cum Universitate Parisiensi unitus, nihil non movit, ut tam antiquâ & sibi favorabili lege, non obstantibus Concordatis derogatorijs illis, uti liceret, nec tamen obtinere usq; ad hodiernam diem potuit, ut ex illius præscripto, Electionibus libertas pristina redderetur.

31. Et quamvis de his actitatum fuit in publicis Regni Comitijs regnante Carolo Nono, eaq; de re initio Constitutionis Aurelianensis editi quidam articuli fuerint; res tamen omnino exitu caruit. Cæterùm de alijs Sanctionis Carolinæ Capitulis, uti de Decretis Sess. 4. & 5tæ, & Basileensis Synodi, titulo 1. Sanctionis à Carolo 7mo insertis, nulla unquam à Clero Gallicano, vel quovis alio, usq; ad hæc tempora nostra, mentio facta fuit.

32. Ex his omnibus facilè quisq; intelliget, quis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ, imò totius Galliæ sensus, de Decretis (de quibus est controversia) Concilij Constantiensis, & Basileensis. Licet in principio à schismaticis Basileensibus in Carolo Rege decepta Gallia, Decreta illa quasi indubitata & Canonica, unà cum Basileensi Synodo mordicùs propugnaverat, re tamen meliùs trutinatâ,

tum

tum ad vitandum schismatis periculum, tum ad retinenda quâ decebat prudentiâ Ecclesiæ Gallicæ jura, necessitate, imò censuris Apostolicis portenti, illis palam renunciare coacti sunt. Mirùm ergò, quo pacto A. An. dicta Sanctionis Pragmaticæ Capitula resuscitare, & revocare valeat? quæ in Regibus Christianissimis ante conspectum Romani Pontificis, & Concilij Generali Lateranensis jure jurando Gallia ejuraverat, & ob periculum schismatis, atq; mutui, & perpetuò duraturi inter Sedem Apostolicam & Regnum Galliæ contractûs, jam dudum aboleverat: aut quâ ratione duo Decreta illa, ad omnia Concilia Oecumenica in ordine ad veros & legitimos Pontifices extendere queat? quæ hoc in sensu à Concilio Generali Lateranensi, schismatica declarata, & unâ cum Sanctione Pragmatica Sess. 3. & 4. sunt reprobata.

33. Non ita absoluta erat illius sæculi aliquorum sententia in Antesignano Parisiensium Gersonio, qui typum Sorbonæ gessit in Constantiensi Concilio, qui enim illius operibus an. Domini 1606 Parisijs editis, vitam ejus præfixit, refert ab illo conclusum fuisse, auctoritatem, sanctitatem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ istoc Symbolo obsignatam: „Credo unam Sanctam Ecclesiam Catholicam &c. non penes Antipapas (qui manibus & pedibus unitatem Ecclesiæ impedire conabantur) sed tantùm penes eos, qvi consilio, re, & opere pacem atq; unionem procurarunt, residere; & proinde istis invitis atq; reclamantibus, Concilium unius obedientiæ, indici & cogi posse.„ Hanc constantem fuisse sententiam Gersonij, quam in Concilio Constantiensi, & post ad mortem tenuit, & morte sigillavit demonstrat inferiùs præfatus Auctor vitæ illius: „An rogo (inquit) Gersonius Pontificiæ auctoritati infensus est, qui Sanctam Sedem Apostolicam Monarchicam esse asserit; ut

„ neq; ab Ecclesia unquam tolli, neq; in puram Aristocra-
„ tiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari possit.
„ Atq; insuper Pontificem Maximum, sic à Christo institu-
„ tum probat, ut Ecclesiam solo Principatu Monarchico,
„ ab hæreticorum conventiculis, & synagogis sathanæ di-
„ gnosci & discerni, atq; solum Pontificem Conciliorum
„ Generalium convocandorum & comprobandorum au-
„ ctoritatem habere demonstret. „ Hucusq; de sensu Gersonij insignis homo ille Nationis Gallicæ, qui operibus suis vitam ejus annexit.

EX CONTROVERSIA XVII. SÆCVLI.

In Materia Propositionum Cornelij Iansenij agitata.

OPPOSITIO

Auct. Anon. deest.

CAPVT XIV.

In quo ex Controversia 17. Sæculi, in Causa Iansenij, Gallicanæ Ecclesiæ Antistitum, aperitur sensus, Universali conformis Ecclesiæ, de subjecto Potestatis Ecclesiasticæ, & Inerrabili judicio Apostolicæ Sedis.

I. QUòd anteactis Sæculis, Gallicana Ecclesia præstitit observantiæ erga auctoritatem Romanorum Pontificum; hoc decimo septimo, præsenti

senti videlicet sæculo, ex occasione doctrinæ Cornelij Jansenij Episcopi Yprensis, incomparabiliter expressit compendio, ut planè ex sensu Episcoporum Galliæ appareat, subjectum Potestatis supremæ Ecclesiasticæ, & inerrabilis Ecclesiæ judicij, haud esse aliud, quàm solam Apostolicam Sedem, ejus videlicet inesse officij per Romanos Pontifices fidei decreta sancire, & sancita mutare; rectam nimirum fidem decreto sancire, & malè sancitam à malè sentientibus, vel perversoribus, auctoritate propriâ absq; interventu Congregatæ Ecclesiæ, seu Generalis Concilij, dolendo mutare: à cujus decreto cæteri Orthodoxi ita dependeant, ut quæ recipienda pronunciet, omnino recipiant, quæ verò mutaverit, omnino aversentur: In Controversia quippe doctrinæ Iansenij, laudata Ecclesia Gallicana in Præsulibus suis, pariter cum cæteris Catholici Orbis peculiaribus Ecclesijs signanter professa est, sui dependentiam ab Apostolica Sede in recipiendo, vel damnando; nempe in reijciendo eos, quos expectabat damnandos ab Ipsa, Iansenij articulos, recipiendos alios doctrinæ sensus, quos ab eadem audiret esse receptos.

2. Circa Annum 1646. oborta fuit gravis Controversia de doctrina Iansenij in Materia Gratiæ; primò in Flandria inter Doctores Lovanienses, quorum alij tamquam verum Augustini interpretem dictum Iansenium asserebant, alij dogmata ejus in quinq; potissimùm Propositionibus consistentia, à sensu Augustini omnino aliena, hæretica pronunciabant. Devoluta hæc Controversia sensim ad Sorbonicos, ubi majori motu præfatæ Iansenij Propositiones discutiebantur, disceptabaturq;, docendæ ne sint ut Catholicæ? vel ut hæreticæ reijciendæ? Magna erat pro utraq; parte Doctorum diffidentia, & ardentior in dies contentio; alij enim tamquam Augustinianas vehementiùs propugnabant, alij ut dissonas

omnino fidei, & Augustino, acriùs impugnabant: subsequutæ ex inde ingentes turbæ, magniq; tumultus excitati in populo, quibus per decennium non sine gravi animarum periculo vexabatur Gallia.

3. Latiùs hinc incendium pertimescentes, & pesti grassanti certissimam perniciem allaturæ, contraponere obicem studentes vigilantissimi Gallicanæ Ecclesiæ Antistites, illud unicum remedium, ad compescendam tantorum turbam dissidiorum, & animorum collisorum compositionem, nacti sunt, factis Generalibus ex tota Gallia congregandorum Episcoporum Comitijs, recurrere ad Apostolicam Sedem, ut Ipsa lites dirimat, veritates Orthodoxas proponat, & sopiat Controversias.

4. Hoc inito Præsules Gallicani Consilio, Synodum deponunt Parisijs in Conventu Majori PP. Augustinianorum Anno Domini 1652. ex Octuaginta Episcopis compositam: decernunt ibi, scribuntq; ex Synodo literas Summo Pont. pro tunc Innocentio X. flagitando, & summopere postulando, ut ipse caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat, perspicuamq; ac certam de unaquaq; Propositione sententiam ferat, & Ecclesiæ Gallicanæ tranquillitatem splendoremq; restituat; (referam ejusmodi contextûs, Synodales literas inferiùs) Receptis literis Apostolicis ijdem Galliæ Episcopi An. D. 1653. unâ cum Constitutione Pontificia, quâ damnatio quinq; propositionum Iansenij continebatur, gratias agunt Innocentio, quòd tantæ de gratia doctrinæ lucem per Iansenium obscuratam, pristino nitori reddiderit: Constitutionem Apostolicam tamquam Divini Numinis instinctu conditam, reverentur; illius promulgationem in Ecclesijs, & Diœcesibus, pariter ac executionem in populo, plenissima promittunt cum veneratione; Recitabo hujus tenoris propria eorum verba sequen: Paragraph.

5.

5. Promulgatâ per Gallias, & executioni mandatâ Apoſtolicâ prædictâ Sanctione, de quinq; Ianſenij Propoſitionibus damnatis, ſperabant Galliæ Epiſcopi jam tandem ſopituros motus, & contentioſos animos in unitatem veræ fidei ituros, liberamq; fore Galliam, à tumultibus ulterioribus, & ab incæptis furioſis & periculoſis diſputationibus; ſed diſſidiorum illorum, necdum erat finis: Doctores enim Sorbonici aliqui, pauci quidem, (ut innuunt Synodales literæ Paragr. 2do citandæ) qui tuebantur opinionem Ianſenij, iterum doctrinam ejus à nota hæreſeos vindicare conati ſunt, non quidem Conſtitutionem Innocentij non acceptando, (quam ut Orthodoxam omnes nemine reclamante, etiam ipſi fautores Ianſeniſmi amplexi ſunt, profeſſiq; Propoſitiones dictas verè hæreticas, & meritò damnatas) ſed ajebant: illas à Ianſenio in alio ſenſu traditas, & explicatas, adeoque non in ſenſu Ianſenij proſcriptas & reprobatas, quòd eſt Materia *Facti* non *Iuris*. Hac arte diſceptationibus ulterioribus, & litibus prolixioribus, viam aperiendam parabant Doctores illi; ſicut de facto iterum reſuſcitatæ turbæ, alijs proclamantibus; in ſenſu Ianſenij damnatas eſſe Propoſitiones, alijs contrarium vociferantibus: nec in ſenſu Ianſenij damnatas, nec proprias Ianſenij eſſe.

6. Ad reprimendas novas in Clero lites, dandamque pacem Eccleſiæ, iterum Præſules Galliæ interpellant Apoſtolicam Sedem, datis ad Innocentium alijs literis Synodalibus ex Comitijs Pariſienſibus Anno D. 1654. habitis (præmiſsâ Epiſtolâ Encyclicâ ad abſentes Archiepiſcopos, & Epiſcopos) quibus exigunt probationem ſuper facto, vel ab illo declarationem. Reſpondet Pontifex, ſed literis ſuis mandatum tantùm continebatur, ut Conſtitutionem ſuam ſervari curent per Gallias, nihil in Materia *facti* determinando, an in proprio Ianſenij ſenſu damnatio illa intelligenda? Hoc ultimum erat Innocen-

nocentij Rescriptum ad Galliæ Episcopos; quo facto, paulò post moritur.

7. Non cessarunt interea scandalosæ contentiones, & perniciosæ non sine malo spirituali disputationes; ad quas retundendas inito denuo consilio Galliæ Antistites, Synodum Parisijs constituunt Anno Dñi 1656. iterumq; atq; iterum recurrunt ad Cathedram Petri, Alexandrum videlicet VII. Innocentij in ea Successorem per literas Synodales, quarum textus genuinos dabo inferiùs: Resolutorium ab eo petunt ultimum, ut innovato Innocentij Decreto, de sensu quoq; Iansenij judicium ferat, & diplomate Apostolico tantas turbulentias dirimat peremptoriè, reddatq; tandem Gallicanæ Ecclesiæ tranquillitatem.

8. Re perceptâ Summus Pontifex Alexander, Constitutione Antecessoris probatâ & innovatâ, aliam ipse condidit Anno Dñi 1656. quâ præfatæ Propositiones hæreticæ, in sensu proprio Iansenij proscribebantur. Quanta cum reverentia, & observantia recepta sit in Gallia dicta Alexandri Constitutio, patebit ex producenda Epistola ex Synodo An. D. 1661. Parisijs datâ. Consultabatur in hac ultima Synodo, de dando remedio ad extirpandas reliquias hæreseos, & tricas finaliter perimendas; visumq; fuit omnibus, ut ad abolendum de cætero nomen Iansenismi, formula certa fidei conficiatur, ab omnibus Clericis, quin ab ipsis etiam Episcopis subscribenda: conscribitur itaq; in Synodo formula, & conscripta mittitur ad Pontificem cum supplici libello, ut ea auctoritate Apostolica firmetur, subscribaturq; mandante Pontifice ab omnibus Episcopis, universoq; Galliæ Clero.

9. Destruxit Alexander compositam ab ipsis formulam, & aliam Ipse condidit, cui subscribi mandavit, non solùm Archiepiscopis & Episcopis, verùm etiam

alijs

alijs quibuscunq; Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quàm sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus & Licentiatis, alijsq; Collegiorum Rectoribus atq; Magistris. Ex Rescripto Pontificis, mandatum Apostolicum intra tres menses ab Episcopis Galliæ executioni mandatum est, sicq; impositus finis Controversiæ. Et hæc est compendiosa historia hactenus primò luci tradita Causæ Iansenij, de quinq; Propositionibus. Jam restat recitare ipsas Gallicanæ Ecclesiæ Præsulum Synodales Epistolas ad Roman. Pontif. ut quid de subjecto Potestatis supremæ Ecclesiasticæ, & Judicio inerrabili Apostolicæ Sedis sæculo hoc intellexerint? & quanta auctoritate in propulsanda dicta Iansenij hæresi, eadem Apostolica Sedes usa fuerit? exploratum omnibus habeatur.

PARAGRAPHVS I.

Ecclesia Gallicana recognoscit literis Synodalibus Summum Pontificem, supremum arbitrum rerum ad fidem spectantium.

I. PRima Synodus composita ex Archiepiscopis & Episcopis octuaginta quinq; Gallicanæ Ecclesiæ in Urbe Parisiensi in Causa Iansenij, ut supra insinuavi, fuit Anno Dñi 1652. in qua hæc Relationis literæ ad Innocentium X. ,, Beatissime Pater. *Majores causas ad Sedem* ,, *Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos, quem fides Petri* ,, *nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquis-* ,, *simæ huic legi obsequentes*, de gravissimo circa Religionem ,, negotio, Sanctitati Tuæ scribendum esse censuimus: De- ,, cennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno ,, nostro mærore commovetur, ob librum posthumum ,, & doctrinam Reverendissimi Cornelij Iansenij Yprensis ,, Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum ,,

„ Conc. Trid. auctoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus
„ VIII. felicis memoriæ adversûs Iansenij dogmata pronunciavit, & decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Bajum edita confirmavit: atq; hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicasti: sed quia nulli sigillatim Propositioni certa Censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorundam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus, si *ut precamur, Sanctit. Tua quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctèq; definiat.* Obtestamur ergo, ut has præsertim Propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, & perspicuam ac certam de unaquaq; sententiam ferat.

„ 2. Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoq; ijs gratia quâ possibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possèt humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

„ 3. Experta est nuper Beatitudo Tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ Capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atq; ad Christi vocem & imperium, venti & mare obedierunt. Quamobrem *flagitamus Beatissime Pater, ut clarâ firmâq; de propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ,* cui Reverendissimus ipse Iansenius morti proximus opus suum subjecit, *caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque*

que restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos & prosperos annos, sæculoq; beatissimam æternitatem Rex sæculorum immortalis adijciat, optamus, & vovemus. ,, Hucusq; Epistola, cui subscripserunt Episcopi octuaginta quinq;.

4. Ex qua manifestiùs quid colligitur? quàm quòd Gallicanæ Ecclesiæ Patres literis suis Synodalibus ex occasione novæ emergentis hæresis, Summum Pontificem supremum Arbitrum rerum ad fidem spectantium profiteantur: Et quò magis in simili hæresi, ad Antecessores suos provocant, eò magis ostendunt, obortas circa Religionem controversias, & concitatos in Ecclesia motus, non nisi Apostolicâ auctoritate rescindi & sedari posse. Non hoc tantùm sæculo laudati Galliæ Præsules confessi sunt jurisdictionis culmen in Apostolica Sede, sed vetustum asserunt in Ecclesia morem: *Majores* (ajunt) *causas ad Apostolicam Sedem referre solemnis Ecclesiæ mos*, utiq; antiquus, *vetus consvetudo Ecclesiarum svadet, ut ejusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur* inquit Ephesina Synodus, 1. part. Cap. 14. quia videlicet à Petro tradita, & perpetuò observata, *quem fides Petri nunquam deficiens* (proseqvuntur Episc. Galli) *perpetuò detineri pro jure suo postulat*; si in fide indeficiente Petri, Apostolica Sedes perpetuò hoc sibi jus vendicat, ergo non tantùm præsenti hoc, sed omni post Petrum sæculo.

5. *Precamur* (inquiunt) *ut Sanctitas Tua quid hac in re sentiendum sit, clarè distinctèq; definiat:* & iterum: *Flagitamus Beatissime Pater, ut clarâ firmâq; de propositionum istarum sensu prolatâ sententiâ: caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremq; restituas.* At quid tantis cum precibus ad Apostolicam Sedem pro habenda sententia, & danda Ecclesiæ pace interpellatio? si Romano Pontifici seorsim à Concilio Generali, aut Universalis Ecclesiæ consensu,

non conuenit inerrantiæ aut infallibilitatis privilegium in definiendis ijs, quæ fidei sunt; si judicium ejus non est irreformabile? si non est certa fidei regula? Cur non ipsa Gallicana Ecclesia definit & damnat? vel quare congregandi Generalis Concilij non interponunt auctoritatem? aut cur Universalis Ecclesiæ consensum non exquirunt?

6. Nosti causam Lector, si memoriâ tenes, quæ superioribus omnibus Controversijs per ordinem dicta, & exemplis atq; ejusdem Ecclesiæ Gallicanæ factis sunt demonstrata: nimirum illum viguisse usum ab ipsis Apostolorum temporibus, ubi primùm Sedes Petri Romæ locata est, ut nova emergens hæresis, non ab alio quopiam, quàm à Romano Pontifice causâ exactè pervestigatâ, Apostolicâ damnaretur auctoritate: *Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, locum habet de fide & Sacerdotio judicandi*, Chalcedonen. Synodus; & iterum: *Ad Concilium Apostolicæ Sedis, judicium transmittatur, in qua primus ille qui cælestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatûs ornavit*: Item Octava Synodus ad Adrianum in causa Monothelitarum: *Causa à te definiatur: de cujus judicio non licet retractari.*

1. part. Conc. Chalced.

Act. 3. & 7ma.

7. Quomodo verò Apostolica Sedes acceptis his Gallicanæ Ecclesiæ literis egerit? & hæresim quomodo damnârit? lege sequentem Pontificis Constitutionem:
„ „ Innocentius Episcopus &c. Cum occasione impressi-
„ onis libri, cui titulus, *Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi*
„ *Yprensis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit præsertim
„ in Gallijs controversia, super quinque ex illis; complu-
„ plures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut eas-
„ dem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de
„ unaquaq; earum certam & perspicuam ferremus senten-
„ tiam: Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum
„ nostrum assiduè pulsant, illa imprimis cordi est, ut Ec-
clesia

clesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum o- „
pinionum erroribus, tutò militare, & tamquam navis „
in tranquillo mari, sedatis omnibus tempestatum fluctibus „
bus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis „
portum pervenire possit. Pro rei gravitate, coram ali- „
quibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius „
congregatis, à pluribus in Sac. Theologia Magistris, eas- „
dem quinq; propositiones nobis oblatas, fecimus sigilla- „
tim diligenter examinari, eorumq; suffragia, tum voce, „
tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemq; „
Magistros, varijs coram nobis actis Congregationibus, „
prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differen- „
tes audivimus. „

8. Cùm autem ab initio hujuscemodi discussio- „
nis ad Divinum implorandum auxilium, multorum Chri- „
sti fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixisse- „
mus, postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per nos „
solicitè implorata Spiritûs Sancti assistentiâ, tandem Di- „
vino Numine favente, ad infrascriptam deuenimus de- „
clarationem & definitionem (sequuntur hîc Propositio- „
nes quinq; auctoritate Apostolica sigillatim damnatæ.) „

9. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus u- „
triusq; sexûs, ne de dictis Propositionibus sentire, doce- „
re, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti „
nostra declaratione & definitione continetur, sub Cen- „
suris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in ju- „
re expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, „
Archiepiscopis, Episcopis, alijsq; locorum Ordinarijs, „
nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradi- „
ctores, & rebelles quoscunq; per Censuras & pœnas „
prædictas, cæteraq; juris & facti remedia opportuna, „
invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij „
sæcularis, omnino còérceant & compescant. Non in- „
tendentes tamen per hanc declarationem & definitionem „

,, super dictis quinque propositionibus factam, approbare
,, ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto li-
,, bro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud S. Mariam
,, Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridiè
,, Calend. Junij, Pontificatûs nostri Anno nono. ,,

10. Huic Constitutioni adnexum fuit Rescriptum seu Breve Pontificis ad Universos Episcopos Galliæ in tenore sequenti: *Innocentius Papa X. Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem, Rectè, atq; ordine fecit Fraternitatum vestrarum pietas, quæ cùm in Ecclesijs Vestris propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione, turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc sanctum, quem elegit Dominus, ut Catholicam super his veritatem à Nobis quæreret. Nos igitur post longam acurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis, declaravimus ac definivimus hac Constitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea, sententiam Orthodoxæ fidei in gravi hoc negotio à nobis audietis; nec dubitamus quin futura sit cum populis Christianis salutaris, tum summoperè grata insigni zelo Fraternitatum Vestrarum, quibus benedictionem Apostolicam permanenter impartimur. Datum Romæ apud S. Majorem sub Annulo Piscatoris die* 31 *Maij* 1653. *Pontificatûs nostri Anno nono.*

11. Qualiter hæc Pontificis Constitutio unâ cum Rescripto in Gallia recepta, & quantis encomijs coronata sit, accipe ex alijs literis Episcoporum Parisijs Congregatorum, datis Anno 1653. Die 15 Julij, quarum de verbo ad verbum tenor, ut sequitur.

,, 11. Beatissime Pater. Optata pervenit ad nos
,, tandem Constitutio illa, quâ Vestræ Sanctitatis auctori-
,, tate, quid sentiendum sit de controversis quinque propo-
,, sitionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelij Iansenij Ypren-
,, sis Episcopi libris, perspicuè decernitur. Excitatæ in
,, Belgio contentiones, flagrabant etiam in Gallijs, & la-
tissi-

tiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, *ni peſti graſſanti & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat.* Agebatur de re magni momenti: de aditu ſcilicet ad ſalutem per neceſſaria Chriſtianæ gratiæ præſidia, & humanæ voluntatis adjumentis illis excitatæ ac fotæ conatus liberos; atq; de Divina Chriſti pietate, ac beneficentia in univerſum genus humanum. Hujus doctrinæ lucem, recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratam, priſtino nitori reſtituit, juxta veterem fidei regulam, ex ſcripturis & antiqua Patrum traditione, in Concilijs olim, & nuper authoribus Summis Pontificibus conſtitutam, prolatum à Sanctitate Veſtra, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, decretum.

12. Quo in negotio, illud obſervatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim; ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam, Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit. *Enimverò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta,* quæ in Decretali Epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozymi altera ad univerſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſq; cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini Noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex alijs priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adversûs Apolinarium, & Macedonium, *nondum ab ulla Oecumenica Synodo damnatos*, à Damaſo paulò ante jactis, Judicia, pro ſancienda regula fidei à ſummis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione, (ſive ſuam in actis relatio-

" nis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibu-
" erit) Divina æquè ac summa per Universam Ecclesiam
" auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio ipsius
" quoq; mentis obsequium præstare teneantur.

" 13. Eâ nos quoq; sententiâ ac fide imbuti, Roma-
" næ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Inno-
" centio X. viget, auctoritatem, debitâ observantiâ colen-
" tes, *Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine*
" *Vestra conditam*, nobisq; traditam ab Illust: Athenarum
" Archiepiscopo Nuncio Apostolico, & promulgandam
" curabimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atq; illius
" executionem apud fideles populos urgebimus. Neq; ve-
" rò pœnæ deerunt adversûs temerarios illius violatores,
" quæ à jure hæreticis infliguntur, quibus juxta Constitu-
" tionis tenorem, & Breve Sanctitatis Vestræ nobis dire-
" ctum, contumaces omnes nullo conditionum vel statu-
" um discrimine facto, perstringemus: præsertim cùm in
" Gallijs ad Episcopos in solidum isthæc cura pertineat,
" ubi nullos hæreticæ pravitatis Inquisitores constitui pati-
" tur mos antiqvus ex jure communi profectus.

" 14. Sanè spondere possumus Beatitudini Vestræ,
" nihil fore, quòd Decreto Apostolico, nostræq; in eo exe-
" quendo solicitudini moram afferre possit; præcipuè cùm
" Pijssimus ac Christianissimus Rex noster, cui Breve Apo-
" stolicum unà cum exemplo Constitutionis Illustrissimus
" Nuncius tradidit, interpellato quoq; Regiæ Majestatis
" præsidio, Nos ad illius Decreti executionem, Edicto suo
" ad nos dato, pro ea quam debet Ecclesiæ constitutis tui-
" tione, constanter hortetur: Et magistratibus universis,
" atq; cæteris sibi subditis, tum ad vim arcendam, tum ad
" amputandas quæ fortè possent ab Hæreseos reis excitari
" de foro competenti cavillationes, præcipiat, quatenus e-
" xecutionem illam omni studio & opera juvent, atq; tue-
" antur. Quare cùm Rex cælestis hac in causa fœderatum

habeat

habeat Regem terrarum (si fas ista loqui cum Sixto III.) „
Sanctitas Vestra per Petræ soliditatem; jam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de nova hæresi triumphos aget. Porro nos Innocentio X. *cujus ore Petrus locutus est*, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, Sacros inter Ecclesiæ fastos, quòd olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus: Cui optatissimam in longæva vita felicitatem apprecantur, qui sunt cum ea quâ par est veneratione B. P. Sanctitatis Vestræ Devotissimi & addictissimi Filij Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Galliæ in Parisiensi Urbe congregati. Anno, Die ut supra.

15. Hæc Gallicanæ Ecclesiæ Orthodoxi Præsules, Sanctorum Antecessorum suorum edocti exemplo, qui in causis fidei emergentibus, (ut ex continuis Controversijs sæculorum demonstratum est) ad Sedis Apostolicæ, fidei, & doctrinæ salutaris prototypum, tamquam ad Divinum semper in Petro loquens oraculum convenire soliti erant. Eandem hoc quoq; sæculo conveniunt, & decisione in fide obtenta, gratulantes gratias agunt, quòd pesti grassanti certissimam perniciem allaturæ obstiterit per Pontificem petita ex alto potestas, quæ sola potuit turbas illas reprimere, & discordantium in fide animorum collisionem compescere. Et ut olim quinto post Christum sæculo, Sancti Galliæ Patres, in Ceretio, Salonio, & Verano confessi sunt ad Leonem scribentes in Causa Eutychetis: *Quòd Apostolatûs vestri scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit: quòd per os Vestrum Dominus Noster IESVS Christus de Sacramento Incarnationis docet*: Et iterum: *Non desinimus Deo ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare, quòd tantæ Sanctitatis, tantæ fidei, tantæq; doctrinæ*

post Epist. 51. S. Leon.

 næ

næ Apostolicæ Sedi, unde fons & origo Religionis nostræ manavit, Antistitem dederit.

16. Sic laudatissimi hujus sæculi ejusdem Ecclesiæ Præsules, tanta Antecessorum exempla præ oculis habentes, retinentes quam ab illis acceperunt Catholicam fidem, & ne latum ungvem ab ea aberrare volentes, idipsum professi sunt in Innocentio, *Constitutionem Divini Numinis instinctu conditam* credendo & recipiendo; applaudentes, & magna in observatione habentes; quòd sicut Innocentius I. Pelagianam hæresim ad instantiam Episcoporum Africanorum damnavit olim, sic ad relationem Gallicanorum, aliam ex adverso Pelagianæ oppositam exuflaverit auctoritate ejusdem nominis Innocentius X. *Cujus ore Petrus locutus est.* *

* 2. parte Conc. Chalced.

17. Unde autem hæc pietas, unanimis sensus, consonaq; confessio Gallicanæ Ecclesiæ, de singulari Sedis Apostolicæ privilegio in dirimendis & terminandis fidei quæstionibus? Dant rationem ejusdem Ecclesiæ laudati Patres: quia *vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta*, nimirum quia anteactis, imò omnibus post Christum sæculis, omnes dispersæ per orbem Ecclesiæ, à sola Cathedræ Petri communione & auctoritate in perplexis controversijs, vel hæresibus subortis, decisionem exigebant, & resolutionem ultimam expectabant: quippe necdum nomen Concilij Oecumenici innotuerat, & jam Apostolica Sedes hæreticos proscribebat, & feriebat anathematismis, ut de Macedonio & Apolinario ipsi confitentur Galliæ Episcopi, à Damaso Pontifice judiciali peremptos sententia, licet à nulla Oecumenica Synodo damnatos, quia ei *Christiani omnes* (adijciunt illi) *ex officio, ipsius quoq; mentis obsequium præstare tenentur.*

PARA-

PARAGRAPHVS II.

Eadem Gallicana Ecclesia literis alijs Synodalibus profitetur, solius Pontificis Romani esse officij de fide judicandi, & damnandi Hæreses,

1. REvocandum in memoriam quòd Cap. superiore dixi; Post emanatam Constitutionem Innocentij X. quâ dogmata Iansenij inurebantur, illiusq; per Gallias promulgatio, non cessarunt continua dissidia & contentiones, quinimo majori impetu incendia eruperunt, acriter dimicantibus & certantibus ad invicem Sorbonicis, pro parte quidem Iansenij septuaginta & uno Doctoribus (licet pauci in Epistola recitanda dicantur) contendentibus, Propositiones dictas Constitutione Innocentianâ in quæstione *Iuris* proscriptas & condemnatas esse, non autem in *Facti* quæstione, sensu videlicet proprio Iansenij, in qua Ecclesiam falli posse docebant: Alijs ex opposito octoginta ex Clero, ex Regularibus Mendicantibus quadraginta Magistris propugnantibus, non tantùm in *Iuris* quæstione, sed in sensu quoq; proprio Iansenij Constitutionem Innocentij intelligendam.

2. His novis emergentibus tricis obicem ponere, & redivivis litibus finem dare studentes Galliæ Episcopi, Synodum aliam deponunt Parisijs, in qua, definitione sanciunt, Constitutionem dictam Apostolicam in utraq; quæstione tenendam, & observandam, atq; sub pœnis adversûs hæreticos latis, per Galliam omnino exequendam; conficiuntq; hujusmodi Epistolam Encyclicam ad omnes Diœceses, & ad absentes Archiepiscopos, & Episcopos, existimantes hâc Sanctione suâ, jam ampliùs motus non profuturos: Alteram scribunt Pontifici

Innocentio pro probando & stabiliendo eo, quòd ab illis super *facto* Synodaliter sancitum & definitum erat. Placeat recitare verba propria Synodicæ Epistolæ,

„ 3. *Beatissime Pater*, Post promulgatam ab Universis Galliarum Episcopis Sanctitatis Vestræ Constitutionem, quâ quinque Propositiones ex libris Cornelij Iansenij Yprensis Episcopi excerptæ damnantur, nihil aliud expectandum videbatur, præcipuè à Gallis, *qui in Sede Apostolica colenda semper potiores fuerunt*, quàm ut purâ & non fucatâ concordiâ, in veræ fidei unitatem omnium animi conspirarent. Sed dissidiorum auctor tam singulare, & pijs omnibus summopere expetendum bonum Gallijs invidit: quòdq; palam obtinere non poterat, nempe ut à debita Sedi Apostolicæ reverentia, per apertum Constitutionis editæ contemptum recederetur; callidis molitionibus, ad simplicium & incautorum mentes subvertendas aggredi tentavit. Quare ad munus Episcopale pertinere putavimus, recens excitatas à Clericis numero paucis contentiones, definitione nostra compescere: quâ Constitutionis Apostolicæ integra executio, quæ nobis commissa est, adversùs alienas à vero illius sensu expositiones, sanciatur. *E vetere fidei deposito, cujus custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est, partem adimere tentant*; Decreti Apostolici majestatem, ad finctas controversias dirimendas turpiter deijciendo. Quinque etenim Propositiones Decreto illo proscriptas, damnare se quoq; profitentur; sed alio planè sensu, quam qui à Iansenio traditus & explicatus est, ad quem Propositiones illas nullatenus pertinere constantissimè asserunt. Hac arte restaurandis disputationibus ijsdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.

„ 4. *Quare ut his incommodis præverteretur, & Constitutioni auctoritas sua constaret, atq; sincera ejus executio sequeretur,*

retur; Nos in hac urbe Pariſienſi congregati cenſuimus, & per Epiſtolam Encyclicam his literis adjunctam declaravimus, Propoſitiones illas & opiniones, eſſe Cornelij Ianſenij, & in ſenſu ejusdem Ianſenij, à Sanctitate Veſtra damnatas diſertis & manifeſtis verbis. Quam enim Auctor ille uſurpatione privata, novam doctrinam ſub ſpecie veteris inducebat, *neceſſum fuit, ut Apoſtolica Sedes, judicio lato, ex publica & antiqua Eccleſiæ traditione refelleret*: ne Chriſtianæ fidei doctrina, pravis ab illo ſcriptore ad teſtimonia veterum Patrum quos laudat, adhibitis interpretationibus obrueretur. Nihil quippe aliud egit Conſtitutione ſuâ Innocentius X. quàm ut auctoritatis ſuæ præſidio antiquam fidem muniret, *non dicendo nova*, *ſed dicendo novè*, juxta receptas in ſcholis Theologiæ locutiones, quibus Ianſenius quoq; utitur. Eo pacto Beatitudo Veſtra liquidò explicuit, atq; confirmavit, regulam fidei de gratia & libero arbitrio, quam ex parte priùs asſertam adversûs Manichæos, quòd attinet ad arbitribij libertatem, poſtea Deceſſores Veſtri Innocentius I. & Zozymus cooperantibus Africanorum Conciliorum literis contra Pelagianos plenè conſtabiliverant: quamque deinde Celeſtinus I. ac Concilium Arauſicanum, juxta Capitula à Sede Apoſtolica tranſmiſſa, & ſuperiori ſæculo Tridentinum ſolicitè, atq; diligenter enucleatam definiverant.

5. Quapropter & Conſtitutionem ordine Canonico latam, atq; genuino in ſenſu intellectam, quem literæ iſtæ patefaciunt, *devotiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur*: præterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ noſtræ ſubditus, impunè contraria Veſtris definitionibus docere, ſcribere, aut loqui præſumat; pœnis in hæreticos à jure decretis, alioquin à nobis ſtatim puniendus. Ex qua concordi omnium ſententia, ſubſcriptionibus noſtris firmata, Beatitudo Veſtra facilè intelliget,

„ get, nulli è Collegio nostro propositum fuisse, ut aliquid
„ dignitati Constitutionis adversum proferret, aut scribe-
„ ret: quinimò *destinatum esse nobis, plenissima veneratione*
„ *Sacram B. Petri Sedem & Sanctitatem Vestram colere*: Cui
„ prosperos & felices annos vovent, qui sunt cum ea, quâ
„ par est observantiâ. Sanctitatis Vestræ, Devotissimi &
„ addictissimi Filij, Cardinales, Archiepiscopi, & Episco-
„ pi Galliæ in Parisiensi Urbe congregati die 28 Martij A.
„ D. 1654. „ Hucusq; Epistola Synodica Gallicanæ Ec-
clesiæ.

6. Quam si lector observaverit diligenter, comperiet proculdubiò, non alio fine ejusdem Ecclesiæ Præsules ad hanc Synodum congregatos fuisse, quàm defendendæ auctoritatis & jurisdictionis Apostolicæ causâ, ut per eam altercationes compescantur, & recta Christianæ fidei disciplina stabiliatur. Quæ cùm operâ eorum sedari haud poterant, iterũ consultatione Synodali deposita, more Antecessorum suorum meritò existimarunt, Sedem Apostolicam interpellandam, *qui in ea colenda semper potiores fuerunt*. Nobis quoq; *destinatum esse* (inquiunt) *plenissimâ veneratione Sacram Beati Petri Sedem, & Sanctitatem Vestram colere*: eâ nimirum ex causa, quòd Laudatissimi Galliarum Episcopi absq; dubitatione scirent, ipsam Apostolicam Sedem esse turrim David, in qua sunt mille Clypei & omnis armatura fortium; ab ipso præcipuo Ecclesiæ vertice sibi arma comparanda duxerunt, quorum vel uno ictu conficerent Rebelles Iansenij Defensores, turbatoresq; confoderent omnes, atq; adeo sertam tectamq; conseruarent in Gallijs à Majoribus acceptam fidem, & Ecclesiasticam pacem ac Unitatem, quam ex vetustis Patrum Traditionibus proditam, & à Sede Petri custoditam, professi sunt ijdem Gallicani Præsules hâc eâdem Synodali Epistolâ: *Ex vetere* (inquiunt) *fidei deposito, cujus custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est,*

est, partem adimere tentant. Quare ut his malis præverteretur, & Constitutioni auctoritas sua constaret: Nos congregati: censuimus: has propositiones, & opiniones: à Sanctitate Vestra damnatas: quæ ut iterum Decreto suo proscriberentur, ad dandam videlicet Galliæ pacem, & turbas sepeliendas, eâdem subjungunt Epistolâ: *Necessùm fuit, ut Apostolica Sedes judicio lato, & publico, ex antiqua Ecclesiæ traditione refelleret: ne Christianæ fidei doctrina pravis interpretationibus obrueretur.*

7. Huic Synodicæ Epistolæ adjuncta fuit alia Encyclica ad Archiepiscopos & Episcopos absentes ordinata, quæ ejusdem Pontificis Innocentij Censuræ & judicio subjecta est. Ejus tenorem hîc reproducendum censui, ut advertat Lector, quanti, Constitutionem Apostolicam ejusq; auctoritatem Galliæ Episcopi hoc sæculo fecerint. „ *Reverendissimis ac Religiosissimis DD. Archiepiscopis & Episcopis per Gallias Fratribus Observandissimis. Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Parisijs agentes, salutem in Christo & felicitatem.* „ Quòd B. quondam Augustino, „ & alijs Concilij Carthaginensis, & Milevitani Patribus, „ magnis illis Divinæ gratiæ defensoribus assertoribusq; „ contigit, idem nunc prorsus evenisse nobis videtur. „ Sperabant illi, sed frustra, post librum quendam, cujus „ Auctor scriptorq; fuerat Pelagius. ab Innocentio I. Papa „ *anathematizatum & damnatum, Pelagianos non ausuros ulterius de gratia, illa perversa & perniciosa sentiendo loquendoq́, pectora fidelia, & simpliciter Christiana turbare, sed tanti Præsulis auctoritati cessuros.* „ August. „ Epist. 91 „ & 95. Et spes quoq; nobis erat homines illos, qui se Cornelij Iansenij Episcopi Yprensis amatores sectatoresq; profitentur, post ejus ab Innocentio X. anathematizatas & damnatas quinque propositiones, desituros tandem ab omni motu atq; cum suo ille „ Decreto *imperasset ventis futuram* in Ecclesia *tranquillitatem magnam*. Sed contra planè quàm expectatũ à nobis fuerat, „

acci-

„ accidit: mirariq; satis non possumus, *post æquissimam Sanctissimamq; Constitutionem illam*, quâ Beatissimus Papa Innocentius X. prædictas quinq; propositiones damnavit, & ijs quidem verbis, quibus nihil dici potest expressiùs, nihil clariùs, homines illos affirmare, imò & persvadere alijs velle, res duas, vanas omnino & inanes; alteram, quinque propositiones illas non esse Iansenij: alteram, damnatas esse eo in sensu, qui ad Iansenium nihil pertineat. Potest enim quicquam esse absurdiùs, quàm tueri id velle, cui refellendo revincendoq; nihil opus sit multis rationibus, nihil disquisitione etiam mediocri aut levi, *sed solâ Pontificiæ Constitutionis, quæ per seipsam rem totam apertè dirimit, lectione?*

„ 8. Et quidem cùm ejusmodi sint duæ res illæ, ut multis videri possint ipsæ per se & sponte suâ ruituræ, atq; adeo spernendæ prorsus & negligendæ: Nobis tamen, quibus compertum est eas ignorantibus infirmisq; non paucis esse offendiculo, quibusq; pro muneris nostri ratione præsertim incumbit, ut tollamus omnia scandala de Regno Dei, visum fuit occurrendum esse huic malo, comprimendumq; maturè hoc virus, quod jam aliquos occupavit. Quòd ut fieret acuratiùs, & pro ea quâ par erat gravitate dignitateq;, quotquot in hac Urbe Regni primaria negotiorum Ecclesiasticorum causâ fuimus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, collecti in unum censuimus, hoc quicquid est rei, committendum esse curæ ac diligentiæ Illustrissimorum, Reverendissimorumq; Fratrum nostrorum Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tholosani, & Episcoporum Edvensis, Montalbanensis, Redonensis, Carnotensis: sic tamen, ut quicquid inter se ipsi legissent, observassent, sensissent, referrent ad nos. Iis verò ex ipsa Constitutionis lectione, atq; insuper ex opere Ienseniano, quò etiam quantùm ad quinque illas propositiones attinet, studiosè lege-

legerunt expenderuntq́; (*quanquam sola per se ad id sufficiat Constitutio*) manifestùm & perspectùm fuit, illas quinque propositiones verè esse Iansenij, & damnatas esse in vero ac proprio verborum sensu, & eo planè quo à Iansenio traduntur & explicantur. Atq́; cùm ad ipsi ad nos, scilicet in unum rursus congregatos, retulissent, & à nobis quoq́; idem cognitum & exploratum fuisset, declaravimus, & hoc nostro judicio declaramus, rem planè ita se habere, & nullum dubitandi esse locum.

9. Quare & eos, qui quinq́; illas Propositiones tuentur aut approbant, verè esse ex eorum numero, *quos Innocentius X. suâ illâ in Constitutione vocat contradictores, & rebelles, & quos vult à Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per Censuras & pœnas, contra hæreticos & eorum fautores, in jure expressâs; omnino coërceri & compesci*. Id verò nos omnes, quantùm in nobis quidem erit, effecturi sumus: rogamusq́; quotquot hinc absunt, Gallicani Cleri dilectissimos, & Religiosissimos Fratres nostros, ut idem quoq́; pro virili præstent, ut sic idem omnes sentiamus secùndum JESUM Christum, & unanimes atq́; uno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri JESU Christi; ædificemus Ecclesiam Dei: atq́; adeo nos ipsos, & eos qui nos audiunt, curæq́; nostræ sunt ab ipso commissi, salvos faciamus. Dat. Parisijs, die 28 Martij Anno Dñi 1654. ,,

10. Hâc Encyclicâ Epistolâ (quâ laudatæ Constitutionis Innocentianæ executio continebatur, & cujus probatio à Pontifice tamquam ultimum quæstionis resolutorium desiderabatur) jam jam sperabant Galliæ Præsules & quidem justò, exuflandos Iansenij Asseclas, quinque ejus propositiones *ad Iuris* quæstionem tantùm detorquentes, & vindicantes easdem *in Facti* quæstione. Et sanè peremptorius finis omnibus litibus impositus fuisset, si Pontifex Innocentius in Rescripto suo ultimo, *fa-*

cti mentionem fecisset. Laudavit quidem dictus Pontifex locupletissimo literarum testimonio Episcoporum zelum, hortatusq; est, ut studio, & conatu prorsus unanimi conspirantes in Domino, in id sedulò operam dent, quòd opportuniùs validiùsq; contulerit ad executionem stabiliendam suæ Constitutionis, atq; Decreti circa præfatas propositiones lati: nihil tamen Summus Pontifex determinavit expresè, his postumis literis suis, an Constitutio illa in Materia quoq; *Facti*, & in proprio sensu Iansenij esset intelligenda: Quare nedum in Gallijs sopitæ turbæ; utiq;, quòd non nisi mucrone Apostolicæ potestatis erant perimendæ.

PARAGRAPHVS III.

Ecclesia Gallicana iterum provocat ad Apostolicam Sedem, tamquam ad ultimum Fidei Resolutorium, in Facti quæstione, Propositionum Iansenij.

I. NOn ad Ecclesiam Congregatam, per Concilium Generale repræsentandam, recurrunt Gallicani Antistites in gravissimo Fidei negotio, sed solam denuo interpellant Romanam Apostolicam Sedem, ut illius duntaxat auctoritate, cum causa & error finiatur, ac tandem pacis turbatores, & propugnatores Iansenij, eàdem Apostolicâ potestate concutiantur. Post datam quippe Epistolam Encyclicam, & receptum ultimum Rescriptum Innocentij, quo credebantur extingvendæ reliquiæ Iansenismi, minimè cessârunt contentiones, & disputationes perniciosæ, de dictis propositionibus super *facti* quæstione, eâ videlicet ex ratione: quòd in Rescriptis Innocentij omnibus, damnatio propositionum *in proprio*

sensu

sensu Iansenij per expressum in terminis istis non continebatur, nullam enim mentionem super *Facti* quæstione Adversarij audierant, sed simpliciter tantùm, ut jacent, damnatas, & pro hæreticis declaratas propositiones. Et licet eâdem Encyclicâ Epistolâ, Gallicanæ sensus Ecclesiæ satis constiterit, Constitutionem Innocentij, non tantùm ut jacent, sed etiam in proprio sensu Iansenij esse intelligendam: nihilominus Fautores Iansenij, qui damnationem Decreto Apostolico contentam, recipiebant; interpretationem Ecclesiæ Gallicanæ Synodaliter factam, in Materiâ *Facti* reijciebant; atq; adeo certabant continuò, propositiones dictas in alio, à Iansenio, sensu, Diplomate Apostolico proscriptas.

2. His protervis altercationibns majora mala Galliæ minitantibus, jam tandem finem dare, & pacem in Regno stabilire, omni meliori modo studentes Galliæ Præsules, iterum Synodum deponunt Parisijs Anno 1656. in eaq; constituunt, literis Synodalibus flagitare Pontificem Alexandrum VII. Innocentij Successorem, ut fluctus illos quibus hactenus concutiebatur Gallia, pietate sua ipse superet omnes. Lege Conventûs Gallicani hujus, Synodalem Epistolam tenoris sequentis.

3. *Beatissime Pater.* Non obscura sunt Divina Numinis consilia, cur Beatitudinem Vestram ad Episcopatûs apicem, id est Apostolicæ Sedis Principatum, suffragantibus omnium votis, evexerit. *Intererat quippe rei Christianæ, ut is unitatem Ecclesiæ his difficillimis temporibus regeret, qui pietate sua; cœleste præsidium fidelium gregi promereri posset; atq; prudentiâ suâ, æquè ac constantiâ, fluctus illos superare, quibus Petri navis, cujus clavo feliciter tenendo admotus est, atrociter concutitur.* Nos sanè qui à Christo Domino in partem solicitudinis vocati sumus, ministerio nostro id egimus superioribus annis, apud felicis memoriæ Innocentium X. ut Constitutionem ederet, quâ motus in Gallia

„ excitati, ob Iansenij Yprensis olim Episcopi doctrinam „ certis capitibus comprehensam, cōpescerentur. Promulgatum à Gallicanis Episcopis Decretum, studiosè amplexi sunt fideles populi, demptis paucis, qui de Iansenij doctrina nihil constitutum fuisse palam cùm simularent, intimis animorum sensibus, ex illius damnatione urebantur. Horum cavillationes sine mora comprimendas rati, judicio suo decreverunt Religiosissimi Episcopi, quinq; propositiones illas ad Iansenium pertinere, ejusq; opiniones fuisse proscriptas. Quam suam sententiam cùm retulissent ad eundem Pontificem Maximum, illam humanissimis verbis non solùm probavit, sed auctoritatis Apostolicæ pondere de integro confirmavit, Brevi dato ad hunc Cleri Gallicani Cætum, qui tunc propediem cogendus erat, nisi moræ quædam obstitissent.

„ 4. Porro dum Conventum agimus, primum nobis studium fuit tuendæ Religionis, quam ab infestis Calvinianæ hæreseos sectatorum molitionibus vindicare curavimus, impetrato à Clementia Christianissimi Regis nostri edicto, quo nefarios illorum conatus repressum iri nobis meritò pollicemur. Priorem curam excepit alia illi germana ob erroris societatem de profliganda Ianseniana doctrina, Brevis Apostolici majestate, quod frequenti cætu legi, promulgari, in acta redigi, omniumq; subscriptionibus muniri decrevimus. *Eâdem sanè mentis alacritate illud suscepimus, quâ Concilij Africani Patres ab ipsis expetitam Zozymi Epistolam amplexi sunt: quæ Pelagij atq; Cælestij errores, quos clanculum propagabant, peremptorio decreto prostravit.*

„ 5. Iisdem artibus grassantur novæ sectæ discipuli: ac præterea ut à Capitibus suis fulminis Apostolici amoliantur ictum, (licet obfirmato animo quinq; propositiones Iansenio iterum abjudicent) *ad Facti* quæstionem; in qua Ecclesiam falli posse docent, controversiam deducere ni-

re nituntur. Quas ingeniorum versutias vera pruden- „
tiâ; verborum complexione infregit Breve Apostolicum: „
quod tricis illis syllabarum ad umbratiles scholarum di- „
sputationes relegatis, decisionisq; auctorirate ad *Iuris* „
quæstionem restrictâ doctrinâ Iansenij, quam opere illo „
suo explicuit, in Propositionum confixarum materia, „
Pontificiâ Constitutione damnatam fuisse declarat. At „
enim ut se damnationi subducant, celeberrimum B. Au- „
gustini nomen obtendunt, cujus doctrinæ profitentur se „
esse sectatores, repudiato etiam, si res eorum ita ferant, „
ipso Iansenio. Hujus tamen pravas & detortas, quas „
ad Doctoris egregij locos adhibent, interpretationes am- „
plectuntur; sicq; Magistrum illum optimum à Cælestino „
laudatum, dum verbis colunt, adultero sensu violant. „
Quòd à nobis adnotari oportuit, in actis de Brevis pro- „
mulgatione confectis, ut eorum calliditatibus iretur ob- „
viam, quibus incautorum & simplicium animis illudunt, „
ac si Augustinum assererent ipsi: à cujus tamen sententia „
pertinaciter descendunt, quæ per Constitutionem de ijs, „
quæ sunt regulæ fidei adversa, latam, constabilita est; „
sicq; in priorem illam fulguriti Ianseniani erroris damna- „
tionem recidunt. „

6. *Totam videremur debellati hostis gloriam in Decesso-* „
rem refudisse, nisi constanter orbi Christiano, quis tunc fuisset „
particeps curarum, & præcipuus rerum administer, quem Pa- „
rens optimus ad laudis ex hoc egregio facinore partæ, commu- „
nionem adscivisset. Decoris istius pars maxima pertinet „
ad Sanctitatem Vestram, quæ quidem cùm suis nunc au- „
spicijs *res Ecclesiæ Vniversæ inexhaustâ solicitudine gerat, illud* „
augere pergat meditatâ, & uberiore si opus sit, Catholici dogma- „
tis illustratione. Nos sanè officio nostro non deerimus, nec „
reliqui Episcopi, quos Encyclicâ Epistolâ monuimus, de „
rebus in hoc Conventu actis, deque ijs, quæ nobis ge- „
renda videntur in Provincijs, ut fideles omnes, obsequio „

„ suo & usu, Constitutionem firment, pœnis alioquin à
„ jure Decretis adversùs hæreticos Episcopali judicio co-
„ ercendi. Finita est causa Rescriptis Apostolicis, utinam
„ finiatur & error, si licet verbis Augustini vota nostra
„ concipere. quorum compotes erimus, si Alexandri VII.
„ Pontificis Maximi Sanctitas, juxta veterem ritum, Divi-
„ no Numini illa consecraverit: à quo vicissim longævi-
„ tatem Beatitudini Vestræ studiosissimè postulant, qui
„ sunt cum ea, quâ par est reverentia. Obsequentissimi
„ & devotissimi Filij vestri, Cardinales, Archiepiscopi, E-
„ piscopi, & Ecclesiastici viri, in Generalibus Cleri Galli-
„ cani Comitijs congregati Die 2 Septemb. 1656. „

7. Jam constat ex hactenus recitata Epistola, Gallicanos Antistites Seditiones in Gallia ortas, & prosecutas post Innocentij Constitutionem, tot expansis laboribus, per se solos sedare & superare haud potuisse, sed potestatem Apostolicam in Alexandro VII. denuò requisivisse, ut ipse pro pietate sua, atq; prudentiâ, valeat *fluctus illos superare, quibus Petri navis, cujus clavo feliciter tenendo, admotus est; atrociter concutitur.* Et quia interpretationes Decreti Apostolici in *Facti* materia, Synodaliter licet factæ, minimè proderant sectatoribus Iansenij; Canonibus namq; jubentibus de majoribus causis absq; Romano Pontifice, Episcopos nihil debere agere, ut confessi sunt Ægypti, Libiæ, & Thebaidæ Patres in Alexandrina Synodo congregati, Epistolâ ad Felicem Papam: Et antiquissima tradit Ecclesiæ regula, jam superiùs recitata, *majores & difficiliores quæstiones, semper ad Apostolicam Sedem deferendas.* Hâc methodo usi Gallicani Episcopi, addunt hâc eâdem Epistolâ ad Pontificem, ut ipse *res Ecclesiæ inexhaustâ solicitudine gerat, illud augere pergat, meditatâ, & uberiore, si opus sit, Catholici dogmatis illustratione*; Opus sine dubio erat, illustratione majori, & de-

clara-

claratione, nimirùm ut Constitutio illa, quâ errores damnabantur, ejusdem Sedis auctoritate interpretaretur: *vetus Ecclesiarum consuetudo suadet* (inquit Concilium Ephesinum jam relatum) *ut ejusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur: digneris igitur quid hîc sentias præscribere, quò liquidò nobis constet*: de Nestorij hæresi quæstio ibi non erat, quæ pariter cum Persona, Cælestini sententiâ, Romæ jam ante proscripta & condemnata fuerat; de communione tantùm agitabatur, communicare ne cum illo oporteat? vel liberè eidem denunciare, ut nullus cum eo communicet? non audent tamen tantæ Synodi Patres, nec Patriarcha Cyrillus, Delegatam à Sede Apostolica licet habuerit auctoritatem, absq; interventu Romani Pontificis hâc in parte judicium ferre, vel sententiam Cælestini interpretari: *Ad hanc enim Sedem necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio*; inquit Gallorum decus Iræneus adversùs Hæres. lib. 3. Cap. 3. ut solutionem ibi quisq; accipiat suam.

8. Hâc resolutione ac declaratione Apostolicâ, Gallia quoq; opus habebat ad dirimendas lites in *Facti* quæstione propositionum Iansenij, motusq; sedandos finaliter, quibus nisi Alexander VII. innovatâ Innocentij Constitutione, & aliâ à se conditâ, obstitisset; nefaria pestis tot annis per Gallias grassans, haud eradicata & exstincta fuisset. Dedit itaq; Pontifex Alexander aliud Decretum; Sanctæ fidei, ac Sacrorum dogmatum consulendo integritati, quo declaravit, damnationem præfatarum quinq; propositionum in *sensu proprio* Iansenij esse intelligendam. Incipit hæc Constitutio *Ad Sacram B. Petri Sedem* ubi repetitur Decretũ Innocentij, post cujus recitationem, hæc ab Alexandro adjunguntur.

9. Cùm autem sicut accepimus, nonnulli iniqui- „
tatis Filij, prædictas quinq; propositiones, vel in libro „

præ-

„ prædicto ejusdem Cornelij Iansenij non reperiri, sed fictè „ & pro arbitrio compositas esse: vel non in sensu ab eo„ dem intento damnatas fuisse, asserere, magno cum fi„ delium scandalo, non reformident. Nos qui omnia, „ quæ hâc in re gesta sunt, sufficienter & attentè perspexi„ mus, ut potè qui ejusdem Innocentij Prædecessoris jussu, „ dum adhuc in minoribus constituti Cardinalatûs munere „ fungeremur, omnibus congressibus interfuimus, in qui„ bus Apostolicâ auctoritate, eadem causa discussa est, eâ „ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset; „ quamcunq; dubitationem super præmissis in posterum „ auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fi„ dei unitate sese contineant: ex debito nostri Pastoralis „ officij, ac maturâ deliberatione, præinsertam Innocentij „ Prædecessoris Nostri Constitutionem, declarationem, & „ definitionem, harum serie, confirmamus, approbamus, „ & innovamus, & quinq; illas propositiones, ex libro „ præmemorati Cornelij Iansenij Yprensis, cui titulus *Au-* „ *gustinus* excerptas, ac *in sensu ab eodem Cornelio intento* da„ mnatas fuisse declaramus, & definimus; & uti tales, in„ ustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædicta decla„ ratione & definitione, unicuiq; illarum sigillatim inuri„ tur, iterum damnamus.

„ 10. Ac eundem librum sæpe dicti Cornelij Ianse„ nij: omnesq; alios tam manuscriptos, quam typis edi„ tos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in qui„ bus prædicta ejus Cornelij Iansenij doctrina ut supra da„ mnata defenditur, vel adstruitur, aut defendetur vel ad„ struetur, damnamus itidem atq; prohibemus. Mandan„ tes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam „ teneant, prædicent, doceant, verbo vel scripto exponant, „ vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel oc„ cultè imprimant, sub pœnis & Censuris contra hæreticos „ in jure expressis ipso facto absq; alia declaratione in„ currendis.

11.

11. Præcipimus igitur omnibus VV. Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; locorum Ordinarijs, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam Innocentij Prædecessoris Constitutionem, declarationem, & definitionem, *juxta præsentem nostram determinationem*, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis, alijsq; juris & facti remedijs, invocato etiam si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, omnino coërceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1656. Kalend. Novemb. Pontificatûs nostri Anno primo. „ hucusq; Constitutio declaratoria Alexandri.

12. Hâc Constitutione perceptâ Gallicani Episcopi, ut olim quadraginta quatuor ejusdem Ecclesiæ Patres in Gallia Narbonensi congregati, de Epistola S. Leonis Encyclica, quinto sæculo memorata, locuti sunt: *Exultavimus Christo propitio lectis Beatitudinis Vestræ literis, & omni instructione patefactâ, omnes intra Gallias constitutos, exultare fecimus; ad confundendos hæreticorum errores: doctrinæ post Deum vestræ, debet quisq; fidelis, ut constanter teneat, sequatur, & credat*: sic & isti Laudatissimi Præsules, Decreto Alexandri perlecto, miras in laudes effusi sunt, gratulantes atq; gratias agentes, quòd DEUS voci suæ vocem dederit virtutis, & quasi tuba exaltaverit vocem ad prostrandos & retundendos omnes impetus Iansenianæ sectæ, dum vigilantiâ & solicitudine suâ discussit artes, & profligavit errores Iansenij, atq; è finibus Galliæ exules reddidit. Hæc & similia ex proprijs ipsorum verbis inferiùs recensendis percipiet quisq;, intelligetq; clarissimè quid Ecclesia Gallicana hoc ultimo sæculo de Romano Pontifice docuerit? quid crediderit? & quid de auctoritate illius in proscribendis hæresibus, & judiciaria

potestate, in tabulis nunquam perituris ad æviternam memoriam, scripto reliquerit.

PARAGRAPHUS IV.

Eadem Gallicana Ecclesia, postremis literis Synodalibus, in Causa Ianseniј, recognovit, ultimum à Successoribus Petri quærendum esse refugium, in negotio Fidei.

I. ACcepto supradicto ab Alexandro Rescripto, quô Constitutionis Innocentianæ innovatio, & ipsius Alexandri de quinque propositionibus in sensu proprio Iansenij damnatis, declaratio definitiva continebatur; toto studio, omniq; conatu curarunt Galliæ Patres, implorato etiam Regiæ Majestatis auxilio, ut prædicta Alexandri Constitutio, tamquam Sacrosanctum dogma fidei, daretur executioni; quòd ut faciliùs sine tergiversatione fieret, procurant à Rege Generale Edictum, ad Magistratus Galliæ universos, quo præcipitur subditis sibi omnibus, ut ad præscindendas, & impediendas, quæ oboriri possint ab Hæreseos reis, in contraventionem Decreti Apostolici, difficultates, executionem illius omni operâ juvent, & zelo tueantur.

2. Subsecuta igitur fuit præfatæ Constitutionis publicatio per Gallias, & lites omnes hoc in negotio credebantur esse finitæ, atq; sepultæ; sed cuncta ista specie tenus tantùm pacata reddebantur, pluribus clanculum, & pâlam postea mussitantibus, Ecclesiam in *Facti* quæstione, privilegium infallibilitatis non habere, adeoq; in terminandis ejusmodi propositionibus falli posse, asserebant; & sensus alios Catholicos, interpretandis illis propositionibus, dare volebant: Cùm tamen hæc Iansenij Materia ad *Iuris* quæstionem fuerit revocata, & de *Iure* utraq;

utraq; Apostolica Constitutio intelligenda, ut ipsi Gallicani Episcopi confessi sunt in Epistola ad Alexandrum, supra relata: *Breve Apostolicum: quod tricis illis syllabarum, ad umbratiles scholarum disputationes relegatis, decisionisq; auctoritate* ad Juris quæstionem, *restricta doctrina Iansenij, quam opere illo explicavit, in Propositionum confixarum Materia, Pontificiâ auctoritate damnatam fuisse declarat.*

3. Et aliàs in Controversia septimi sæculi Parag. 3. memoratum, Materias *Facti*, ad *Iuris* quæstionem plerumq; reduci, quando ex ipsius Auctoris scriptis, sensus hæreticus apertè eruitur, unde execrans v. g. aliquis, Lutheri doctrinam, & existimans hæreticam ejus non fuisse mentem, sed sensum Catholicum habere posse, non tantùm hæreticus ille censendus esset, sed & temerarius dicendus, cùm ex ipsius doctrina Lutheri, sensus hæreticus manifestè colligitur, atq; adeo sufficere *Iuris* infallibilitatem ad proscribendos ejusmodi errores, plectendosq; anathematismis obstinatos Auctores. Aliud est de Materia *Facti* puri, à sola hominum informatione dependentis, quæ interdum Ecclesiæ Judices fallere potest; sed hæc ad præsens de Iansenio non occurrit, cùm ex doctrina illius, sensus propositionum hæreticus, & doctrinæ Catholicæ omnino obvius, clarissimè cognoscatur. Quare à rectitudinis regula, non sine temeritatis nota, illi deviabant, qui propositionibus istis manifestè hæreticis, sensus Catholicos novos excogitare, & affricare futiliter studebant.

4. Hæc innovata Doctorum aliquorum deliramenta, quibus vera & sincera executionis via Decreti Apostolici præcludebatur, & Propositionum damnatio, doctrina Iansenij, atq; fides Catholica, duabus Pontificum Romanorum Constitutionibus tradita, in dubium vocabatur, ex Gallijs excutere, & dogma Orthodoxum auctoritate Apostolica præscriptum, in Regno stabilire volen-

tes Galliæ Episcopi, tollereq; de medio tritici zyzania; deponunt iterum Synodum Parisijs Anno 1661. in qua constituunt unanimiter, Apostolicam Sedem denuò interpellandam, ibiq; ultimum quærendum refugium, ut nimirum illius Constitutio genuinè exequi, & lues Ianseniana tandem à Finibus Galliæ depelli possit: conficiuntque ad Alexandrum Synodalem Epistolam; ex qua, ut observet Lector, quis sensus Gallicanæ Ecclesiæ Præsulum ultimus, hoc sæculo extiterit, de inerrabili judicio Apostolicæ Sedis, in profligandis & exuflandis hæresibus sine ullo Congregatæ Ecclesiæ adminiculo? & quanti Constitutionem præfatam Alexandri fecerint? quidve de ea fuerint interlocuti? eam proprijs ipsorum verbis hîc reproduco, quam, magnitudo exigit argumenti.

5. *Beatissime Pater. Ad Petri Sedem per nos accurrit* „ *Ecclesia Gallicana*, jam pridem tuoq; obsequens Decreto, „ quâ par est vigilantiâ, & labore solicitè curat, ut proscri- „ pta jam pridem à Sanctitate Tua, Iansenij dogmata pro- „ cùl è Galliæ finibus exulent. Ad eam enim novimus re- „ ferri debere, ut ajebat Innocentius I. quòd per totum „ mundum possit in omnibus Ecclesijs in commune pro- „ desse. Quòd præcipuè locum habet in his quæ spectant „ ad exequendum Apostolicum rescriptum tam salutare „ Reipublicæ Christianæ, quàm Tibi magnificum, quo „ quinq; propositiones è Iansenio excerptas prolocutus es, „ damnatas esse ab Antecessore tuo in sensu ab Auctore in- „ tento. Jam dudum Montium tuorum altitudo, primos „ divini solis excipiens radios coruscabat in illo Eminen- „ tissimorum Purpuratorum Procerum cætu, è quibus Do- „ minus illuminat tamquam à montibus æternis, & turban- „ tur insipientes corde, unde adscitus es à Decessore tuo, „ ut doctissimus fidei nostræ Mystes, ad efferenda ex divinis „ Ecclesiæ adijtis dogmata, & ad enucleandos hæreticos „ qui in Iansenio latebant, sensus.

6. Sci-

6. Scimus te Summi hujus Pontificis consiliorum & curarum fuisse participem: Tuam opem in hoc negotio valdè fuisse probatam, Teque non minùs feliciter, quàm strenuè laborasse; ita ut, sicut quondam Prosper de studio Africanorum Conciliorum in profliganda hæresi Pelagiana dicebat, *tuâ industriâ discussæ artes, utriusq; retectus sit hæretici sensus.* At postquam supra montem illum, qui est in vertice montium, ascendisti, ut evangelizares sion, vox Domini in manu forti; quippe *dedit Deus voci tuæ vocem virtutis in Beatitudine Tua, quæ locuta est, sicuti potestatem habens*; clamavit & quasi tuba exaltavit vocem suam, ad retundendos omnes impetus Iansenianæ sectæ. Hoc patuit, cùm incipientes Summi Pontificij Tui curas onerasti ad exquirendas omnes hujus hæreticæ pravitatis versutias, editâ tuâ Constitutione, quam Episcopi Gallicani in posterioribus Comitijs officio suo incumbentes, summâ erga Tuum Apostolatum reverentiâ receperunt, quem Valentinianus divinæ Fidei Principatum appellat, & fidem explicatam in illis quinq; propositionibus, *non à Te inventam, sed Tibi à Deo creditam*, cujus exaltatio, fuit tua provectio, proprijs subscriptionibus firmaverunt; & ab omnibus Episcopis, eorumq; mandato, ab omnibus Presbyteris, & inferioris gradûs Clericis tam exemptis, quàm non exemptis, firmandam censuerunt. Ad quod remedium excitati sunt per Apostolicum Breve, quo Innocentius X. eós exhortatus est, ut sedulo studio, conatuq; prorsus unanimi conspirantes in Domino, darent operam in id, quòd opportuniùs validiùsq; conferret, ad executionem stabiliendam, firmandumq; penitus usum suæ Constitutionis.

7. Ita ex præcepto Sanctissimi Pontificis illius egerunt, nulla alia meliori data via, quâ dicta Constitutio ipso usu roboraretur. Et hoc ex instituto Majorum, qui ad vindicandum veram fidem, Sanctionibus Summorum

„ Pontificum, & Decretis Conciliorum subscribebant. Sic „ Ecclesiæ unius institutionis jura commiscebant, ut pateret „ ex Iræneo Christianos omnes unius esse labij, atq; unius „ oris. Ita contra hæreticos portabant fidem chirographo „ munitam, quæ Joanne dicente vincit mundum. Ex illo „ Ecclesiæ more Leo II. sextæ Synodi subscriptionem o- „ mnibus Episcopis imperat, ut secundùm ejus Epistolæ „ verba, omnis Episcopus, cùm Dominus ad judicandum „ venerit, consortem se Apostolicæ Sedis per suæ manûs „ signaculum demonstret. Idem quoq; Pontifex se omni- „ um subscriptiones ad Petri confessionem depositurum „ pollicetur, ut mediante Petro, Christo ipsi offerantur. „ Hoc idem statuit Concilium Tridentinum; & ad den- „ sandam (ut Tertulianus ajebat) disciplinam, omnibus „ etiam Presbyteris, & Clericis, fidem definitam scripto „ profiteri, & damnatas hæreses anathematisare præcipit, „ ad abradendam omnem penitus hæreticorũ cavillationem.

„ 8. His prudentissimè statutis Episcopi Gallicani, Apo- „ stolicæ Sedis auctoritate muniti, scuto fidei, & Catholicæ „ veritatis loricâ protecti, repentino veluti exciti classi- „ co, conglobatis agminibus visisunt in causa fidei opitu- „ lâri, ut impia secta, propugnante Sanctitate Vestra, in „ æternùm prostrata succumberet, sicut habetur in Epi- „ stola Concilij Mediolanensis ad Leonem. Sed veluti si „ totus orbis Christianus esset in securitatem compositus, „ exploso & exustulato errore, Vaticani fulmine, vis ho- „ rum statutorum aliquatenus imminuta est per non usum, „ plurimis non subscribentibus, neq; de subscriptione re- „ quisitis; acribus initijs, incurioso fine; omnia in speciem „ pacata videbantur: sed quibus compositis rebus nulla „ spes, omne in turbido consilium, lingvâ suâ cæperunt „ concinnare dolos, & veluti si æternum Sacramentum „ Iansenio dicturi essent, exquisierunt novos sinus, & no- „ vos sensus interpretandis illarum propositionum voca-

bulis.

bulis. Ita novarum rerum avidi nihil intentatum reliquerunt, ut Fides hæc, quaſi dubia retractaretur, & damnatæ clariſſimis verbis Ianſenij propoſitiones, redivivis conatibus excitarentur.

9. Solertes ſibi videri volunt, omnia verba Ianſenij ad aliquem ſenſum Catholicum futiliter detorquentes, quamquam tui obſervantiam imitentur, contumaciæ propiores. Interim ſermo eorum ſicut cancer ſerpit, ſcinditq; populum Chriſtianum ſtudia in contraria diverſis incitamentis. Hæc indicia non aſpernati ſumus, neq; voluimus alere dubitatione, aut cunctatione bellum. Quapropter Beatiſſime Pater, nobis viſum eſt ſociatis laboribus, conjunctiſq; viribus, tuam exequi Conſtitutionem, atq; aliam Deceſſoris tui, ſicq; hanc luem ab Eccleſia procul depellere. Inſiſtentes igitur veſtigijs Decreti ultimorum Comitiorum Cleri noſtri, te audimus loquentem ſapientiam inter perfectos, & volumus ſervare, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, ut commendat Cæleſtinus. Et ut continuò præſtetur aſſenſus dictæ Conſtitutioni, ab omnibus Clericis, quin ab ipſis etiam Epiſcopis ſubſcriptionem duximus requirendam, ſub pœnis in tuo diplomate expreſſis. Et ſi qui ſunt, qui aliter ſe gerant, (quòd abſit) aut qui novarum rerum, vel occultæ ſocietatis ſuſpicione laborent, reos læſæ Fraternitatis reputamus, innodatos pœnis, quæ de Eccleſiaſticis regulis, & Canonum promulgatæ ſunt diſciplinis adversûs Epiſcopos negligentes, vel dolosè agentes in negotio inquirendæ hæreticæ pravitatis.

10. Encyclicam quoq; ad omnes miſimus, quæ certiores eos de his omnibus faciat, & quid deceat in hac cauſa Catholicæ unitatis ac veritatis Sacerdotes ex Conſtitutionis tuæ præſcripto. Optamus verò, ut omnes nobiſcum choros gaudij celebrent, de profligato Ianſenij dogmate ſub tanti Pontificis auſpicijs, eodem

voto,

„ voto, quo Patres olim Concilij Chalcedonenſis, in Relatione ad Pulcheriam Auguſtam. *Te enim novimus Montem illum Domini. ad quem confluunt omnes*, id eſt, ea propenſione feruntur, quâ flumina per alveos ſuos; ad Te ita fluimus, ita ferimur pondere amoris & obſervantiæ in Te noſtræ. *Cùm hæ partes præcipuæ ſint Eccleſiæ Gallicanæ, debitam Apoſtolicæ Sedi exhibere reverentiam*: Te ſolùm ſuſpicimus tamquam montem coagulatum, montem pingvem; & inclamamus attendentes gregi noſtro, ſuper quem Spiritus Sanctus poſuit nos regere Eccleſiam Dei: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos? *Nullum quippe novimus montem coagulatum, quàm Apoſtolicum, ubi doctrina cæleſtis, ſicut lac parvulis, bene autem valentibus, tamquam ſolidus cibus miniſtratur.* In hoc monte nos ipſi paſcimur (ut ait D. Auguſtinus ad populum ſuum) Paſcimus vos, paſcimur vobiſcum.

„ 11. Et quia in eo Dominus docet, *ſtatuimus ibi* (ſecundùm verba Tertuliani) *finem quærendi, ſtationem credendi, expunctionem inveniendi.* Tuam ergo auctoritatem nobis forè præſtò ſperamus adversûs eos, qui omnem curioſitatis libidinem effundunt poſt definitam Fidei doctrinam, nec ad Martiani dictum attendunt, quo ait: cùm quis poſt acceptam fidei veritatem aliquid ampliùs quærit, mendacium quærit. *In te autem velut in Petri Succeſſore, noſtrum omnium fortitudo firmata eſt*; cùm ad conſultationem noſtram Reſponſum ab Apoſtolicâ Sede manavit adversûs ſcientiam falſi nominis, quæ in D. Auguſtini doctrinam invaſerat, atq; ejus nomine circumferebatur. Cauſa hæc jam finita; ſi aliqua novitas iterum emerſerit, indiget tantùm in ſolatium, defenſione Tua, ut Flavianus de hæreſi Eutychiana ad Leonem ſcribebat, Exurgat veritas, & de ſua patientia erumpat, Tuo munita præſidio, quæ jam dudum abſcondi erubeſcebat.

12. Adhibita charitate manſvetudinis, adhibeat Sanctitas Tua charitatem ſeveritatis: jaculare fulmina ex altiſſima tua ſpecula, adversûs ſcientiam extollentem ſe ſupra ſcientiam Dei, dum nos totius Eccleſiæ Gallicanæ vires colligemus, atq; inſtructa acie depugnabimus ſub tuis auſpicijs, & Chriſtianiſſimi Regis tutela, cui non ſolùm Regium, ſed etiam Sacerdotalem animum in hoc negotio ineſſe gaudemus, & gaudere Sanctitatem tuam novimus eo ſenſu, quo Leo de Theodoſij Auguſti animo in Eutychiana hæreſi obruenda loquebatur.

13. Enituit enim in hac Ianſeniana lue procul eliminanda non ſolùm Regis, Reginæq; Matris pietas ſingularis, ſed etiam Eminent. Cardinalis Julij Mazarini zelus, ac ſtudium, quo virus hoc ne latiùs ſerperet, vel creſcendo noceret, in Aula Regia, totoq; Regno vias omnes illi præcluſit. Tot tantiſq; ſuffulta præſidijs Eccleſia Gallicana, terribilis ut caſtrorum acies ordinata, *ſiſtit ſe Sanctitati Tuæ, cujus armata fulmine, non minus certos, quàm glorioſos in profliganda hac nova hæreſi ſperat triumphos.* Hæc conſociatis in unum animis; viribuſq; noſtrûm omnium, disjunctos in contrarias partes paucorum ſenſus, ad veram germanamq; fidei normam revocare conabitur, & firmiſſimam ſupra petram, vel angularem Chriſti lapidem fundata, inter varias inſultantium Novatorum procellas immota, ac in æternùm duratura, victrixque gloriabitur. Nos interim Beatiſſime Pater, Tuam demirari gloriam, earumq; ſplendorem virtutum, quas Pontificalis in te dignitas non peperit, ſed invenit, Divinam profuſis votis implorabimus clementiam, ab eaq; prolixam Sanctitatis Tuæ publico bono ſoſpitatem depoſcemus, eadem ſemper animi propenſione, quâ ſumus Beatiſſime Pater. Obſequentiſſimi ac devotiſſimi filij, ac ſervi veſtri, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici Viri in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis

„ congregati. Parisiis die 20 Februarij 1661. „

14. Jam satis apertus, & exploratus est unicuiq; ex hactenus recitata Epistola, Gallicanæ sensus Ecclesiæ, de auctoritate & inerrantia Romani Pontificis: in ipsa nimirum Apostolica Sede, absq; ullo Ecclesiæ Congregatæ per Concilium Generale repræsentatæ interventu, ultimum credunt remedium, ex vetusta SS. Patrum trutina, in prostratis & propulsandis erroribus, profligatis & profligandis hæresibus, & dirimendis omnibus controversijs fidei, *statuimus* (inquiunt) *ibi finem quærendi, stationem credendi, expunctionem inveniendi*, in culmine videlicet Apostolicæ Sedis, *quia in eo Dominus docet*: Ultimum in Petri armatura & successorum ejus, adversùs omnes impetus pravitatum ponunt refugium, indubitatos inde reportaturi triumphos, *tot, tantisq; suffulta præsidijs Ecclesia Gallicana. terribilis ut castrorum acies ordinata sistit se Sanctitati Tuæ: cujus armata fulmine, non minus certos quàm gloriosos in profliganda hac nova hæresi sperat triumphos.* Et iterum: *In Te autem velut in Petri Successore nostrum omnium fortitudo firmata est.* Item: *Episcopi Gallicani Apostolicæ Sedis auctoritate muniti, scuto fidei, & Catholicæ veritatis loricâ protecti: visi sunt in causa fidei opitulari.*

15. Manifestant autem patentem veritatem, pluribus Patrum & Conciliorum exemplis, eandem Apostolicam Sedem, montem esse Domini, ad quem confluere omnes necesse est, in causa Catholicæ unitatis, & orthodoxi dogmatis: *Te novimus montem illum Domini, ad quem confluunt omnes.* Quòd autem nullum aliud præter Romanæ Sedis & sedentis in ea Pontificis recognoverint tribunal in ferendis, & ultimò terminandis sententijs in materia fidei, adijciunt ejusdem Ecclesiæ Gallicanæ Præsules ad æviternam posterorum memoriam (quæ nè excidant, eorum propria hîc reincudi curavi verba.) *Nullum* (ajunt) *novimus montem coagulatum, quàm Apostolicum,*

ubi

ubi doctrina cælestis, sicut lac parvulis, bene autem valentibus, tamquam solidus cibus ministratur. Et ut patefaciant Catholico orbi, hanc opinionem non esse novam, sed ex veteri Ecclesiæ deposito erutam, provocant ad vetusta Concilia, & antiquorum patrum uniformes recitant sententias, Antecessoresq; interpellant suos, atq; subjungunt: *Cùm hæ partes præcipuæ sint Ecclesiæ Gallicanæ, debitam Sanctæ Sedi exhibere reverentiam:* sequitur: *Te solum suspicimus tamquam montem coagulatum, montem pingvem;* utiq; in retuso dogmate, & prostrata hæresi Ianseniana; *clamavit & quasi tuba exaltavit vocem suam, ad retundendos omnes impetus Iansenianæ sectæ*, per explicatam videlicet Apostolica Constitutione in quinque propositionibus Catholicam fidem, *non à Te* (inquiunt) *inventam, sed Tibi à Deo creditam. Dedit* quippe *Deus voci suæ, vocem virtutis in Beatitudine Tua, quæ locuta es sicuti potestatem habens: Tuâ industriâ discussæ sunt artes.*

16. Quid clariùs? quid exactiùs pro Cathedræ Petri excellentia, ejusq; potestatis & jurisdictionis auctoritate dici potuit ab Ecclesiæ Gallicanæ Antistitibus? quibus nusquam placuit, aliud posteris credendum decernere, nisi quòd sacrata, sibiq; in Christo consentiens, veterum atq; Antecessorum tenuisset antiquitas. Et ut verbis Cælestini Papæ edisseram: *Hanc venerandam antiquitatis canitiem, Patres omnes* (Galliæ) *venerati sunt, & vetustatis trutinâ omnes omnino controversias appenderunt.* Quas jam dudum, ante, & post Concilium Constantiense atq; Basileense, ventilatas, sopitas, & exuflatas, hodie iterum resuscitant Novatores, & quasi doctrinam ipsi novam attulerint hucusq; incognitam, nos tamquam insensatos, erudiendos provocant ad Palæstram: *Venite o insipientes & miseri* (inquit Vincentius Lyrenen. Novatorum nomine) *qui Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante sæculis latuit, nuper*

apud Lyrenen. Cap. 27.

Cap. 27.

verò revelata & ostensa est; sed discite furtim atq; secretim, delectabit enim vos: & iterum cùm didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Ecclesia sciat, paucis namq; concessum est, tanti mysterij capere secretum. hucusq;, licet ironicè, Lyrenensis. Verùm his deliris Novatorum vocibus cum Marciano Imperatore reponimus: *Verè impius & sacrilegus est, qui post Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.* Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: Perspicua majorum fides, nulla ceni permixtione turbetur. *S. Xystus Epist. ad Episcopos Antiochiæ.*

Marcian. in Edicto.

PARAGRAPHVS V.

Alexander VII. terminat peremptoriè Ianseniĳ negotium, & finaliter lites dirimit in Gallicana Ecclesia, absq; interventu Ecclesiæ Congregatæ per Concilium Generale repræsentatæ.

I. HUcusque, ad Annum videlicet 1661 & ultra, facies Gallicanæ Ecclesiæ inturbido fluctibus Iansenismi obruebatur, & quasi navicula vehementioribus ventis agitata, intus forisq; periclitabatur: Cur autem non mersa? cur non vortice maris absorpta? tanto pro tunc onesta pondere hæreticorum; nisi quia Christus in Petro, & ejus Successoribus semper est inventus in ea: alioquin planè perire necesse erat, tantorum diffidiâ sectatorum, si curâ tantùm hominum, non Petri ejusq; Successorum auctoritate regeretur, quòd ex hactenus relatis, & alijs ejusdem sæculi Gallicanæ Ecclesiæ factis, quisque (nisi præoccupato sit animo) fateri tenebitur. Cur autem nedum â fluctibus libera? & ad portum veræ pacis & unitatis necdum sit perducta? licet tantis ab Apostolica Se-

ca Sede munita præsidijs, & tot suffulta fuerit patrocinijs: negotium Lector comperiet, intelligetq; perspicuè, quomodo obortæ circa fidem Controversiæ, non Congregatæ alicujus Ecclesiæ decisione, sed Apostolicæ Sedis auctoritate immediatâ finaliter sint terminandæ, & errores nonnisi mucrone Apostolico profligandi, atq; errantes in viam salutis sola Petri directione reducendi.

2. Post datam quippe ultimam Synodalem Epistolam Paragrap. superiori recensitam, à Congregatis Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus, quâ ad excutiendum radicitùs virus Iansenismi, subscriptio requirenda ab omnibus Episcopis & Clericis, à Pontifice, ut in Gallia omnino fieret, postulabatur, ut hâc extrema ab ipsis cogitata methodo, fides hucusq; in Regno fluctuans stabiliatur, depellatur schisma, & roboretur ipsa Apostolica Constitutio, ejusq; plena subsequatur executio & observantia, ac tandem aliquando in tranquillo statu ipsa eadem Gallicana Ecclesia constituatur.

3. Quia verò à dictis Galliæ Patribus, nihil adnexum fuerat præfatæ Synodali Epistolæ, de præscribenda à Pontifice formula, quam in subscriptione omnes sequi deberent, sed eandem sibimetipsis reservarunt conficiendam, quam defacto confecerunt, & decreto sanxerunt, ut juxta tenorem ejus à toto Galliæ Clero Constitutionis Apostolicæ subscriptio fieret. Existimabat Alexander Pontifex, hoc pio Episcoporum studio, perniciosa Novatorum zizania ex agro Dominico evellenda; & ut in Oriente olim successerat pax & unitas fidei, omnibus Episcopis mandāte Leone II. Sanctioni Apostolicæ & sextæ Synodo adversùs Monothelitas subscribentibus, hoc idem in Gallia quoq; sperabat profuturum. Unde in Rescripto Brevi, quod eodem anno 1661. die 6 Maij dederat Alexander, Galliæ Episcopis, magna cum lætitia insignem eorum laudavit animum, quòd præstanti & vigili

zelo, tuendæ puritati doctrinæ, quam de fontibus Salvatoris hauſtam, & à Romana Eccleſia traditam acceperunt, ſtuduerint.

4. Verùm enim verò cùm prædicta ab ipſis Galliæ Epiſcopis concepta formula Clero fuiſſet intimata, nihil non moverunt verſutiſſimi ſectatores Ianſenij nec non alij Galliæ Doctores, pro iſtius formulæ eluſione, ut ſubſcriptionem Conſtitutionis ſupterfugerent, factum in contrarium allegantes ſimile Conſtantienſis Concilij, in quo dum quæſtio agitabatur de formula conficienda in materia fidei contra errores Huſii & Wicleffii, eadem, non ab Epiſcopis Synodaliter licet congregatis, ſed ab ipſo Pontifice Martino præſcripta, & toti Eccleſiæ fuerat promulgata. Quare novæ iterum pullularunt in Clero turbæ atq; contentiones, alijs clamantibus ut juxta formulam illam ſubſcriptio Conſtitutionis fieret, alijs è contra aſſerentibus, hâc formulâ ut potè ab indebita auctoritate factâ, neminem poſſe ligari: Durarunt hæc ſcandala ad annum 1665. Quibus eradicandis, iterum egerunt Galliæ Antiſtites apud Sanctam Sedem ſtudioſiſſimè per Chriſtianiſſimum Regem, ut vel prædictam formulam probaret âuctoritate, vel ipſe Pontifex conficeret aliam. Deſtruxit itaq; Alexander præſcriptam ab ipſis formulam, & aliam ipſe compoſuit, adjuncta Conſtitutione, quâ mandatum continebatur, ut juxta tenorem ejus Sanctioni Apoſtolicæ ſubſcriberent non ſolùm Archiepiſcopi & Epiſcopi, verùm quicunq; alij Eccleſiaſtici Ordinis, tam Regulares, quàm ſæculares, etiam Moniales, Doctores, Licentiati, alijq; Rectores atq; Magiſtri. Tenor Conſtitutionis ut ſequitur.

„ 5. *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.* Regi-
„ minis Apoſtolici Divinâ providentiâ nobis quamvis im-
„ meritis commiſſi, ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimùm,
„ quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi,
ani-

animarumq; ſaluti, & fidelium tranquillitati conſulere apta & idonea eſſe judicantur, animum & curam omnem quantum licet in Domino applicemus. Quamobrem Cornelij Ianſenij hæreſim in Gallijs præſertim ſerpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt; in varios gyros, & cavillationum defluxus euntem, ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita, altero aſſumptionis noſtræ anno extingvere conati ſumus.

6. Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent; qui tamen unicùs erat votorum & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi & Epiſcopi Regni Galliæ earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & Cariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo ac conſtantiſſimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem religionis zelo ductus, per ſuum in Urbe Oratorem nobis ſignificari exponiq; curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquijs exſtirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam formulam ſubſcriberent noſtra auctoritate firmatam, in qua quinque propoſitiones, ex Cornelij Ianſenij libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas ſincerè damnarent; ac proinde illam à nobis quantò citiùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omneſq; removendos obtentus flagitaverit: Nos tam pijs dicti Regis Chriſtianiſſimi votis, benignè annuendum eſſe ducentes, formulam infraſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis, etiam Venerabilibus noſtris Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, nec non alijs quibuſcunq; Eccle-

„ Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quàm sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, alijsque Collegiorum Rectoribus atq; Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses, à die publicationis seu notificationis Præsentium. Aliàs contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus, juxta Canonicas Constitutiones & Conciliorum Decreta.

Sequitur Formula *á Pontifice præscripta ab omnibus supradictis subscribenda.*

7. *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datæ die* 31 *Maij* 1653. *& Constitutioni Alexandri VII, datæ* 16 *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum, me subijcio, & quinque Propositiones ex Cornelij Iansenij Libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones, Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reijcio, ac damno, & ita juro sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

8. Decernentes insuper præsentes Literas semper & perpetuò validas, & efficaces existere & fore, suosq; plenos & integros effectus sortiri & obtinere, sicq; per quoscunq; judices ordinarios & delegatos ubiq; publicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate; ac irritum & inane esse, si secus super his à quocunq; quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, alijsq; Locorum Ordinarijs committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ Jurisdictioni subjectis præsentes Literas, & in eis contenta quæcunq; exequantur, & exequi ac observari ab omnibus curent; & inobedientes quoscun-

cunque, per sententias, Censuras, & pœnas, aliaq; juris ,,
& facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ,,
ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, omni- ,,
no compellant. Volumus autem ut Præsentium tran- ,,
sumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscri- ,,
ptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica ,,
constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, ,,
quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibi- ,,
tæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc ,,
nostram Constitutionem & ordinationem infringere, vel ,,
ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare præ- ,,
sumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Pe- ,,
tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. ,,
Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarna- ,,
tionis Dominicæ 1665. Kalend. Martij, Pontificatûs No- ,,
stri Anno decimo. ,, Hæc est ultima Constitutio Apo- ,,
stolica in negotio Iansenij.

9. Post cujus in Gallijs publicationem unâ cum oblata à Pontifice formula, executio Decretorum Apostolicorum circa Propositiones Iansenij subsecuta fuit, sicq; omnia schismata & scandala, quæ tot annis vigebant & increbrescebant in Regno, è laribus ejusdem depulsa sunt. paxq; tandem cum tranquillitate desiderata, illi reddita Ecclesiæ: Quòd factum planè non fuisset, nisi S. Apostolica Sedes illius incolumitati & integritati instigantibus & demandantibus ipsius ejusdem Ecclesiæ Præsulibus, summâ vigilantiâ prospexisset. Sacrosancta enim retinentes Decessorum suorum vestigia, & eorum exempla sequuti, ab Ecclesiæ unitate, & Sedis Apostolicæ obedientia, nec in apice ausi resilire, aut contra Canonum statuta prorumpere, quinimò constantissimè semper professi laudatæ Gallicanæ Ecclesiæ Patres (ut ex relatis hactenus ejusdem Ecclesiæ factis per sæculorum series ordine suo monstratum) Romanæ Ecclesiæ

nullam à Concilijs legem præfixam, aut eorum Canonibus limitatam auctoritatem; cùm omnia Concilia per eandem Romanæ Sedis auctoritatem & facta sint, & auctoritatem pariter ac robur acceperint, atq; in eorum statutis Romani Pontificis reverenter semper excepta fuit majestas. ,, Ecclesiasticæ quippe dignitatis, ac Religionis firmamentum (ajebat olim Otto Episcopus Babenbergensis ad Paschalem Papam) in Christo, petra semper est, & in Petro ejus discipulo, ac ejus Successoribus, linea & virga directionis, virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium potestatum in Ecclesia: à qua aberrare insanum est. ,,

In vit. Ott. lib. 1. Cap. 3

10. Quòd autem aberret hodie & recedat ab ea Auctor Anonymus, non mirùm: In Arca Nöe ubi septem tantùm fuerunt homines, unus reprobus derisor Patris inventus est: In Domo Abrahæ unum filium dignum ejectione novimus: *Ejice ancillam & filium ejus.* De duobus verò geminis Isaac legimus, unum fuisse perditionis filium. Et ut de Christianis loquar; semper in Ecclesia Christi proditor Judas patitur. In Antiochena Nicolaus fornicationis laudator: Simon lucrorum sacrilegus sectator, & (ut verbis Augustini utar) semper abundabit palea, donec ventiletur area: Stetit tamen stabitq; semper immobilis de Sede Petri sententia, atq; promissio Christi, quòd portæ inferi non prævalebunt adversûs eam.

Miseri dum in Petro petram non intelligunt.
August. de Agone Christi Cap. 31.

FINIS.

Ad M. D. G.

INDEX



INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

Primus numerus paginam, secundus numerum marginalem indicat.

A

B

Basi-

D

E

ga Apo-

solita

H

M

N

P

ligat

V

X

Errores, qui ob absentiam Auctoris typo irrepserant, sic corrige.

Septulum *lege* septuplum.	pag. 39.	Num. 1.	versu 26.
Tyritæ *lege* Tyriæ.	pag. 42.	num. 1.	ver. 10.
clarus *lege* Clarus.	pag. 43.	num. 2.	ver. 4.
facilè *lege* facite.	pag. 43.	num. 2.	ver. 6.
Pro *lege* in.	pag. 45.	num. 5.	ver. 3.
Gallicane *lege* Gallicanæ.	pag. 45.	num. 6.	ver. 2.
junge eradendum.	pag. 45.	num. 6.	ver. 13.
Meletuis *lege* Meletius.	pag. 52.	num. 7.	ver. 8.
Et dixerat *lege* edixerat.	pag. 61		ver. 3.
indicium *lege* judicium.	pag. 71.	num. 1.	ver. 10.
utq; *lege* atq;.	pag. 72.	num. 2.	ver. 6.
ut *primum lege* &c.	pag. 83.	num. 9.	ver. 14.
diu *lege* dici.	pag. 83.	num. 10.	ver. 6.
quid *lege* quod.	pag. 100.	num. 9.	ver. 18.
perconarer *lege* perconctarer.	pag. 34.	num. 4.	ver. 5.
Ex *lege* Et.	pag. 85.	num. 12.	ver. 3.

antiquum dicendi genus. *expungatur ad marginem.* p. 102. num. 2. ver. 12.

peteſtate *lege* poteſtate. pag. 262. num. 5. ver. 9.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0005252

